5030. III Kr. a.

AVGVSTISSIMO INVICTISSIMO ac ROMANOR. IMPERATORI HVNG. & ROHEM. REGI &c. &c.

LEOPOLDO I. AVSTRIO

PHILOSOPHIA
QVINQVE PARTITA
DEDICATA

COMITE A DIETRICHSTAIN PRINCIPE PARTHIE

S. R. I.
SIGEFRIDO
A GEORGIO V

Georg. Souoda del



PHILOSOPHIA QVINQVE-PARTITA

Quam

Sub

AVGVSTISSIMIS AVSPICIIS.

INVICTISSIMI, AC POTENTISSIMI

LEOPOLDI I.

ROMANORUM IMPERATORIS SEMPER AVGVSTI,

HVNGARIÆ, ET BOHEMIÆ

REGIS, &c. &c.

K K LYCEAL BIBLIOTHEK ZU LAIBACH

In Alma & Celeberrima Græcenſi Univerſitate Pro conſequendo AA. LL. & Philoſophiæ Licentiatu

Publicæ DISPUTATIONI propoſuit

GEORGIUS SIGEFRIDUS

S. R. I. Comes à Dietrichſtain, &c. Græcenſis, AA. LL. & Philoſophiæ Baccalaureus, nec non Academicæ Juventutis Parthenius Princeps.

PRÆSIDE

JOANNE BAPTISTA CRUXILLA

è Societate IESV AA. LL. & Philoſophiæ Doctore, ejuſdemque Profeſſore Ordinario.

VIENNÆ Superiorum permiſſu.

Apud SUSANNAM RICKESIN Viduam.

Anno M. DC. LXII.

INVICTISSIME, POTENTISSIME,

ATQUE

AUGUSTISSIME CÆSAR.

VT Philoſophico in pulvere, *MAIESTATI VESTRÆ* lunato poplite, proniſsimo vertice, ſubmiſsiſsimo animo advolutus Cæſarea auderem ambire auſpicia; *CÆSAREÆ* in Majoribus meis affluentiſsimæ viſæ gratiæ non audentem animârunt. Et licèt Philoſophiam meam tantæ Reverentia *MAIESTATIS* à ſacratiſsimis arceret plantis, eædem tamen gratiæ ad *AUGUSTISSIMAS* etiam palmas perveniendi fiduciam præbuerunt. Effecerunt imò, ut nè liberè illa quidem, feliciſsima quamvis, ſuaviſsimaque neceſſitate, venerabunda ad *VESTRAM* tenderet *MAIESTATEM*. Tanta namque Auſtriacarum in Majores meos fuit affluentia gratiarum: ut eos, eorumq; unà poſteros totos juris fecerit Auſtriaci. Ita debitum contraxi cum Nativitate: in jus *MAIESTATIS VESTRÆ* abivi cum vita. Admittet igitur *MAIESTAS VESTRA* minimum hoc debiti tributum obſequij, vel eo nomine, quia jam ante ſuum. Primitiæ hæ ſunt obſequiorum à Sapientia. Ab ea debuerant eſſe prima, quæ apud *MAIESTATEM VESTRAM* primas tenet. Sapientia etenim *MAIESTATIS VESTRÆ* ea eſt, quæ plaudentis voce orbis cum *AUGUSTISSIMO* LEOPOLDO *IMPERATORE* ejuſdem Imperij audit Imperatrix. Ea eſt, quæ vel in hoc omni Philoſophiâ ſublimior, quòd puram oderit

ſpecu-

ſpeculationem: quâ quidem in *CONSILIO* ita eſt dives, ut operatione tamen in *INDUSTRIA* ſemper gloriosè ſit fæcunda. Cujus præconia cùm omnia taceam, in hac Palladiarum oblatione Primitiarum, *CÆSAREÆ* Primitias ſapientiæ tacere non poſſum, exilis nimiùm licèt earum Panegyriſta Philoſophus, quæ orbem habent Encomiaſten. An non ea fuit *VESTRÆ MAIESTASIS* Sapientia, cujus vel Auſtriacâ affectuum conciliandorum arte, vel perito finiendorum præliorum Marte feliciter incaluit frigidus aliàs Septentrio? Certè ibi bella prius compoſuit, quàm inchoavit, prius vicit, quàm pugnavit: deliteſcente ſcilicet adhuc intra vaginam enſe, lauros, oleaſque reſecuit: & tantillo tempore, quantum alij vix ſerendis ſuffeciſſet. Hic enim verò *MAIESTATIS VESTRÆ* Sapientia ſe oculum monſtravit in manu, ad vetus Sapientûm de Regibus votum: ſed quæ novo id explens ingenio, fauſtâque imitatione numinis vel videndo omnia conficeret: & quæ, cûm in *CONSILIO* mera eſſe videatur potentia, ſimul per *INDUSTRIAM* noſceret exire in actus, eoſque ſecundos & glorioſos. Quos & ego demiſiſsimo animo poſthac voveo, ut non niſi ab Auguſtis laureis, oleiſque cæſis. *MAIESTAS VESTRA* nomen audiat *CÆSARIS*. Lauro certè omnino includitur *MAIESTAS VESTRA*, quo nullum ſciant finem victoriæ, niſi quando fuerit vincendi materia adepta finem. Voveo: & ſi quid ad hoc de meo accedere poteſt vel ſanguine, vel Pallade, id totum *MAIESTATI VESTRÆ* jam dudum devotum ſubmiſsiſſimis denuo animis, unà cum hac quinque-Partita Philoſophia mea devoveo. Quam ſi vel uno *AUGUSTISSIMO* obtutu dignata fuerit *CÆSAREA MAIESTAS VESTRA*, votorum meorum fauſtè auſpicatum omen ſemper obſequioſus profitebor. Ita teſtor.

Invictiſſimæ, Potentiſſimæ,
Atq; Auguſtiſſimæ M.tis V.ræ

Humillimus

Georgius Sigefridus, S.R.I.
Comes à Dietrichſtain.

PHILOSOPHIÆ QUINQUE-PARTITÆ.

PARS I.

Seu

LOGICA.

PROLEGOMENA *ad Logicam, universamque Philosophiam.*

1 SApientiâ æquè ac Religiosâ humilitate celeberrimus P. Franciscus Soarez disp. 1. Met. sect. 2. Philosophicum ingressuros stadiũ sapienter præmonet, ut quid Philosophia sit accuratè dispiciant; ideò nempe, quia intelligendum est Philosopho ipsum ad cursûs sui initium, quorsum dirigendi sint conatus omnes, ita, ut neque stadij tanti fines transgrediatur, neque aliquid intra eos contentum intactum relinquat. Quare illud auspice DEO, Patroniscquè è Cælo Divis nos aggressuri, in primis consideramus.

Philosophiæ Nomen.

2 QUod ex Græco desumptum idiomate, idem Latinis significat, quod amor sapientiæ, à φίλος scilicet, quod amor est, & σόφια, quod sapientiam denotat; cujus nominis usurpatio à Pytagora, Jamblico teste, provênit primùm, quando à Leontio Phliastriorum Rege rogatus in quonam rerum genere sapiens foret? se non sapientem, sed sapientiæ tantummodò amatorem esse respondit; cujus deinde modestiam subsecuti, quotquot circa rerum cognitionem versati sunt, Philosophos potiùs quam sapientes dici adamârunt.

3 Nec obstat quod hæc ethymologia non ex natura rei, sed solùm ex aliquo concomitanti desumpta videatur, cum Philosophia ipsa, quæ in rerum contemplatione consistit, nequeat esse formaliter amor, siquidem hic est actus voluntatis, sed habitus, actusve intellectûs; quod etsi verum sit, nihilominus, quia voluntas intellectum comitatur, eiquè, ut operetur, præcipit, actus ipsius voluntatis metonymicè illi tribui possunt, non secùs quàm effectus operarij Architecto, victoria relata à militibus de hoste Belli duci attribui consuevit.

Philosophiæ Quidditas.

4 DIversimodè à diversis Philosophiæ quidditas, & definitio statuitur. Plato, quem sequuntur ejus studiosi, ait in Phœdone eam esse Divinarum, atquè humanarum rerum cognitionem; sed nimis impropriè; nam confundit illam simpliciter cum Theologia, & cum Ethica. Verum idem in Dialogo de sapientia refert Philosophiam mortis esse contemplationem, juxta mentem Pythagoræ: At vel falsa hæc quidditas Philosophiæ est, vel solùm metaphorica: patet primum, quia minima Philosophiæ pars circa mortis, & corruptionis speculationem versatur; constat & secundum; quia philosophantes propter suas abstractiones, juxta quas operantur ob mentis in ijs inhærentiam, quasi abstracti, & à communi hominum consortio alieni, nihil cum præsenti modo vivendi videntur habere commune.

5 Aristoteles, quem ut Magistrum in pluribus sequimur, Philosophiam esse scientiam veritatis indagatricem asserit 2. Met. tex. 3. Cui etiam subscribimus: tum quia sic comprehendit optimè omnes suas, quas continet partes, ut mox patebit; tum quia videtur illud esse Philosophia in re, quod per omnes suos actus, ac partes intendit, & quo posito præcisis quibus-

cumque alijs in eo conquieſcit, ſed veritatem indagat philoſophia ipſa, eâquè acquiſitâ conquieſcit, eandem quaſi amore quodam gaudij ſibi intimans, & in ſe convertens, ergo. Major ex notitiâ boni cuiq; competentis, ac ex principijs intrinſecis, quibus ad hujuſmodi bonum fertur, videtur eſſe indubitata. Probatur minor: quia illud intenditur à philoſophia tanquam ſui conſervativum, imò & conſtitutivum, ad quod ex intrinſecis ſuis principijs eſt inſtituta, ſed ex intrinſecis ſuis principijs inſtituta eſt ad indagationem, & contemplationem veritatis: patet, nam inſtituta eſt ad præcavendos errores, in quos incurrere poteſt anima philoſophantis in ſuis operationibus, hoc autem conſequi nequit, niſi per ipſam veritatem, ergo. Tum etiam quia in eo conquieſcit philoſophia, ad quod conſequendum eſt naturâ ſuâ ordinata, ſed ordinata eſt ad veritatem, ergo. Atque hinc D. Thomas in quæſtionibus de Ver. cap. 1. hominibus, inquit, Dei munere tradita eſt philoſophia ad hominis ornatum & perfectionem. Tum demum, quia ſi quis philoſophiæ ſtudioſus interrogetur, quo fine Philoſophiæ ſtudeat? ſanè ſi mentis compos fuerit, rectiquè judicij, præſertim ubi ſermo eſt de fine intrinſeco, ac proximo ejuſdem, reſpondere aliud nequibit, quàm ut in veritate dignoſcenda inoffenſo pede, ac abſque erroris offendiculo verſari poſſit. Ex quibus rectè concludimus, Philoſophiam eſſe Scientiam veritatis indagatricem, ac contemplatricem.

6 Nequè eſt quod quis obijciat Philoſophiam agere non ſolùm de vero, ſed etiam de veriſimili: nam licet id verum omninò ſit, attamen illa illam tantùm veritatem indagat, & conſequitur, quæ abſtracta à probabili & evidenti, à certa & incerta, ac ſecundum ſe talis tantùm eſt: ſicque Philoſophia Veritatem ſemper intendit, quæ etiam in veriſimili elucet, ſive reipſâ, ſive prudenter judicatam talem.

Philoſophiæ Diviſio.

7 QUemadmodum philoſophia & ſecundùm rationes ſui univerſales, & ſecundùm particulares conſiderari ſolet, ita ſecundùm eandem conſiderationem multiplicitèr quoquè dividi poteſt, ſicque ſecundùm diverſa membra dividentia peculiaribus definitionibus circumſcribi. Ac proindè exiſtimamus rectè, ac immediatè dividi in ſpeculativam, & Practicam. Quam diviſionem expreſſis terminis tradit Ariſtoteles 2. Magnorum Moralium cap. 3. Et ratio eſſe poteſt, quia nulla prorſus eſt aſſignabilis philoſophiæ pars, quæ ad alterutrum ex his membris dividentibus reduci nequeat. Patet ex ſubdiviſione ejuſdem; ſpeculativa enim in Philoſophiam Phyſicam, Mathematicam, & Metaphyſicam; Practica in Logicam & Ethicam communi omnium ſapientum conſenſu ſubdividitur; cujus ſubdiviſionis ratio ſufficiens eſſe poteſt, & quidem quoad primum, quia totuplex eſt Philoſophia ſpeculativa, quotuplex eſt evidentia, quæ de rebus haberi poteſt fundata in earum proportione, vel cum ſenſibus, vel cum imaginatione, vel cum intellectu, ſed hæc triplex tantùm eſt; patet, quia quidquid ſpeculativè ſcitur, vel ſcitur prout præſcindit à materiâ individuâ, & particulari, non autem ut præſcindit à materiâ ſenſibili, in quâ abſtractione fundatur Philoſophia Phyſica: vel conſideratur præſcindendo à materiâ individuâ & particulari, ſimulquè à materiâ ſenſibili, ut cùm conſideratur moles alicujus corporis, non ut ſubjecta ſenſibus, ſed prout ſolùm poteſt ab imaginativâ virtute apprehendi, quæ abſtractio propriè conſtituit Mathematicam: vel demùm tertiò conſiderari poteſt, prout præſcindens ab omni materiâ tam ſenſibili, quàm imaginabili, nempe ſub ſimplici ratione entis, & hæc Metaphyſicam propriè concernit: atqui præter has tres ſpeculabiles abſtractiones alia nulla eſt aſſignabilis, quæ conſtituat membrum aliud ſpeculativæ Philoſophiæ. g.

8 Ratio datæ ſubdiviſionis, quoad ſecundum ejus membrum eſt, quia illa Philoſophia primariò ſimplicitèr & per ſe eſt practica, quæ in veritate agnita non ſiſtit, ſed ulterius per ſe tendit ad opus aliquod, in hoc enim formaliter praxis à ſpeculatione differt, ut infrà magis patebit; atqui tam Logica quam Ethica non ſiſtit in ſola contemplatione veritatis, vel bonitatis, verùm eam ulteriùs dirigit, illa quidem ad directionem intellectûs, ne in operationibus ſuis eliciendis fallatur; hæc autem ad inſtructionem voluntatis, ut ea actus ſuos ſecundùm bonitatem, & honeſtatem moralem rectè, ac laudabiliter eliciat, ut latiùs ſuo loco oſtendemus, ergò.

9 Nec obſtat quod Ariſtoteles 1. Met. Philoſophiam ſumat pro ſolis habitibus ſpeculativis, ibi enim loquitur non de Philoſophiâ in genere, quam ſexto Metaphyſicorum diviſit per allatam à nobis diviſionem, ſed in ſpecie tantùm de ſpeculativa, ſub qua continetur Phyſica, Mathematica, & Metaphyſica, ut dictum.

Origo Philoſophiæ.

10 CIrca Philoſophiæ originem, ne falcem in Theologorum meſſem immittamus, quid nobis ſtatuendum ſit, ex Ariſtotele 1. Met. cap. 2. facilè innoteſcet: aſſerit enim ibi. Philoſophus propter admirari, & nunc, & primò incœpiſſe homines philoſophari: à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora, deinde paulatim ulterius progrediẽdo, etiam oc-

ãm occultiora, magisquè latentia scrutari, in eorumquè notitiam venire incœperunt, adeoquè in admiratione, naturaliquè sciendi instincto cuiquè omninò homini suaptè naturâ indito, Philosophia est orta, & dubio absquè ex effectibus ad causas, vel ex comparatione unius rei ad aliam, vel ex connexione, aut dependentiâ, quâ ad invicem res omnes simul ordinariè connectuntur, alijsquè quamplurimis modis, nempè definiendo, dividendo, atque discurrendo per singula, imperfecto quidem ad perfectiorem modo, ut tam ex antiquorum dogmatibus, quàm ex ejusdem Aristotelis testimonio, ac ex ratione ipsâ, quâ constat naturam ipsam ex imperfectis ad perfecta tendere, fit cuique sapientum manifestum. Undè rectè deducitur.

Modus methodicè procedendi in assequenda Philosophia.

11 QUi est à cognitione sensitiva ad phantasticam, & ex hac ad intellectualem, quidquid reclament ingenioſi quidam Recentiores, secuti Renatum Des Chartes, Doctissimum Gasendum, aliosque nonnullos ex antiquioribus. Qui modus genuinus quod sit, ut agnoscamus, suppono sermonem hìc esse de Philosophiâ prout aliquid est, quod assuetudine & actuum frequentatione, uti paulò antè dicebam, comparatur; quo potentia aptior redditur ad facilè, & cum delectatione simul actum exercendum; constat enim experientiâ, tam in potentijs appetitivis, quam etiam cognoscitivis, ex frequentatis ipsis actibus faciliorem & planiorem sterni viam, ad simi-
12 les iterum actus repetendos. Quo suppositò Ratio probabilis positæ deductionis est: quia cùm juxta Philosophum omnis nostra cognitio ex sensu notitiam trahat, eò quod verùm omninò est, quòd nihil sit in intellectu, quod priùs aliquomodo non fuerit in sensu, & per hoc differat homo ab omni alio intellectuali agente, quod sensu scilicet sibi ad cognitionem viam paret, consequens est, ut contractio, & distinctio humanæ Philosophiæ in eo consistat, quod est per se respectu humanæ cognitionis, quatenùs humana est, advertendo ad diversam rationem quâ sensus subservit Philosophicæ cognitioni.

13 Undè cùm in scientia Philosophica, quatenus humanâ industriâ est assequibilis, res ipsæ, earumque principia, proprietates & passiones cognoscendæ veniant, hinc fit, quod à notioribus nobis ad notiora naturâ, à sensibilibus ad intelligibilia, à singularibus ad universalia sit progrediendum. Uti expressè docet Aristoteles 1. Met. cap. 2. *difficillima*, inquiens, *hominibus cognitu sunt ea, quæ maximè universalia, quia sunt à sensu remotissima*: & primò Physicorum: *manifestum, ait, est, quod ea quæ sunt circa principia scientiæ determinata sint*: & secundo Posteriorum tex. 22. *facilius*, inquit, *est singulare intellectu, quàm universale: quapropter*
14 *oportet à singularibus ad universalia transire*: Aristotelicæ authoritati accedit ratio, quâ idipsum manifestè convincitur: tum quia illud priùs & faciliùs cognoscitur ab intellectu, quod priùs & per se percipitur à sensibus, sed à sensibus percipiuntur primò & per se singularia: patet, nam id priùs & per se, ac longè facilius percipitur, quod habet plura accidentia sensibilia, sed singularia plura habent sensibilia accidentia, quàm universalia; constat; ea enim sunt totum quoddam actuale, & usquequaque completum, ergo. Tum etiam, quia potentia quæ abstrahit aliquem conceptum ab aliquo, necessariò priùs cognoscere debet illud à quo abstrahit, quàm id, quod abstrahit: non secùs, quàm dum cognoscimus Angelum, verbi gratia, adinstar alicuius formosi Adolescentis, priùs cognoscimus Adolescentem illum, & per eius speciem deinde Angelum, sed universalia abstrahuntur à singularibus; & cognoscuntur ad modum alicuius singularis; ergò singularia primò per se, & faciliùs cognoscuntur.

15 Nec obstat imprimis, quòd idem Aristoteles passim in Metaphysicis, & 1. Physicorum videatur sentire contrarium: intelligendus namque est loqui de cognitione proveniente ab intellectu, habituali jam philosophiâ informato, non autem de prima illa cognitione philosophica, quam habuimus viâ originis, & inventionis; nam cùm (prout rectè ipse Charteſius initio principiorum philosophiæ, ait) infantes nati simus, necessarium est, ut cognitiones rerum assequamur secundùm quod illæ à nobis sunt perceptibiles, vel primò scilicet directè, & immediatè, quomodò perceptibilia sunt sola accidentia sensibilia; vel secundò in alio, ita ut propter connexionem, aut dependentiam, quam cum altero habet, fiat & ipsum nobis perceptibile, quo pacto in causarum notitiam devenimus per earum effectus: vel tertiò per aliquam similitudinem, quam id, quod primò agnoscimus, habet cum alio determinato cognoscibili; quâ ratione sunt respectu nostri entia omnia substantialia, & spiritualia cognoscibilia.

16 Nec obstat deinde, quòd natura in suis operationibus procedere videatur ab imperfecto ad perfectum, sic juxta communem sententiam in formatione animalis priùs producit embryonem, quàm corpus organizatum, & hoc priùs quàm animam, ergò etiam cum universalium cognitio imperfectior sit eâ, quæ est singularium, priùs à nobis universalia cognoscuntur, non verò singularia. Falsum si-

qui

quidem eſt univerſim antecedens, cùm de-facto juxta communem Philoſophorum, Medicorumque ſententiam cor in productione animalis priùs quàm aliæ partes efformetur: priuſque generetur ſubſtantia, quàm eius accidentia: ſimiliter notitia principiorum, quæ eſt nobiliſſima, à nobis acquiritur priùs, quàm notitia concluſionis.

17 Nec obſtat tertiò experientia, quâ conſtat infantes, dum lallare incipiunt, viros omnes patres, omneſque fæminas matres nominare, quod fieri nullatenùs poſſet, niſi gradus univerſaliores prius cognoſceret, quam ſingularia. Nam ſi quid probaret inſtantia, probaret etiam non ſolùm infantes, ſed etiam animalia rationis expertia poſſe præſcindere, & facere univerſalia, ſiquidem teneri agni, quamvis ovem, quaſi matrem ſequuntur, quod indè provenit, quia ſingularitatem matris ſolùm confusè, & quaſi vagè cognoſcunt, quod ipſum accidit infantulis, non quaſi univerſalem aliquam rationem prius concipiant, ſed quia humore, & eâ, quam humor exhalat nebulâ cerebrum occupantibus, adeò in illis interior ſenſûs obductus eſt, adeòque imperfectè, & quaſi per umbram operatur, ut ſingularia illa non niſi ſub imperfectâ, & vagâ ratione percipiant: unde fit ut parentes ab alijs hominibus non dignoſcant, donec vi diſcernendi polleant, rationiſque libero uſu, qui ætate procedente ſenſim emergit, utantur.

18 Nequè demum obſtat quod quando quis aliquod objectum à longè videt, priùs cognoſcat eſſe aliquod ens, deindè animal, poſtea hominem, & demum Petrum, quâ experientiâ conſtare videtur priùs agnoſci univerſalia, quam ſingularia. Hæc enim inſtantia probat nimiùm, cùm tribuat ſenſibus externis vim faciendi univerſalia, quam malè ijs à nonnullis concedi, infra oſtendam; interea directè aio, quòd dum quis ſic videt aliquid à longè, non videat ens in communi, ſed individuum quodpiam, cenfusè tamen ob debilitatem, & paucitatem ſpecierum, quæ ob diſtantiam, nequeunt ita fortes, &, ſi fas ita loqui, in tanta quantitate ad potentiam pervenire.

Philoſophicæ cognitionis multiplicitas.

19 QUia multipliciter aliquid à philoſopho cognoſci cõtingit, ideò de multiplicitate cognitionis Philoſophicæ aliquid hic tractandum, ut in Prolegomenis ipſis Philoſophicis notitiam ipſius cognitionis diſtinctam obtineamus; Dividitur proinde, & adæquatè quidem, illa in ſenſitivam, & intellectivam; ea eſt, quæ à ſenſibus vel externis, vel internis procedit: iſta verò ab intellectuali ſpirituali potentiâ producitur; ex quo ſatis liquet utriuſque ab invicem diſcrimen, quod à nonnullis non bene ponitur in eo, quaſi intellectiva per univerſalia tantùm vagaretur; nam eandem verſari propriè etiam circa ſingularia, conſtat, tum ex paulò ante dictis, tum quia ex illo diſcrimine ſequeretur nullam dari intellectualem cognitionem directam, cùm hæc ſit ſingularium ſolummodò cognoſcitiva, eam autem dari, patet ex recepta diviſione, quâ partimur cognitionem intellectualem, in directam, ſeu intuitivam, in abſtractivam, & in diſcurſivam. Directa dicitur eſſe illa, quæ eſt rei præſentis, ut præſens eſt: abſtractiva eſt ea, quæ non eſt de objecto præſente, aut exiſtente realiter: diſcurſiva, quâ de uno non noto, ad notitiam alterius devenitur, prout 20 infra magis explicabitur: Porrò cognitionem abſtractivam ſubdividi denuò in confuſam & diſtinctam docet Ariſtoteles, dum 1. Phyſ: confuſam definiens dicit eam eſſe: *quâ aliquod totum ſine partium cognitione cognoſcitur:* & diſtinctam illam vocat, *quâ totum aliquod ſecundùm partes cognoſcitur eſſe*; aliarum verò cognitionum jam dictarum ſubdiviſiones nos haud latet, ſed eæ per decurſum aptiùs indicabuntur. Has autem omnes cognitiones originem ſuam deducere à ſenſitiva non ſinit nos dubitare infallibile illud ſuprà adductum effatum: nihil eſt in intellectu, quod priùs aliquomodo non fuerit in ſenſu. Cuius infallibilitatis evidens præbet nobis experientia argumentum, quo conſtat quod ſicut ignoti nulla datur cupido, ita de eodem nulla prorſus detur intellectio: ſic cæcus à nativitate diſcurrere nequit de colore, & privatus ſenſu aliquo externo proprium illius objectum attingere, aut noſſe non poteſt. Iſtud autem, ſenſuum obſequium reſpectu philoſophiæ, an fidele, ſincerumque ſit, illud placet obiter hoc loco confirmare, quòd ſcilicet:

Philoſophiæ ſubſerviens ſenſus circa ſuum ſenſorium debitè applicatus nec falli, nec fallere poteſt.

21 ITa Ariſtoteles contra Scepticos omnem ſcientiam reijcientes, ex eo maximè, quòd poſitum jam principium fallax omnino exiſtimabant: at perperam, & erroneè: nam poſito organo bene cõſtituto, certâque in eo ſpirituum animalium copiâ, debitâ item, vel diſtantiâ, vel præſentiâ objecti, ſpecie præterea eiuſdem objecti ſenſibilis temperatâ, ſenſum circa proprium objectum errare non poſſe, ſic probatur: tum quia omnis potentia naturalis poſitis omnibus ad agendum requiſitis rectè ſemper operatur: neque enim alium in finem conceſſus eſt nobis à natura ſenſus, niſi ut eius beneficio veras eliciamus cognitiones,

ubi

ubi adsunt conditiones ad id requisitæ, siquidem natura de se, id, quod bonum est, ac perfectum intendit semper. Tum etiam quia sensibilia propria se habent ad sensum, sicut intelligibilia ad intellectum, ergo sicut intellectus potest perfectè operari circa intelligibilia, ita & sensus circa sensibilia saltem propria; experimur namque oculum videre semper lumen, & colorem, vel id, quod vim habet producendi horum fpecies, solumqué errare aliquando circa figuram, locum, cæteraqué sensibilia communia; sic qui navi, aut pernici equo, curruvé vehitur, videt arbores, quæ ad littus, vel viæ latus consistunt, quasi moveri, in quo casu errat quidem oculus, at non circa arbores, coloremque arborum, qui est sensibile ipsius proprium, eadem enim saltem æquivalenter species in oculum incidit, ideoq; eadem vera arbor, idemque color semper repræsentatur: in quo minimè errat oculus, alioquin non esset idoneum à natura institutum instrumentum ad videndum, sed fallitur solùm circa motum, & quietem, quæ sunt sensibilia communia, & ab alijs sensibus perceptibilia: quia nimirum in oculum motum immotâ arbore species incidens excipitur aliâ & aliâ parte oculi, quam ob incidentiam motus arboris repræsentatur, qui non est. Quod
22 si etiam quandoque contingat, ut sensus erret etiam circa proprium sensorium, inde provenit, vel quòd organum sit malè dispositum, ut contingit ictericis, quibus omnia flava videntur: vel medium interiacens impedit debitam transmissionem specierum, ut accidit, dum baculus rectus in aqua apparet curvus, vel fractus, vel ob distantiam magnam objecti sensibilis, ratione cuius id, quod magnum est, videtur parvum, ut constat de sole, & stellis, vel demum ob variationem sensationis, vi cuius aliter & aliter repræsentatur objectum, prout evenit in experientia navigantium juxta littus, aut velociter proficiscentium juxta sylvas, &c. An autem ut sensus, ita & serviat tritum jam illud inter recentiores

Philosophicæ cognitioni: non implicat, seu argumentum à non repugnantia?

23 PArs negativa longè nobis videtur probabilior, uti visa est ante nos P. Didaco Ruiz disp. 45. in 1. p. & P. Derkennis in tract. de Deo, disp. 4. Cuius ratio à contrario est, quia certum est, quòd multa sint possibilia, quæ nos existimamus impossibilia, ergo etiam certum esse debet, quòd multa implicent, quæ nos implicare non arbitramur, ex eo, quòd evidentem nequeamus assignare contradictionem. Antecedens patet, quia nos in hac vita non possumus habere completam, & perfectam notitiam naturæ rerum omnium, uti in confesso esse apud omnes suo loco ostendemus; constatque interim ex eo, quòd antiquiores sapientes naturali innixi ratione implicare simpliciter arbitrabantur esse Matrem, & Virginem, Deum, & hominem, Unum & Trinum. Imò non tantùm in supernaturalibus, sed etiam in naturalibus erroneum, ac simpliciter implicatorium existimârunt asserere dari antipodas; zonam torridam, ac frigidam esse habitabiles: globum terraqueum ponderibus libratum suis absque fulcro ullo medio in aëre sustineri, aliaque plura hujusmodi, quæ successu deinde temporis non possibilia tantùm, sed etiam reipsâ dari est deprehensum. Consequentia verò probatur, quia ex ignorantia quam habemus quid possit vel non possit fieri in rebus v. g. physicis activa passivis applicando, temerè argueremus alicuius rei impossibilitatem, ergò ex eadem pariter temerè arguetur rei alicuius possibilitas; dum enim dicitur non implicat, idem omnino dicitur, ac est possibile, vel fieri potest, nisi de nomine quis jurgetur. Consequentia rursus ostenditur, quia ex eo, quòd nobis appareat aliqua contradictio, licet eam in terminis assignare nequeamus, si nulla alia positiva ratio suppetat, affirmare prudenter non possumus talem rem simpliciter implicare, cùm & aliunde, ut receptum fert sapientum monitum: debeamus concedere plus potentiam infinitam Dei posse, quàm limitatus noster intellectus percipere. Adeoque dum dicitur, implicat, seu est impossibile, meritò semper metuere possumus, ne objectum tale, quod impossibile adstruitur, sit ex eorum numero, quorum possibilitas à nobis omnino ignoretur, ergò etiam ex simplici non contradictionis apparentia argui non potest rei alicuius possibilitas; adeoq; argumentum à non implicantia, si absint aliæ rationes positivæ, nihil Philosophicæ cognitioni servit, aliudque planè non probat, nisi hoc unicum, quòd dubium relinquat intellectum, an illud, de quo quæritur possibile sit, an impossibile; æque enim obtrudenti hoc non implicat, obtrudi potest pari jure, aliud simile; non implicat implicare, non secùs quàm adstruenti in magno aliquo arenæ, triticivè cumulo omnia grana esse paria, tantùm ex eo, quod non appareat imparitas; responderi merito posset omnia esse imparia, quia nulla apparet paritas. Utemur proinde parciùs dicto arguendi modo, & nonnisi, quando positivam pro illo adferre poterimus rationem. His igitur ex Prolegomenis tam Logicæ, quàm universæ Philosophiæ prælibatis, modo ad ipsas ejusdem partes gradum promoveamus, ex quibus primùm sese offert, quæ est.

Logica ante reliquas Philoſopho addiſcenda.

24 CUjus noſtri aſſerti ratio eſt hìc breviter (fuſiorem namquè paulò poſt adducemus) quia omnes reliquæ Philoſophiæ partes per ratiocinationes ſyllogiſticas, ac rationes demonſtrativas, definitivas, atquè diviſivas ſecundùm majorem, vel ſaltem nobiliorem ſui partem procedunt, ſed de demonſtratione, alijſquè ratiocinandi ſpeciebus, dequè diviſione, & definitione ſolùm Logica ex profeſſo agit, ergo hæc ad reliquas Philoſopho eſt perdiſcenda.

25 Nequè quis dicat paulò ante dictum fuiſſe, à notioribus nobis incipiendum eſſe; Logicam verò non eſſe de notioribus, cùm ſit potiori ex parte de ſecundis intentionibus, quæ videntur à ſenſu noſtro remotiſſimæ, ergo illam ad cæteras non eſſe perdiſcendam. Sed reſpondetur negando ultimam partem minoris, nam ſecundæ intentiones ità ſunt facilè explicabiles, ſicut grammaticalia ipſa; illæ enim aliud non ſunt, quàm denominationes quædam extrinſecæ, quæ conſequuntur ad intellectûs noſtri operationem circa objectum aliquod; cujuſmodi ſunt eſſe cognitum, prædicatum, ſubjectum, genus, differentiam, ſpeciem, aliaqué hujuſmodi: quæ extrinſecæ dicuntur, quia forma, à qua deſumitur talis denominatio eſt extra id, quod denominatur, ut dum dicimus ſolem viſum, cœlum cognitum &c. eſt merè extrinſeca denominatio, quia forma illius, quæ eſt cognitio, & viſio non ſunt in ſole, aut cœlo, ſed in oculo & intellectu. Dicuntur autem ſecundæ intentiones inde, quòd intellectus poſtquam rem, uti à parte rei eſt, vel eſſe videtur, velut primâ intentione conſideravit. v. g. poſtquam affirmavit ſolem eſſe in cœlo, tum deinde ſe reflectendo cognoſcit ſe prædicâſſe de ſole exiſtentiam ejus in Cœlo, ſicque ſolem appellat ſubjectum, exiſtentiam illius in cœlo prædicatum.

Logicæ Quidditas.

26 QUoad nomen Logicæ attinet, vel nulla, vel exigua eſt difficultas; conſtat enim illam ſuum ſortitam eſſe nomen ἀπὸ τῦ λόγυ, ſive à ratiocinio, & diſcurſu, eò quòd univerſam comprehendat methodum ratiocinandi, & diſcurrendi; quoad rem verò ſpectat, ut, quid illa ſit, definiamus; obſervandum eſt dupliciter eam ſumi poſſe, vel primò pro ipsa potentia naturali intellectiva, quâ apprehendimus, judicamus, diſcurrimus, ſeu pro ipſo lumine naturali, quod nobis dictat quo modo definiendum, & diſcurrendum ſit, vi cujus connaturaliter procedit ipſemet verus & naturalis actus intellectûs: vel ſecundò pro ipſo habitu artificiali, ſeu ſcientifico, quo intellectus inſtructus rectè exercere, ac dirigere ſuas operationes poteſt ad veritatis conſecutionem. 27 Atque de logica in hac ſecunda acceptione ſumpta hic agimus, tametſi ea naturale illud lumen, & capacitatem intellectualem neceſſariò præſupponat, quod patet inde; quia unuſquiſque habitus ſupponit in diſcente naturalem quandam facultatem & propenſionem ergà ſe, quam deindè habitus ſuis præceptis & artificio perficit; experientiâ namqué eſt manifeſtum, quòd unuſquiſque peraſſuetudinem & exercitium juxta præcepta artis evadat excellens in ea facultate, ad quam naturaliter eſt bene diſpoſitus; diſpoſitio enim naturalis fundamentum eſt artificialis, ergo etiam hujuſmodi naturalis facultas præſupponetur neceſſariò à Logica artificiali: quam rectè & quidditativè definiri ſic poſſe arbitramur: 28 Logica artificialis eſt virtus, ſeu habitus practicus ſcientificus, intellectûs humani directivus, cujus finis & inſtitutum eſt dirigere mentis humanæ operationes, ad veritatis, ut exequibilis, conſecutionem. Cujus definitionis perfectio meliùs oſtendi nequit, quàm ſingularum ipſius partium examinando veritatem. Proindè

Logica eſt Virtus, ſeu Habitus intellectualis.

29 RAtio aſſerti hujus eſt, quia artificiali Logicæ convenit propriè ratio virtutis, ſeu habitûs; Virtus enim juxta Ariſtotelem 7. phy. tex. 17. dicitur, diſpoſitio perfecti ad optimũ, eò quòd diſponat potentiam in ſuo naturali ſtatu perfectam ad producendũ aliquid etiam perfectum, quod eſt ejus finis, & optimum, ſed Logica intellectum diſponit ad præcepta vera, & infallibiliter conducentia ad finem intentum; infallibiliter enim benè ſemper deducitur ex præmiſſis ſcientificis ritè diſpoſitis, ſcientifica concluſio, ex probabilibus probabilis, ergo ipſa Logica eſt virtus, non quidem moralis quæ diſponat per ſe operantem ad operationes honeſtas, & reddat illum ſimpliciter bonum, ſed intellectualis diſponens ad veritatem, quæ eſt bonum reſpectu intellectûs, redditque operantem bonum cum addito v. g. bonum Logicum, bonum argumentantem.

30 Neque obſtat aſſerto, quòd concluſio probabilis, ad quam Logica Topica per ſua præcepta intellectum immediatè diſponit, aliquando ſit fallax & falſa; nam ad rationem virtutis intellectualis, & præſertim practicæ, ſufficit, ut præcepta ipſa, ad quæ Logica immediatè diſponit, ſint vera, ſicut ſufficit ad Prudentiam, reliquoſqué habitus, & ſcientias quæ immediatè diſponunt ad actus veros. Imò hoc ipſo

quòd

quòd concluſio probabilis plerumque ſit vera, licet annexum habeat periculum falſitatis: eſt tamen bonum ſimpliciter intellectûs, ſicut Medicina licet ſecum ſæpè adferat mortis periculum, eſt tamen infirmo ſimpliciter bona, & ab illo prudenter expetibilis, quia plerumque cauſat ſanitatem. Dicitur præterea in definitione data quod ſit.

Logica habitus practicus.

31 QUod ut oſtendatur, ſupponendum eſt cum communi Philoſophorum ad vitandas multas quæſtiones de nomine, Practicum propriè illud dici, quod ex ſe ordinatur ad praxin, ſeu operationem; ordinari autem ex ſe ad operationem, eſt ſic ordinari, ut poſitâ cognitione practicâ in intellectu, non requiratur alia, ad hoc ut operetur, ſed accedente voluntatis imperio, poſſit ſatis ab ea dirigi ad operandum: quapropter cognitio practica dicitur eſſe ultima cognitio, per quam redditur operans completè potens ex parte intellectûs ad opus ſuum exequendum. Cujus ratio eſt, quia alioquin illa non diſtingueretur à ſpeculativa, cùm nulla ferè dabilis ſit ſpeculativa cognitio, quæ remotè non dirigat ad opus aliquod faciendum; ut detur ergo ultima diſtinctiva ratio inter has duas cognitiones, neceſſariò dici debet, quòd eſſentia cognitionis practicæ in eo ſita ſit, ut ultimò dirigat ex parte intellectûs ad opus quâ operabile, explicando modum, quo opus ipſum factibile eſt, juxta debitum & convenientiam, quam habet natura rationalis adhibendi talem modum, ſi velit operari, Quibus præmiſſis.

32 Ratio poſitiva aſſertionis eſt, tum quia ille eſt habitus formaliter & eſſentialiter practicus, quod eſt operativum objecti, ut conſtat à paritate ex omnipotentia Dei, tum ex Medicina, Rhetorica, Poëtica, &c. quæ ideò dicuntur per ſe practicæ, quia ſunt objecti ſui operativæ, ſed Logica etiam eſt operativa ſui objecti; probatur, quia objectum Logices, ut mox dicetur, eſt conformitas actuum intellectûs cum objectis cognoſcibilibus, Logica autem eſt operativa ſimpliciter talis conformitatis; conſtat, quia illud eſt principium operativum talis conformitatis, quod eſt principium per ſe efficiendi illam, vel dirigendo ipſam, vel concurrendo effectivè ad illam, vel præſcribendo regulas ad eius effectionem, quod Logica ſimpliciter præſtat; nam dat regulas, & præcepta ad illius productionem, producitquè illam quatenùs eam continet in ſua propria virtute productiva ipſius per ſe, & nullatenus per accidens; cùm continentia talis conformitatis ſit ipſa omninò intrinſeca entitas, & eſſentia habitûs Logici; patet, quia entitas, ſeu intrinſeca eſſentia habitûs, eſt virtus productiva illius, quod producit, cùm habitus ſit qualitas eſſentialiter operativa, ſed quando continentia alicuius eſt intrinſeca entitas ipſius habitûs, res contenta in ipſa virtute non poteſt contineri per accidens, ſed per ſe, ut patebit in cauſis omnibus, quæ per ſe continent virtutem productivam ſuorum effectuum, ergo etiam habitus Logicæ cum per ſe contineat conformitatem actûs intellectûs cum objecto intelligibili, etiam eandem producet per ſe vel elicitivè, vel directivè, vel quocumque alio modo, ſiquidem productio aliud nihil eſt, quàm exercitium continentiæ, & virtutis.

33 Tum etiam, quia ille habitus eſt formaliter & eſſentialiter practicus, cuius actus per ſe ſunt practici, ſicut enim actus naturales producuntur ab actibus naturalibus, & ſunt in ordine ad alios actus eiuſdem rationis, ita habitus practicus producitur ab actibus practicis, & eſt in ordine ad alios actus practicos, huiuſmodi autem eſſe actus Logicos in confeſſo eſt ferè apud omnes, & probatur, quia verſantur circa praxin formaliter, cum verſentur circa opus, ut inductione ſufficientiſſimè conſtat, ergo.

34 Nec obſtat 1 quòd Logica ex ſe ſua habeat principia propria, uti ſunt illa: Dici de omni, & dici de nullo, in quibus omnis vis ſyllogiſtica fundatur, quæ principia non videntur eſſe practica, cùm in ea propoſitione, quod affirmatur, vel negatur de univerſalibus, affirmetur vel negetur de contentis ſub illis, non pendeat à directione logica, ſed eſt paſſio neceſſariò conſequens illud principium, ergò circa illud non poterit Logica verſari modo operativo. Nam imprimis abſolutè eſt falſa maior ſiquidem principium illud, eſt principium proprium Animaſticæ deductum ex principio univerſali metaphyſico: quod complectitur omnia, complectitur etiam ſingula: illud enim aliud non ſignificat, quàm, quòd cognitio univerſalis de omnibus individuis alicuius naturæ confusè cognitis, cognoſcat etiam quodlibet illorum, ita ut nullũ dici poſſit non cognoſci, hoc autem eſt principium animaſticæ ſpeculantis naturam actûs confuſi intellectûs: ſimiliter alterum: dici de nullo, eſt, quòd cognitio excludens omnia, excludat etiam ſingula particularia, quod certum eſt eſſe principium à metaphyſica cõmunicatum animaſticæ. Deinde datâ etiam maiori, adhuc negatur minor, quia ſcilicet dantur propria principia etiam in ſcientijs practicis, uti conſtat ex Ethica; quæ principia, quia ordinantur ad probanda practicè præcepta talis ſcientiæ, ideò non bene arguitur ex hoc, quòd talis facultas non ſit practica, quia eſſe practicum, deſumitur ab ultimo fine intento à tali habitu, ut prius diximus.

Nec

35 Nec obſtat 2. quòd Logica videatur habere multos actus ſpeculativos, cujuſmodi ſunt illi: ex præmiſſis evidentibus ritè diſpoſitis ſequitur evidens concluſio, ex probabilibus probabilis: item genus latiùs patet ſuis differentijs: definitio convertitur cum ſuo definito, &c. qui actus ſiſtunt in pura contemplatione objecti, cùm nec opus faciendum, nec modum ullum illius præſcribant. Nam rectè quidem dicitur, quod videantur eſſe ſpeculativi; ſi enim non vocum ſonus, ſed ſignificatum earundem attentiùs ſpectetur, manifeſtum eſt quod illi in re practici ſint: nam ſi exponantur adductæ propoſitiones, earum primæ eſt hæc exponens: ut deducatur concluſio evidens, debent aſſumi præmiſſæ evidentes, ut deducatur probabilis, probabiles: ut rectè definiatur, debet definitio converti cum definito; idemquè dic de reliquis, quas exponentes æquivalere expoſitis nemo negabit; niſi qui jurgium de nomine amaverit.

36 Neque ex hac reſponſione ſequitur nullam prorsùs cognitionem ſpeculativam dari in ulla ſcientia, niſi forte in illa, quæ de Deo eſt, nam omnis prepoſitio poſſet ſic reſolvi in aliam, quæ modum operis faciendi oſtenderet, ſic cognitiones animaſticæ practicæ eſſent, quia ex illis poſſet determinari quis ad eligendum v. g. hunc, vel illum cibum nutritioni magis conducibilem. Contra enim negatur ſequela, & diſtinguitur ipſius probatio, omnis propoſitio poſſet reſolvi in aliam, quę modum operis faciendi oſtendat eſſentialiter, intrinſecè, & ex fine proprio falſum eſt, per accidens, extrinſecè, & ex fine agentis tranſeat, juxta quam diſtinctionem, verum eſt, ut ſupra jam inſinuatum, nullam eſſe propoſitionem, quantumvis ſpeculativam, quæ ex intentione, & fine agentis dirigi nequeat ad aliquod opus, ſed de hoc hìc non agimus; adeoqué hujuſmodi objectiones evidenter confundunt finem intrinſecum, & extrinſecum, ſcientiæ & ſcientis, qui tamen inter ſe ſunt diſtinctiſſimi: quòd autem ſic confundantur in hujuſmodi objectionibus illi fines, patet ex eo, quod adferunt de homine, qui vellet ſcire cognitiones ſpectantes ad ſyllogiſmum, abſque eo, quòd unquam vellet facere ſyllogiſmum: talis enim haberet eſſentialiter cognitionem practicam, quam in actum deducere nollet ex proprio ſuo beneplacito, à quo ſine dubio eſſentialis ratio practici, & ſpeculativi non pendet.

37 Neque obſtat 3. quòd ſi principia Logicæ non ſpectarent ad Logicam, ſed ad Animaſticam aut Metcphyſicam, ſequeretur 1. Logicam non fore ſcientiam, qualem mox dicemus eſſe. 2. Animaſticam, & non Logicam ſubminiſtrare alijs ſcientijs ſciendi modum. 3. actum expreſſivum per modum generis, vel differentiæ, prædicati aut ſubjecti ſpectare principaliter ad Animaſticam. Sicut enim hæ ſequelæ facilè inferuntur, ita eodem modo ſingulæ negantur. Ratio cur negetur prima, eſt quia in confeſſo eſt, etiam per adverſarios, quòd non ſolùm ſcientia ſpeculativa, ſed etiam practica habeat veras & proprias demonſtrationes, ſiquidem & illa eſt cognitio certa, & evidens per cauſam, in quibus tamen non ſiſtit, ſed ex eſſentia ſua eas ulteriùs ordinat ad opus aliquod. Ratio cur negetur ſecunda eſt, quia tametſi talibus principijs aliunde ſibi communicatis Logica utatur ad bonitatem ſuorum præceptorum practicè demonſtrandam, ſicut artes omnes aliquâ cognitione ſpeculativâ, non ſpeculativè utuntur ad probanda ſua præcepta: quia verum eſt, quòd omnis cognitio practica fundetur in aliqua ſpeculativa; non tamen ſequitur aliam ſcientiam eſſe præceptivam modi ſciendi: aliud enim eſt prębere fundamentum, quo quis practicè utens demonſtrare poſſit bonitatem talis modi, aliud eſt præbere, & facere practicè talem modum: Ratio demum negandi tertiam, abſquè petione ullâ principij, quod maximè adverſarij urgent, eſt falſitas ſuppoſiti, quo ſupponunt, eſſe expreſſivum per modum generis, vel differentiæ, prædicati, vel ſubjecti eſſe quid ſpeculativum, cùm in terminis id implicet, quibus luculenter per ly *expreſſivum* denotatur, id operis eſſe præcisè habitûs practici: nam eſſe expreſſivum operis faciendi practicum ſimpliciter eſt, cùm eſſentialiter in tali expreſſione involvatur praxis; niſi quis dicere velit, quòd, qui vinum ex botris, & oleum ex olivis exprimit, circa vinum, oleumqué merè ſpeculativè ſe habeat.

38 Nec obſtat demùm, quòd Logica per ſe habeat pro fine, & objecto attributionis veritatem, ut infrà dicemus; nam non habet illam pro fine ſui actûs præcipientis, ſed illam ordinat ad conformitatem actuum cum objectis, quæ conformitas eſt ipſius opus artefactum. Quare veritatem ſui actûs dirigentis requirit tanquam bonitatem utilem, & ordinatam ad finem, hoc eſt ad veritatem actûs ſcientifici; ſeu practici, quod contingit, dum ipſum elicit in propria materia; ſeu ſpeculativi, quem Logica dirigit quidem, non verò elicit: ac proindè inter Logicam, & ſcientias ſpeculativas, quas in eliciẽdo actus conformes objectis ipſa dirigit, hæc intercedit differentia, quod illæ conſiderent conformitatem ſeu veritatem tanquam finem ſpeculatum, Logica verò eandem reſpiciat, ut opus faciendum; ſicqué illa non dirigit veritatem actuum ſpeculativorum, ut finis ſpeculatus ab illis eſt, ſed ſolùm ut eſt finis elicitus, qui finis ſunt ipſæ cognitiones verſantes circa objectum ſpeculatum, indigentes directione logicâ, ad hoc ut benè fiant: ex quo clarè patere poteſt, quo pacto Logica

ſit

sit practica, dum versatur circa veritatem ut operabilem, non ut speculabilem. Quibus non obstantibus adhuc tamen verum est assertum, quod inferimus ex consequentibus partibus datæ suprà definitionis,

Logica est in rigore, & propriè dicta scientia.

39 QUod assertum tametsi plurimos sibi habeat adversantes, qui ut feliciùs illud impugnent etiam ipsum in subsidium advocant Aristotelem, nobis tamen probatur; quia illa notitia intellectualis videtur esse in omni rigore scientifica, quæ habet multos, ac varios actus evidentes, ex præmissis evidentibus & certis deductos, alioquin nulla daretur simpliciter scientia; nulla siquidem est, quæ non agat de probabilibus multis tantùm probabiliter, ut inductione patet, tales verò actus plurimos evidentes habere Logicam, nemo ignorare potest, nisi qui ignorat, eam demonstrare modos concludendi imperfectos reducendo illos ad perfectos: demonstrare item definitionem constare debere genere proximo & ultimâ differentiâ, ex eo quòd sit oratio explicans rei naturam: eam pariter debere esse clariorem definito, cum eo converti, ac reciprocari, &c. non pauca quoquè de argumentatione, divisione, alijsquè objectis eundem in modum manifestè concludit. Tum quia si Logica non esset scientia propriè dicta, sequeretur nullam esse scientiam, nam omnes scientiæ in formali sua infallibilitate nituntur directivè in forma syllogistica, absquè qua nulla formalis consequentia est deducibilis. Tum demum quia à principijs claris, & evidentibus derivatur claritas, & evidentia in subjecta, quorum sunt principia, sic v. g. omnia corpora sublunaria quatenus visibilia sunt, connotant principium lucis & claritatis, solem nimirum, qui in ordine ad hunc effectum est illorum principium; ideoquè ab eo derivatur lux, & claritas in talia subjecta, ut visibilia, & in visivam potentiam, ut possit actualiter illa videre, sed Logica & logicæ conclusiones connotant illa principia intrinsecè evidentia: impossibile est idem esse, & non esse: item quod dicitur de omni, dicitur & de quovis contento sub illo &c. ergò ab illis derivatur in Logicam, ejusquè conclusiones evidentia, & certitudo formalis, ratione cujus Logica ipsiusquè conclusiones meritò scientia, & scientificæ dicantur.

40 Neque obstat 1. authoritas Aristotelis 2. Met. ajentis, absurdum esse simul scientiam, & modum sciendi quærere, ex quo inferunt Logicam ab Aristotele per modum sciendi intelligi. Nam Philosophus citato loco agit solùm contra quosdam, qui uno tempore varijs artibus, ac scientijs sese impendebant, nulliusque fiebant compotes, quos reprehendens ipse, dicit absurdum esse simul tam varia, seu docendo, seu discendo commiscere, cum difficultates quæ occurrunt in tradenda, & discenda Logica, sufficienter intellectum addiscentis occupent.

41 Nec obstat rursus, quòd Logica secundùm partem topicam generet opinionem, & secundùm sophisticam errorem. Quia illa opinionem generat infallibiliter, & scientificè, demonstrando per sua præcepta modum infallibilem, & certum concludendi probabiliter, adeoquè actus ejus regulantes sunt certi, & infallibiles, esto regulati sint solùm probabiles; quod idem dic de sophistica, ejusquc actibus, per quos non causat, sed demonstrat infallibiliter errores, & fallacias argumentorum, modumque, quo illæ solvi, & evitari possint.

42 Neque obstat demum quòd Logica non habeat objectum necessarium, quale requiritur ad scientiam, cum infrà assignaturi simus pro objecto illius omne cognoscibile ut rectè, & verè cognitum. Nam ens cognoscibile quatenus subsat in sui cognitione infallibilibus Logicæ præceptis quoad essentias & proprietates aliter se habere non potest, licèt contingenter, & quoad existentiam, & quatenus non subsat præceptis Logicæ possit rectè, vel erroneè, verè vel falsè cognosci; quod non officere rigorosæ rationi scientiæ, patet tum ex Physica, tum ex Mathematica, quarum objecta quoad existentiam necessaria non sunt: imò si talis simplicitèr objecti necessitas requireretur ad scientias, solus DEUS objectum esset omnium scientiarum, quia ipse solus est ens necessariò & absolutè existens. Unde inferimus, & dicimus

Logica non est Organum, aut Modus sciendi.

43 CUjus illationis ratio est, quia habitus cognoscens, & tradens modos, instrumentaquè sciendi, formaliter non est modus, aut instrumentum sciendi, sed est illius causa efficiens, ut constat, ergò Logica, quæ hos tradit, non modus, aut organum sciendi erit, sed horum effectiva & præceptiva. Quòd autem Aristoteles sæpius eam vocet instrumentum, modum, organumquè sciendi, hoc facit à posteriori tantùm, & intuitu ipsorum præceptorum, quæ à Logica tradita respectu operantis, se habent quasi quædam regula, seu norma directiva operis artificiati, non verò respectu habitûs tradentis, & elicientis hujusmodi regulas & præcepta, quem ex dictis satis constat esse scientificum, & causam quandam universalem concurrentem directivè cum omnibus alijs scientijs ad eliciendos actus scientificos. Atquè ex hinc dicimus rursus.

Logica nec Ars est, nec Opinio; multò minùs Intellectus, seu habitus primorum principiorum.

44 PRima asserti pars probatur nobis inde, tum quia Logica non est habitus factivus, & relinquens opus externum aliquod permanenter, qui solus per Aristotelem libro 4. Moral. est propriè ars: tum etiam, quia Logica versatur circa cõformitatem actuum intellectualium cum objectis intelligibilibus secundùm infallibilia sua præcepta, quæ conformitas quantùm est ex se non remanet, sed cum ipsa mentis operatione transit, & desinit. Dixi quantùm est de se, quòd enim aliquando remaneat in chartis descripta, per accidens est, & infirmitatem scientis indicat, non naturam scientiæ. Quod ulteriùs contra assertum obijci potest, de puro nomine arbitramur, eò quod proveniat ex sola non recta explicatione illius definitionis Aristotelicæ, quâ dicitur Ars, habitus cum vera ratione effectivus: magis autem à vero aberrat, qui Artem activam, & Scientiam practicam pro eodem accipiunt, immemores Artem & Scientiam esse duo è cæteris membris adæquatè dividentibus habitum intellectualem ut sic.

45 Altera assertionis pars inde constat, quòd opinio sit ex se fallibilis, utpote innitens medio & motivo solùm probabili; assensus verò Logicæ è contra innitatur motivo vero, & infallibili, uti constat ex dictis in probatione præcedentis asserti.

Nequè obstat quòd multa disputentur & asserantur in Logicâ probabiliter tantùm; hoc enim verum est solùm de Logica latissimè & impropriè sumpta; quantumvis enim in tota latitudine illius Logicæ, quæ in scholis ad ingeniorum exercitationem pertractatur, non modò opiniones, sed subinde etiam falsitas reperiatur; falsum tamen est præcipuam ejus partem, quæ est Logica docens, esse opinionem, quia hæc non solùm docet infallibiliter operari, sed etiam tradit regulas certas, & evidentes, certis, & infallibilibus principijs innixas, ut qui ijs utitur, non modò non aberret à vero, sed etiam sciat se non posse errare.

46 Tertia quoque asserti pars patet inde, quia licèt Logica utatur aliquibus principijs lumine naturæ notis, non tamen ab ijs purè acceptis est orta, vel in illis contemplandis tantùm sistit, ut manifestum ex dictis est. Quòd si quis illam cum sapientia confundat, eidem minimè assentimur; quia Logica non versatur circa suum objectum per causas altissimas & universalissimas, quod est proprium sapientiæ, verùm per proximas & immediatas, quod convenit soli scientiæ. Multò minùs illi placent, qui Logicam identificant Prudentiæ, quamvis hoc esset summè necessarium, & utile; cum hæc virtus, tametsi intellectualis sit, versetur tamen proximè circa actus voluntatis, ut suo loco dicemus, eosquè in particulari dirigat. Verùm

Logica est actuum intellectualium directiva ad veritatis, ut exequibilis, consecutionem.

47 QUæ assertio insinuata suprà in illis differentialibus particulis datæ definitionis Logicæ, occàsionem nobis præbet tractandi quodnam sit Logicæ objectum; circa quod nè multùm laboremus in quæstione de nomine, illud universim objecti vocabulo nobis venit, quod proponitur & objicitur actibus alicujus seu potentiæ, seu scientiæ; sic colorem quem videmus, dicimus esse objectum potentiæ visivæ, verum, quod cognoscimus, objectum intellectûs, ejusdémq; actuum & habituum, &c.

48 Adeóque latissimè sic sumptum, dividi solet in objectum Cõmunitatis, & Attributionis: illud est, quod quomodocúmque attingitur ab aliqua potentia, vel scientia: sic dicimus objectum artis pictoriæ esse colores, colorum mixtiones, mensuras, proportiones membrorum, lineas, circulos, reliquáque omnia quæ ars talis ad suum exercitium requirit. At Attributionis est illud, ad quod omnia, quæ in certa aliqua scientia tractantur, ultimò reducuntur: quod tale ut sit, tres inprimis requirit conditiones, nimirum ut sit unum; ut talis scientia, vel ars per se circa illud versetur, & demum ut per illud illa scientia in suo esse proprio constituatur, & distinguatur ab omni alia, quæ talis scientia non est. Quas tres conditiones requisitas ad attributionis objectum, quia sufficiens Philosophorum consensus probat; ideò non operæ pretium ducimus, eas ulteriori aliquâ fulciri debere ratione.

49 Consurgit verò attributionis objectum, quod etiam totale à nonnullis nominatur, ex materiali & formali. Illius nomine intelligimus id, circa quod scientia vel Ars immediatè per actus suos versatur: formalis verò id, per quod contrahitur & determinatur materiale ad considerationem propriam talis Artis, aut scientiæ: quibus positis, ut conformiter ad reliquas scientias, etiam Logicæ nostræ objectũ procedendo juxta naturalem methodum, quæ semper à partib⁹ ad totũ progreditur, dicimus

Logicæ adæquatum materiale objectum est omne quod quomodolibet participat rationem cognoscibilis, quatenus proximè Logicæ Artificio subesse, eique adaptari potest.

50 HOc ut amplectamur placitum, præter rationes mox adferendas, illud præsertim movet,

movet, quod in summâ opinionum circa id diversitate, hoc unico & comprehendamus omnes, & excludamus nullam. Cui accedit ratio efficax à paritate reliquarum scientiarum, & artium practicarum, quarum totum artificium adlaborat in eo, ut adaptet aliquam formam alicui materiæ, eo pacto, quo totum artificium statuariæ v. g. in eo consistit, ut marmori adaptet varias figuras; cum igitur Logicæ universum Artificium in eo consistat, ut cognitio formalis conformetur cognoscibilitati entis intelligibilis, consequenter adstruimus ens cognoscibile prout proximè Logicæ artificio adaptari potest, esse objectum materiale Logicæ: hoc enim & tali artificio immediatè objicitur, & amplius est pars objecti totalis, seu attributionis, & simul indifferens, sibi ut adaptatetur, vel non adaptetur formalis cognitio.

51 Quod ipsum ipsa supra explicata confirmat natura Logicæ, quæ suas ut eliciat operationes immediatè versatur circa cognoscibilitatem objectivam entis de quo agit, ut eam cognoscat, subijciat, prædicet, definiat, dividat &c. Quo modo illa cognosci, subijci, prædicari &c exigit: si enim aliter versaretur Logica per suas operationes circa materiale suum objectum, quàm hoc exigat; nec faceret rectas ullas operationes; cùm tota Logicæ rectitudo in eo sita sit, ut objectum formale, seu cognitiones intellectuales cõformentur objectivæ cognoscibilitati, tanquam suæ regulæ, mensuræ, & specificativo. Hanc autem rationem normæ, regulæ, & specificativi operationum Logicæ formalium, subire posse, quidquid quomodocumque cognoscibile est, patet vel ex eo, quòd implicaret alioquin, ut illud definiret, divideret, aliovè quovis modo circa ipsum operaretur: sicut enim repugnat connaturaliter loquendo, ut potentia aliqua versetur immediatè circa objectum, quod est sibi omninò extraneum, & nullatenus continetur intra sphæram talis potentiæ, ita repugnat, ut scientia aliqua immediatè agat circa objectum, quod sibi non est proprium, eidem suos actus, illúdque actibus suis conformando, & adæquando; ergo cùm hoc præstet Logica respectu cujuscumque entis cognoscibilis, uti universalissimâ patet inductione, meritò istud in tota sua latitudine pro adæquato materiali objecto illius constituimus.

52 Neque obest Ingenioso cujusdam molimen huic nostræ assertioni, quo eam sic arietat: Hæc sententia, vel pro objecto materiali Logicæ statuit ens primò intentionaliter, ac physicè tantùm sumptum, quod est ab omni ratione alienum; vel secundò intentionaliter acceptum, sicque nihil novi adfert præter solas voces, & earum abusum; omnes enim ferè authores in hoc conveniunt, quòd ens cognoscibile sic sumptum subijciatur Dialecticæ. Huic enim contra nostram sententiam telo sicuti facilè vibratur, ita & faciliùs occurritur; constat namque imprimis ens secundùm se à nobis non statui pro objecto materiali Logicæ, sed solùm quatenus ipsius artificio subest; neque propterea abutimur vocibus, aut de ijs quæstionem facimus, quia præter ens positivum, seu res ipsas, admittimus etiam reipsâ aliquod aliud cognoscibile à Logica, nimirum entia ipsa Negativa, Possibilia, Impossibilia, & Fictitia, quæ sub nomine entis positivi, vel rei, nullatenus intelligi possunt. Quòd verò id adstruamus, ex eâdem facimus ratione, quâ adversarius adstruit res omnes esse objectum Logicæ; quia scilicet definiuntur, dividuntur, prædicantur &c. non solùm res, sed etiam rerum carentiæ, possibilia, ac impossibilia, quæ etiam immediatè actibus logicæ attinguntur, ut ex communi authorum consensu satis constat.

53 Leviores quasdam, quæ contradicta fieri possunt objectiones, solvet quivis facilè, si accuratè adverterit, non requiri necessariò ad objectum materiale alicuius Artis, vel scientiæ, ut perficiatur intrinsecè, & intrinsecè informetur à forma talis Artis vel scientiæ; hoc enim se habet merè per accidens, cùm plurimæ sint artes, quæ per suas formas non perficiunt, sed deteriorant materiam secundùm se, ut illam suis usibus adaptent, uti patet in Artibus, Lignariâ, Statuariâ, alijsquè his similibus. Adeoquè ideo simpliciter aliquid dicendum est objectum materiale alicuius artis, vel scientiæ, non quia perficitur, ac recipit intrinsecè formam, sed quia totum artificium artis in eo consistit, ut adaptet, & quodammodo commensuret formam suam tali materiæ.

54 Atque hinc ruunt illa quorundam assumpta, quæ velut jam axiomata usurpabãt in præsenti materia: qualia sunt: objectum materiale Logicæ est, quod potest bene vel malè fieri: iterum objectum materiale Logicæ est, in quo rectæ operationes recipiuntur; & tertium: objectum materiale Logicæ est, in quod introduci potest forma logica, velut realis aliqua eiusdem perfectio. Et quartum: illud est objectum materiale Logicæ, quod à Logica est dirigibile: aliæquè huiusmodi plures propositiones, quas passim in manuscriptis præsertim recentiorum, est reperire. Sic autem statuto materiali, dicimus ulteriùs.

Logicæ formale objectum sunt operationes intellectûs conformes illius præceptis.

55 HAnc ut stabiliamus positionem, quasi pro basi supponimus, in recta quavis intellectuali operatione duplicem rectitudinem,

nem, ſeu conformitatem reperiri, unam, quæ eſt operatio conformis objecto, quod repræſentat, alteram, quâ eadem eſt conformis præceptis, juxta quæ elicitur, in qua ſecunda acceptione ſumptæ operationes, non quidem in ſuppoſitione collectiva, ſeu copulativa, ut quidam exiſtimant, cùm tales nec dentur, nec dabiles ſint in natura, ſed in ſuppoſitione diſtributiva, ad eum ferè modum, quo Medicina præſcribit regulas, non quo modo Petrus febricitans tantùm, ſed quo pacto omnis febricitans ſit ſanandus, quo poſito. Ratio noſtræ poſitionis eſt, quia per operationes conformes Logicæ præceptis materiale eius objectum determinatur ad conſiderationem propriam logici habitûs; hac enim ſub conſideratione ens cognoſcibile â nulla alia ſcientia, vel habitu conſideratur, ut patet univerſali, certâquè inductione. Accedit quòd Logica dat præcepta ut rectè fiant ſingulæ intellectûs operationes, cùm unamquamquè perfectam reddere intendat: non quidem ita, ut doceat quo pacto judicium v. g. falſum fieri poſſit verum, ſed ſic, ut oſtendat modum, quo hìc & nunc debeat id fieri, & alterum omitti.

56 Nequè obſtat quòd operationes intellectûs ſint per multos objectum formale Animaſticæ; cùm hujus ſit conſiderare earum eſſentiam, effectus, & proprietates; nam Animaſtica ſolùm conſiderat illas quà vitales, quà naturales, quà effectuum directivas, quà ſpirituales, non verò quatenus ſunt definitiones, diviſiones, ratiocinationes, veræ vel falſæ.

57 Nequè obſtat rurſus quòd nequeant aſſignari illæ pro Logicæ formali objecto in ulla differentia temporis, cùm in tantùm tales ſint, in quantùm de illis poſſunt dari præcepta. Nam operationes intellectûs tales non ſunt, quæ poſſint eſſe rectæ, vel non rectæ in ſe pro ulla temporis differentia, ſed in tantùm ſolùm Logica dicitur de ijs tradere præcepta, in quantùm præſcribit modum intellectui de ijſdem eliciendis juxta ſua præcepta, propriumquè artificium; ex quo apparet ſolum intellectum indifferentem eſſe, ut loco operationis non rectæ, rectam eliciat, non verò operationes ipſas: quæ etiam dici poſſunt abſtrahere ab omni determinato tempore, cùm illæ ſecundùm ſe præcisè nullum involvant tempus, niſi fortè hoc præcisè ponatur pro illarum objecto determinatè.

58 Nequè obſtat prætereà quod prima operatio non videatur ſecundùm ſe à Logica expetibilis, cùm ſit tantùm in ordine ad ſecundam, in qua reperitur formalis veritas; tum quia hoc argumentum probaret etiam quòd ſecunda non eſſet expetibilis per ſe, cùm ordinetur ad tertiam connaturaliter, quod plurimi adverſariorum negant; tum etiam quia prima operatio præſcindendo à ſecunda, & tertia eſt aliqua intellectualis perfectio; ſicut viſio eſt perfectio videntis, eò quòd cognoſcat omnia colorata; ita operatio prima eſt perfectio intellectûs, eò quòd illâ apprehendat quodvis intelligibile; unde ſi daretur intellectus, qui poſſet duntaxat bene apprehendere objecta, etiamſi nequiret ferre judicium de apprehenſis, ex ſola tamen hac apprehenſione haberet in ſe aliquam perfectionem, non ſecùs quàm viſus habeat dum videt objecta, licet de illis judicium ferre nequeat.

59 Quòd ſi Ariſtoteles aliquãdo dixerit in prima operatione non reperiri veritatem, intelligendus eſt loqui de veritate formali, non autem deveritate repræſentationis; ſicut etiam dum ex profeſſo videtur omnia dirigere ad ſyllogiſmum, & demonſtrationem; hoc enim facit non quòd hæc ſtatuerit pro objecto formali Logicæ, ſed quia horum difficilis erat tractatus, utpote parum notus, ſi ipſi credimus, ſuos apud anteceſſores. Et ex his.

Logicæ objectum adæquatum ſeu attributionis.

60 Eſſe aſſerimus conformitatem operationum intellectûs cum objecto cognoſcibili, vi cujus illæ huic adæquantur, hoc verò ita ſe habet, quemadmodum ab illis repræſentatur. Hoc enim per omnes ſuos actus Logica intendit, ita ut in eo præcisè poſito illa conquieſcat; nam ex natura ſua intrinſeca ad hoc ſolùm eſt inſtituta, ut conformet actus intellectuales cum objectis, iſtaquè illis, ſic, ut rectè cognoſcantur ab intellectu, in quo conſequendo totus labor Logices deſudat, quò præcaveantur errores in quos intellectus incurrere poteſt in ſuis operationibus, quod alio modo aſſequi nequit, quàm per hujuſmodi conformitatem: hâc enim habitâ conquieſcit Logica, non ſecùs ac Ethica, quæ quieſcit in conformitate actuum voluntatis cum dictamine rectæ rationis.

61 Nec obſtat quòd objectum attributionis Logicæ debeat eſſe objectivum exemplar, conducens ad aliarum ſcientiarum conquiſitionem, cujuſmodi non videtur eſſe illa conformitas actuum cum objectis, ſiquidem nullus ſibi proponit eſſentiam actûs formaliter veri, ut in alijs ſcientijs ad ejus normam actus veros eliciat. Quantumvis enim verum ſit, quòd nemo ſibi proponat imitandam veritatem in communi, quia eſt exemplar in communi, attamen illud ſibi proponit, quatenus contrahitur ab addiſcente alias ſcientias ad exemplaria quædam in particulari formata ad illius imitationem: non ſecus quàm per adverſarios proponitur communis ratio vel definitionis, vel demonſtrationis ad hoc ut reliquæ

quæ scientiæ in propria materia rectè definiant, aut demonstrent.

62 Nec obstat iterum, quòd veritas sit proprietas demonstrationis, adeoqué illa huic, non viciſſim, debeat attribui: nam de veritate solùm speculativa, non autem de practica id verificatur; adeoqué Logica, cùm sit habitus practicus, demonstrationem dirigit ad veritatem ipsam exequibilem, non secùs ac musica dirigat ad executionem numeri, quia sonorus est, & ad oblectandum auditum idoneus.

63 Nequé obstat ulteriùs, quòd ex hac nostra positione sequi videatur veritates omnium aliarum scientiarum spectare ad objectum Logicæ, cùm hæc intellectum instruat suis præceptis ad consecutionem omnium illarum veritatum; Falsa enim sequela est, quia potest quis esse Logicus optimus absque eo, quòd veritates actuales reliquarum scientiarum possideat: nam sufficit illi ad hoc, si eas facilè consequi possit, instructusqué sit præceptis sufficientibus ad eas actu possidendas, si velit: quem ad modum potest esse quis perfectus architectus, absque eo, quòd actu domum construat, non tamen absque eo, quòd actu construere possit, si vellet; de ratione enim habitus practici non est, ut docet Aristoteles 1. Rhetoricorum, actu exequi suum opus, sed solùm ut actu exequi illud possit.

64 Nec demum obstat, quòd Logica sit non tantùm de vero, sed etiam de verosimili, cùm doceat in utramque partem probabiliter disputare. Logica enim etiam dum de ipso verosimili agit, veritatem à se exequibilem intendit; nam sicut Medicinæ objectum est sanitas absolutè spectata, tametsi illa non tantùm doceat, quo modo corpus certò & infallibiliter, sed etiam quo pacto verisimiliter, & contingenter sanetur; sic Logica licet agat etiam de verosimili, habet tamen simpliciter, & absolutè pro objecto veritatem. Ad quam ipsam verisimilitudinem ordinat; imò nec hanc solùm, sed etiam veritates ipsas per se notas, quæ, quibus modis defendi, ac ostendi possint, juxta suum artificium Logica demonstrat: adeóque nihil obstat, quo minùs omnis omnino veritas, seu conformitas actûs cum objecto assignetur pro illius objecto adæquato, seu attributionis. Porrò hoc

Logicæ objectum est adæquatum ultimum specificativum omniũ illius actuum.

65 Quod præstat tribuendo illis ultimam extrinsecam differentiam specificam, nam ad illud, illi tanquam ad suum terminum proprium, & ultimatum dicunt essentialem ordinem, transcendentalemqué dependentiam; sicut enim impossibile est dari actum talis habitûs absque tali determinato specificè objecto: objectum enim est, quod assimilat sibi cognitiones, in esse talis cognitionis; quod patet; objecta enim respectu actuum se habent, ut rerum semina, quoad specificationem earundem: sicut ergò semen v. g. tritici, est causa partialis, & specificativa tritici in esse tritici: & albedinis impressa species, quæ est veluti semen ejusdem, est causa partialis, & specificativa visionis, quæ secundùm se esse posset rubri, viridis, flavi, &c. ut sit tantùm visio albi, & nullius alterius coloris expressiva; ita pariter objectum specificat, & determinat actus, ut sint procedentes à tali habitu & non ab alio: nam cùm potentiæ, seu habitus ipsi actuum suorum productivi ipsis attribuant sola prædicata generica, uti constat ex eo, quòd dum videamus albedinem, potentia nostra visiva assimilet sibi visionem tantùm in prædicatis vitalis, & visivi; hinc necessariò consequitur, quòd ad productionem visionis albi concurrat objectum determinando talem visionem ad hoc, ut sit illa visio albi, & nullius

66 alterius. Unde meritò inferimus, actum omnem cognoscitivum creatum essentialiter esse à potentia, & objecto; cùm enim omnis creatus actus sit expressio, & vitalis imago sui objecti, necesse est ut sit à potentia & objecto, tanquam à regula, & mensura sui esse, absque qua nec esse, nec conceptu ullo definitivo concipi potest: quod rectè in tertio de Anima tradit Aristoteles, ubi imaginem definiens ait, *illam esse cujus generatio fit per imitationem objecti*, quod est illius exemplar: uti luculenter constat in intromissione specierum in occlusum cubiculum vitri lenticularis beneficio.

67 Neque quidquam derogat horum veritati, vel primò, quòd plurima objecta habitûs Logicæ imperfectiora sint ipsius actibus, adeoqué inepta ad eos specificandos; objectum enim non est causa adæquatè specificativa actuum, sed solùm inadæquata, tribuens illis in genere causæ formalis extrinsecè determinantis, non autem in genere efficientis, requisitam speci-

68 ficationem: vel secundò, quod objecta particularia, circa quæ versatur Logica sæpe nec sint, nec existant; ut dum versatur circa negationes, impossibilia, entia rationis, aliaqué hujusmodi; sufficit enim, quòd licet in se non sint, sint tamen in alio tanquam in objecto formali movente habitum ad eorum cognitionem; siquidem objecta, quæ actu sunt, habent vim per sui species movendi cognoscentem, non solùm ad sui cognitionem, sed etiam ad cognitionem eorum, quæ nec sunt, nec esse possunt: non secùs quàm objecta distantia, ut quæ sunt in India, vel in Japonia, vim habent in aliena specie movendi nos ad sui per-

69 ceptionem. Vel demum, quòd cognitio Divina ab objectis non specificetur: est enim lata, totoqué genere intercedens disparitas; tum

quia cognitio increata nec eſt in ullo genere, vel ſpecie reali, ſed continet in ſe eminenter omnia genera, & ſpecies; tum quia illa ſicut non cauſatur, ſed eſt prima cauſa, ita non ſpecificatur, ſed eſt primum & ultimum ſpecificativum, ac exemplar omnium creatorum objectorum, ad quorum imitationem illa non fit, ſed potius è contrà, uti latiùs oſtendemus in Phyſica. Intereà ſic explicatâ hactenus per propriam definitionem Logicæ naturâ, dicimus ulteriùs, ut alias minùs neceſſarias omittamus, quod celebri diviſione.

Logica dividatur in Docentem & Utentem.

70 QUam diviſionem traditam 1. à Doctore Angelico lectione 4. in 4. Metaphyſicæ: celeberrimam reddiderunt recentiorum diverſa opinantium ſtudia, quorum alij eam dari exiſtimant per membra invicem oppoſita, ſeſequé excludentia, ac adæquatè, & realiter diſtincta: alij verò, & probabiliùs tenent eam ſolùm cum fundamento in re, per rationem ratiocinatam reſpectu ſolùm diverſorum obliquorum diſtingui.

71 Cui ſententiæ ut probabiliori, & nos adſtipulamur; tum quia ſi foret Logica utens habitus realiter diverſus ab habitu Docentis, vel eſſet habitus talis, quo inſtructus intellectus poſſet in quâvis materiâ probabiliter tantùm diſputare, ut nonnulli volunt, vel eſſet aliquis executivus habitus non ſolùm à Docente, ſed etiam ab habitibus reliquarum ſcientiarum adæquatè diſtinctus, atqui neutrum dici poteſt: non primum, quia nullus eſt aſſignabilis talis habitus, qui in quavis materia probabiliter tantùm concludat, cùm in quavis materia probabili detur particularis habitus inclimans ad probabiles peculiares actus; ſic in Phyſicâ partialis eſt habitus, vi cujus illa verſatur circa materias ſuas quaſdam probabiles ſolùm probabiliter, quod idem animadvertere licet in alijs ſcientijs totalibus: adeoque ſi nomine Logicæ Utentis intelligerentur hujuſmodi partiales habitus, illa nullatenus diſtingueretur ab illis, ſed eſſet integrans ipſas illas totales ſcientias, cùm procederet in earum materia juxta propriam cujuſque abſtractionem, quam ſequelam adverſarij admittere recuſant.

72 Sed nequè dici poteſt ſecundum aſſumptæ ſuprà minoris; quia talis habitûs merè executivi actus nulli proprij & immediati aſſignari poſſunt: hi enim, eſſent ipſæ cognitiones ſcientificæ, quas præcepta logica dirigunt, & hoc non, quia actus, quos exequimur in alijs ſcientijs, aut artibus, non ſunt actus interni, ſed externi, ſic actus quos exequimur in Mathematicis ſunt erectiones diverſarum figurarum, ac inſtrumentorum uſibus talis ſcientiæ accommodatorum: ſicut actus Saltatoriæ ſunt ſaltus variæqué artuum, pedumqué libraciones; Cythariſticæ impulſus chordarum, digitorumqué, qui haud dubiè fieri nequeunt ab habitu ipſo intellectuali.

73 Nec opponitur aptè, quòd habitûs hujuſmodi executivi actus proprius ſit conſideratio aliqua reflexa de bonitate præcepti jam traditi; nam talis reflexio eſt prorsùs ſupervacanea, & omninò gratis aſſumitur; ſi enim deberet quis ſe reflectere ſupra ipſam cognitionem præceptivam, & conſiderare an bona ſit, & vera? deberet pariter ſe reflectere ob eandem cauſam ſupra hanc reflexam, & iterum ſupra ſecundam, & ſic in infinitum; qui proceſſus etiam in cognitionibus inutilis eſt, & nullo modo admittendus: ex quibus rectè concludimus verum eſſe, Logicam Utentem non eſſe habitum aliquem realiter à Docente diſtinctum, ſed ipſam praxim, actualequé exercitiũ præceptorum docentis, ſive ipſam actualem definitionum, diviſionum, propoſitionum, ſyllogiſmorum, cæterarumqué ejuſmodi operationum Logicalium conſtructionem in quacumqué materia, & ſcientia.

74 Nec his obſtat quod reliquæ ſcientiæ, quæ in propria materia utuntur præceptis Logicæ juxta hanc ſententiam ſint ipſa Logica, illíque ſaltem ſubalternari. Contrà enim eſt, quia Nego ullum admitti abſurdum admittendo quod aliæ ſcientiæ, quæ præceptis Logicæ utuntur, ſint logica inadæquata, earundemqué actus Logicæ, nempe inadæquatè tales, quatenùs ſcilicet Logica in actu exercito directivè tantùm, non verò elicitivè ad illos concurrit.

75 Ex quo etiam patet falſum eſſe reliquas ſcientias ſubalternari Logicæ, nequè enim illæ utuntur principijs ſibi à Logica communicatis in contemplatione ſuorum objectorum, quod neceſſarium eſt ad ſubalternationem ſcientiarum, ut ſuo loco dicemus, ſed ſolùm utuntur illius præceptis ad rectè exponendas ſpeculationes, quas circa proprias materias elicuerunt: in quo multùm illis ſubſervit Logica ſubminiſtrans ijſdem modos, formas, & menſuras, quibus commenſurando illæ actus proprios, eos efferant ad amuſſim, & normam logicam: adeoquè quatenùs conſiderationes ſuas Phyſica v. g. profert definiendo, dividendo, & ſyllogizando juxta præcepta Logicæ poteſt jure adſtrui, & abſque abſurdo, Utens Logica nuncupari.

76 Nec obſtat ampliùs, quòd ſi habitus reliquarum ſcientiarum juxta datam reſponſionem dici poſſent Logica utens, ſequeretur dari tot diverſas Logicas utentes, quot ſunt habitus, qui ad Logices præcepta ſuos actus eliciunt, quæ ſequela abſque abſurdo admitti nequit. Contrà enim eſt, quia ſicut licèt omnes

ſcien-

scientiæ sint objecta præceptis logicæ directa, tamen non dicuntur dari plura objecta adæquata directa Logicæ præceptis, sed unum adæquatum involvens inadæquata plura, sic licet quævis scientia sit Logica Utens, in sensu supra explicato, & scientiæ sint plures, non tamen dicendæ sunt plures Logicæ utentes adæquatæ, sed una comprehendens plures scientias, quarum quævis est Logica utens inadæquatè, idem enim est in quacumque speciali scientia esse objectum directum præceptis Logicæ, & esse Logicam Utentem &c. Atque ex his rectè inferimus & ulteriùs dicimus,

Logica est necessaria simpliciter, & absolutè, non moraliter tantùm, sed etiam physicè ad reliquas scientias in statu perfecto habendas.

77 QUod placitum, ne fortassis cuipiam videatur novum, tradidit D. Augustinus lib. de Ordine cap. 13. Ubi de Logica loquens sic ait: *hæc docet docere: in hac ipsa ratio demonstrat, & aperit quid sit, quid velit, quid valeat: scit scire, sola scientes facere potest: ac propterea scientia argumentativa non ab hominibus pro arbitrio instituta est, sed in rerum ratione comperta.* Id ipsum sentit Albertus Magnus in prædicabilia, & ejus discipulus Magistro Major D. Thomas opusc. 87. alijqué citati ab Amico tractatu 1. in Logicam quæst. ultima dubit. 2. Ad cujus elucidationem optimè facit Horatianum illud in Arte

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est: ego nec studium sine divite venâ,
Nec rude quid prosit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicè!

78 Ratio porrò asserti est, tum quia tunc alias scientias perfectè, ac evidenter potimur, quando nobis clarè constat earum argumentationes, legitimas, & formales esse, hoc est regulis & legibus bonæ argumentationis conformes, quod scire connaturaliter nullo modo possumus absque Logica. Probatur, nam sicut justum dicitur respectu habito ad jus alterius, ita argumentatio formalis justa, & legitima est respectu formæ & legum bonæ argumentationis, sed agnosci non potest an aliqua datio, vel acceptio justa sit, quin de jure dantis, vel accipientis constet, ergo pariter cognosci nequit an aliqua argumentatio formalis, & legitima sit, nisi munere Logicæ certi simus de forma, ac legibus argumentationis.

79 Tum etiam quia non potest cognosci, quòd res aliter habere se non possit, prout requiritur ad rationem veræ scientiæ, nisi cognoscatur, consequentiam esse evidentem, necessarioqué deductam ex principijs evidentibus, quod solùm præstat Logica, quæ sola docet syllogismos evidentes cognoscere, illosqué examinare, an sint in Modo, & Figura debita, & an sequatur illorum consequentia vi syllogisticæ formæ, de qua nulla alia prorsùs scientia agit præter unicam Logicam.

80 Accedit pro confirmatione dictorum, quòd ut aliquis perfectam scientiam habeat, necesse sit, ut noscat solvere argumenta adversantia, quorum cùm multa sint sophismata, & fallacia, cum apparentia tantùm veritatis, eadem solvi ullo modo nequeunt, nisi Logicâ opitulante, ut satis est experientiâ manifestum, manet igitur verum Logicam absolutè & simpliciter, ac physicè necessariam esse ad reliquas scientias perfectè obtinendas.

81 Quod ipsum amplius comprobatur hâc ratione, quia tunc Logica dici debet physicè necessaria ad alias scientias perfectè habendas, quando sciens aliquis, talis esse nequit in illa scientia defectu alicujus physici requisiti, tenentis se ex parte principij cognoscitivi; quod in casu positæ conclusionis evenire demonstrativâ experientiâ est certum: demus enim duos homines, quorum unus Logicæ præceptis ritè sit instructus, alter omninò ignarus, cæteroquin ingenio, voluntate, sensuum perspicacia omninò pares: hoc dato eodem temporis spacio qui Logicâ destitutus est, tot definitiones, divisiones, & syllogismos erroris expertes nunquam faciet, quot alter, qui Logica sciens, ejusdemqué præceptorum peritus est: hæc autem impotentia haud dubiè oritur ex defectu alicujus requisiti physici, necessarij ad operandum, & non ex difficultate aliqua morali, aut renitentia voluntatis, cùm supponamus illos in omnibus cæteroquin pares, & consequenter æquè ad operandum pronos, imò etiam carentem Logicâ magis propensum, ergo deficiente huic Logicâ, hoc ipso deest illi requisitum aliquod physicum tenens se ex parte potentiæ ad perfectam scientiam consequendam.

82 Unde universim pro conclusione posita inferimus, quòd Logica absolutè necessaria sit, & quidem physicè ad reliquas scientias perfectè habendas, eò quòd illâ absente nullo modo possimus habere infallibilem conformitatem operationum cum objectis cognoscibilibus, cùm ad omnes conclusiones infallibiles aliarum scientiarum simpliciter necessaria sit cognitio bonitatis illationis, quâ videlicet eam ex præmissis sequi certo, evidenterq; sciamus.

83 Neque obstat, quòd Logica sit ex numero habituum acquisitorum, qui non dant simpliciter, sed solùm facilè posse; alioquin cùm habitus producatur ab actibus, daretur habitum inter, & actus mutua causalitas, quæ connaturaliter, ut in physicis dicetur, repugnat. Contra enim est, quia licet habitus non dent posse materialiter, dant tamen posse formaliter & perfectè; unde ab actibus materialiter tantùm talibus primò producitur habitus, quo instructa dein potentia alios actus formaliter per-

perfectos producit, uti patet in Rhetorica, alijſqué actibus omnibus, quibus inſtructus intellectus perfectiùs munus ſuum exequitur, quàm illis privatus.

84 Nec obeſt etiam experientia, quâ conſtat ſæpe homines ruſticos, & idiotas omni Logicali notitiâ carentes, optimè tamen argumẽtari; ſic Tytirus ille, judice Corydone, contra Menalcam argumentabatur olim: qui depaſcitur alienos agros, pendere debet mulctam, ſed Menalcas depaſtus eſt meos agros, ergo pendat mulctam, ſi non in ære, ſaltèm in pelle. Verùm quàm ſubſiſtat imprimis hæc illatio, novit facilè Dialecticus quiſqué, qui pluralitate terminorum eam redundare vel primo intuitu obſervat. Deinde quivis intelligit hanc experientiam probare ſolùm dari naturalem Logicam, vi cujus etiam rudes homines poſſunt, & ſolent ſubinde formare diſcurſus quoſdam, materialiter tantùm, & planè caſualiter concludentes; propterea tamen dicet nemo hujuſmodi procedere ſcientificè, & prout quis facit, qui negatam conſequentiam probare novit, vel per oſtenſionem, vel per reductionem ad impoſſibile; quod impoſſibile factu eſt abſqùe artificiali Logica.

85 Aſſerenti tamen contrarium ejus pertinaciæ ſatisfieri etiam alio modo poteſt, dicendo, quòd hujuſmodi rudes homines tales ſyllogizationes addidicerint à ſuis Majoribus, & hi à prædeceſſoribus, donec tandem ad aliquem deveniatur, qni Logicæ fuit benè peritus; prout experientiâ quotidianâ fieri conſtat, dum audimus etiam rudes homines proferentes ſubinde quædam dicteria, & axiomata, quæ vel ab alijs, vel majoribus ſuis addidicerunt.

86 Nec demum obeſt, quod etiam viri docti, & ſcientias poſſidentes perfectè, ſeſe tamen non reflectant inter diſcurrendum ad Logicæ artificium. Nam potiùs horum exemplum conttarium evincit, cùm videamus ſapientes viros ſemper ita procedere in ſuis diſcurſibus, ut accuratè attendant, ne quidquam ſequatur vi connexionis terminorum in præmiſſis ratione cujus negari poſſit ſibi conſequentia; quæ animadverſio eſt unica, & formalis ratio diſtinguens, & diſcernens doctos ab indoctis, uti ſatis experientiâ ipsâ eſt manifeſtum.

87 Ut autem Logica ad perfectas ſcientias perfecto modo habendas ſui magis demõſtret neceſſitatem, conſiderare ſolet imprimis ipſarum vocum, & terminorum, quibus illæ uti debent, ad hoc ne in uſu logicalium præceptorum improprijs propriè utantur, proprietates, energiam, & affectiones. In quo tamen non redimus ad Grammaticam, licet etiam hæc ancilletur cæteris ſcientijs præſcribendo modum quo caſtigatè, & latinè ſenſa animi eloqui debeamus: Logica verò ſolùm per voces ipſas ſenſa intima dirigat, & repandat ſimpliciter. Hinc & nos quædam magis ſcitu neceſſaria, & Logicæ inſtituto convenientia ut proponamus, dicimus.

Logicæ uſitatas voces eſſe terminos.

88 HI enim interpretes quaſi ſunt, & manuductores quidam ad formandos internos conceptus, formatoſqué enuntiandos de rebus, quæ in addiſcenda Philoſophia nobis occurrunt. Terminorum porrò nomine Logica intelligit ipſas voces articulatas rerum, conceptuumq; objectivorum ſignificativas; quæ ſecundùm ſuam ſignificationem dupliciter conſiderari ſolent, abſolutè, & comparativè: abſolutè ſumptæ rectè definiuntur, quòd ſint nomina ſignificativa ex inſtituto ſine tempore, finita & recta, quorum pars nulla ſignificat ſeparata.

89 Cujus definitionis, quæ eſt Ariſtotelis 1. Perihermenias, ſufficientia, ſatis conſtare poteſt, tum quia *ly vox*, quæ eſt ſonus ab animalis ore prolatus, cum imaginatione aliquid ſignificandi, ab uſu logico ſecernit ſonos omnes inarticulatos, utpote omninò ineptos; tum quia ly *ex inſtituto* prohibet ab eodem vocabula quædam materialiter tantùm, non verò formaliter ſignificantia; indicatqué, quòd nomina rebus impoſita ſint ex libero hominum beneplacito, inter ſe convenientium, ut tale nomen rem talem ſignificaret.

90 Ex quo obiter animadvertimus vanam illorum eſſe jactantiam, qui adſtruunt vim quãdam occultam in nominibus latere, quam ſi quis noverit, noverit etiam perfectè non ſolùm ipſius rei eſſentiam, ſed etiam omnia, quæ vel evenêre, vel eventura ſunt tale nomen habentibus; quod vel inde falſum eſſe, & erroneum, patet ex eo, quòd eædem numero voces apud alios, & alios populos diverſiſſima ſignificent. Si verò ſubinde vim exorciſticam videantur voces habere, aut aliud quid ſimile, hoc illis convenit ſolùm, aut præter, aut ſuper naturam virtute alicujus pacti, aut promiſſionis cum illo initæ, qui ad talium vocum prolationem effectum conſequentem producere valet.

91 Reliqua verò, quæ in data definitione adduntur, faciunt voces logicoſqué terminos differre tum ab ijs, quæ tempus neceſſariò involvunt; tum à vocibus infinitantibus, quæ negant ſolùm vocis ſignificatum, & concedunt illi poſſe attribui quidcumque, quod per ſe vox hujuſmodi immediatè non excludit: tum ſe à ſe in obliquis caſibus ſumpta; tum demum ab oratione, in qua pars quælibet ſuam habet ſignificationem.

92 Nec obeſt quod quædam ſint nomina, quæ cum tempore ſignificant; uti ſunt dies, menſis, annus, cæna, & prandium, reliquaqué hujuſmodi; Nam cùm dicta nomina nullam certam temporis differentiam præſentis, præteriti, vel futu-

futuri cum aliqua actione, seu exercitio significationi suæ adjungant, ideo solùm tempus adsignificant, non verò cum tempore.

93 Nec obest iterum quod multa sint nomina, quorum partes separatim sumptæ significant, qualia sunt composita illa Respublica, Paterfamilias, Dominus, Magnificus: hoc enim per accidens evenit nomini, ut sui partes integrantes, quæ se habent velut syllabæ, significativæ aliunde sint alterius rei, uti patet in do, & minus, in magni, & ficus ab invicem separatis.

94 Nec obest demum, quod si infinitantia excludantur, excludi etiam debeant æquivoca ab usu logico: nam æquivoca quia numero determinata sunt, ut infra dicemus, adhuc eorum usus est in Logica tolerabilis: infinitantia verò cùm omnia indefinitè importent, confusioni potiùs, quàm scientiæ deserviunt, & ob id Logicis rarò usurpanda. Porro,

Logicalium terminorum comparativè sumptorum natura.

95 NEc propriè explicatur per extremum propositionis: cum id improprijssimè conveniat definito, non secus quàm conveniat homini illa definitio: homo est arbor inversa: tam parum enim termino comparativè accepto competit esse primum, aut ultimum in propositione, quam homini esse arborem rectam, aut inversam; siquidem prædicatum, aut subjectum, quomodocumque in propositione collocentur obtinent vim suam, nec mutatione vel collocatione qualicumqué esse talia desinunt, ut innumeris propositionibus id potest confirmari.

96 Nec etiam bene explicatur dicendo, quòd sint voces significativæ ad placitum, ex quibus simplex componitur propositio: siquidem tali definitione excluderentur à ratione termini, tum illi, quibus hypotheticæ, aliæqué compositæ propositiones constant, tum termini syncategorematici, qui secundùm se nec compositivi sunt propositionis simplicis, nec significativi.

97 Imò nec sufficienter per illud, quo dicuntur esse id in quod resolvitur propositio; tum quia potiùs descriptivè, quàm definitivè eorum essentia sic explicatur: tum quia non per resolutionem, sed per compositionem essentialiter quoad fieri potest, dari debent definitiones.

98 Melius ergò terminos Logicos illos esse dicimus, qui sunt partes intrinsecæ, & constitutivæ, ut quòd propositionis. Omnis enim propositio est compositum quoddam pluribus partibus constitutivis sui constans, quæ partes aliæ esse nequeunt, quam subjectum & prædicatum, quæ sunt in omni rigore termini: hi etenim tribuentes seipsos propositioni, non secùs quam materialis quædam, & formalis causa, constituunt intrinsecè, mediante copulâ, velut nexu, & ut quo, ipsas propositiones.

Logicalium terminorum multiplicitas, Divisio, & Affectiones.

99 HÆc quia cuivis vel salutanti è primo limine Logicam fiunt manifesta, ideò tantùm illa indicâsse nominetenùs fuerit satis: sunt proinde terminorum alij Cathegorematici, seu per se significativi; syncathegorematici alij, seu solùm consignificativi: alij mixti modum rei significantes: Ex his alij Finiti, alij Infiniti, alij Transcendentales, non Transcendentales alij; alij Universales; alij Singulares: & ex his alij significant determinatè, alij vagè, alij collectivè, alij ex suppositione. Ex Universalibus verò alij sunt Univoci, alij Æquivoci, & cum horũ alterutro coincidentes Analogi. Insuper alij sunt Denominantes, alij Denominativi vel intrinsecè, vel extrinsecè: alij Concreti, alij abstracti, alij Connotativi. Quidam ex illis, si non sint inter se comparabiles, dicuntur Impertinentes; si comparabiles, vel excludendo, vel inferendo, Pertinentes nominantur. Se inferunt synonimi, convertibiles, Inferior superiorem: se excludunt oppositi vel relativè, vel privativè, vel contrariè, vel contradictoriè.

100 Horum omnium affectiones suut significatio, & suppositio: significatio est vis repræsentandi aliud: Suppositio autem est substitutio nominis seu termini pro aliquo in propositione: & quia hujus substitutionis dupliciter nomen substitui potest, vel scilicet pro se, & tunc dicitur suppositio materialis, vel pro suo significato & formalis nuncupatur: hæc vel est Propria, vel Metaphorica: Propria alia simplex, alia Personalis, Distributiva alia, alia collectiva, alia Determinata, alia Confusa. Præterea inter terminorum affectiones recensentur, Status, Restrictio, Ampliatio, & terminorum alienatio; quorum omnium nomen, ut dixi, indicâsse, ad eorum sufficientem notitiam, sit satis.

Logicalia Signa, eorumqué Natura & Diversitas.

101 OCcasione significationis vocum, quam dixi esse vim repræsentandi aliud, non importunè, quid sit signum universim, ejusdemquè naturam & varietatem hìc inquirimus. Illius proinde nomine venit id, quo in alicujus rei notitiam deducimur; & hinc rectè definitur, quòd sit illud, quod est institutum ad hoc, ut ducat specialiter potentiam

cognoſcitivam in alterius rei cognitionem. Nam hæc definitio convenit adæquatè illis omnibus, quæ ita ducunt ſpecialiter cognoſcentem potentiam in alterius cognitionem, ut ſint ad hoc inſtituta ſive ab arbitrio hominum, ſignaquè dicuntur, ſic fumus ignis, ſic hedera vænalis vini, ſic vox homo naturæ hominis eſt ſignum, è contra verò quæ inſtituta non ſunt ad hunc finem, ſigna nec ſunt nec dicuntur, tametſi in alterius cognitionem per accidens deducant: ſic DEUS Optimus Maximus quamvis deducat in cognitionem creaturarum, quia tamen ad hunc finem per ſe inſtitutus non eſt, cum ſit ſolùm propter ſe ipſum, ſignum non dicitur creaturarum; ſicut è contra creaturæ dicuntur ſigna, & imagines DEI, quia ſunt inſtitutæ ad hunc finem, ut in DEI nos deducant cognitionem: non ſecùs quàm effectus dicantur ſigna cauſarum, quia per illos harum virtus nobis innoteſcit.

102 Nec difficultatem faceſſunt datæ definitioni verba D. Auguſtini, quibus aſſerit ſignũ id eſſe, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud facit in cognitionem venire: nam D. tunc loquitur ſolùm de ſigno ſenſibili, non autem de ſigno prout ſenſibili & inſenſibili convenit: dari autem, ſi non de facto, (etſi probabilius ſit contrarium, cum plurimi inſtinctus internæque cælitus immiſſæ inſpirationes divinarum rerum ſigna ſpiritualia dici poſſint) at ſaltem de poſſibili talia, quæ nos deducant in cognitionem rerum ſenſibus imperceptibilium, non videtur poſſe eſſe difficultas.

103 Porro ſignum ſenſibile in Formale, & Inſtrumentale, & utrumque rurſus in Naturale, & Arbitrarium dividitur nam quidquid habet vim ſignificandi aliquid, vel hanc exerit per datione ſui Potentiæ Cognoſcitivæ, prout facit ſignum Formale, vel per manifeſtationem extrinſecam rei, cum quâ habet aliquam connexionem, prout notum eſt contingere ſignis Inſtrumentalibus.

104 In quonam verò conſiſtat ratio formalis Signi Arbitrarij, ſeu ad placitum (nam de ratione formali conſtitutiva Signi Naturalis non eſt difficultas, cum certum ſit, hoc per ſe ducere in cognitionem ſui ſignificati) non levis eſt inter Philoſophos controverſia: eorum enim aliqui eam conſtituunt in relatione; ſed non arridet hoc placitum; quia talis relatio, vel realis eſſet vel rationis; non primum; nam libera hominum impoſitio non poteſt in ipſis vocibus aliquid reale producere: non etiam ſecundum, quia DEUM, vel Adamum, imponendo primò nomina rebus, entia rationis fabricâſſe, nullatenus videtur probabile; quâ enim amabò opus eſt fictione, ut vox homo hominem ſignificet?

105 Alij in Modo quodam rationem formalem ſigni collocant: at non probabiliùs loqui videntur quàm priores; ſicut enim Petrus non eſt ſimilis Paulo per modum aliquem ſuperadditum, ut ſuo loco, ubi de relatione agemus, conſtabit; ſic ſignum modo ſuperaddito, ut aſſimiletur quodammodo rebus ſignatis, quarum quædam quaſi eſt imago, non indigebit.

106 Neque quid certius adferunt alij, qui exiſtimant ſignificationem arbitrariam ſignorum formaliter conſiſtere in voluntate Inſtitutoris eorundem: tum quia ut id tueantur, multa intempeſtivè de voluntate obligatoria, ejuſquè objecto ad Theologos ſpectantia Logicis immiſcent; tum quia & parvuli linguas diſcentes, & belluæ ipſæ ſigna arbitraria percipiunt: ſic canes aliaquè complura bruta audito ſuo nomine accurrunt, miteſcunt, blandiuntur: ſic alia certo percepto ſigno ad opus ſuum egrediuntur: ſic urſi, equi, elephantes ad certos numeros ſaltant, digladiantur, aliaqué miras faciunt: hæc autem omnia nec percipiunt, imò nec percipere poſſunt voluntatem primi Inſtitutoris, cum ea ſit quid ſpirituale, & ſupra omnem ſenſum ſive belluinum, ſive etiam humanum: ac proinde aptius

107 Signum arbitrarium formaliter aſſerimus conſtitui in ſuo eſſe per ſpeciem ad ſignitalis præſentiam excitari ſolitam in percipientibus illud, de re illa, quæ per ſignum tale ſignificatur. Cujus aſſertionis noſtræ ratio eſt, tum quia illa optimè arbitrarij ſigni naturam ſalvat, nec incurrit in pedicas illas, quibus relatæ jam ſententiæ involvuntur: tum quia ſicut ſignum formale conſtituitur per cognitionem formaliter ſignificantem rem cognoſcenti, abſq; eo quòd ipſa cognoſcatur ut quod, ideo, quia cognoſcenti ineſt: ita ſpecies impreſſa conſtituet formaliter ſignum ad placitum in eſſe talis, per ſolam ſui inhærentiam, & exiſtentiam in potentia cognoſcitiva, abſquè eo, quod à cognoſcentibus cognoſcatur. Tum demum, quia ſignum naturale conſtituitur in ratione talis per ſpeciem, quæ transfuſa à ſigno, ſeu objecto in Potentiam, illam determinat formaliter ad ſui perceptionem, prout magis conſtabit, ubi de natura ſpecierum impreſſarum agemus, ergò etiam ratio formalis ſigni ad placitum conſiſtet fotmalitet in ſpecie ad ſigni præſentiam excitari ſolitâ ut diximus. His poſitis ut accedamus propiùs ad 1

Logica propriè ſigna, quæ voces præſertim humanæ, & articulatæ ſunt.

108 DE ijs quærimus, an eæ, ſigna ſint ad placitum tantùm, an etiam naturalia? In qua quæſtione nobis videtur probabiliùs voces, quatenus datæ ſunt hominibus à natura in eum finem, ut per illas ſuos ſignificent conceptus, pro-

propriè dici posse signa naturalia, hoc est naturaliter instituta ad significandum: cum enim Deus, & natura, quæ non deficit in necessarijs, non solùm brutis, sed etiam hominibus, dederit vim formandi voces, respectu hujus præcisè finis, meritò voces humanæ, non secùs, ac brutorum, inter naturalia signa videntur adnumerandæ: ad quod bene advertit Aristoteles, quando in primo Perihermenias voces definiens, dixit universim, eas esse notas earum, quæ sunt in anima passionum.

109 Unde fit, quod sicut bruta naturaliter per unam differentiam vocis significant v. g. famem, ut patet in paruis aviculis: per aliam significant delectationem ex cibi inventi præsentiâ, ut cum gallina invento grano tritici convocat pullos ad illud sumendum: per aliam indicant iram, per aliam amorem; timorem, & periculum imminens per aliam, ita & cùm in nobis has ipsas vocis differentias experiamur, hoc præcisè in sensu sumptas, dicere debemus illas esse signa naturalia; eo tamen cum discrimine, quòd nostræ cùm significare debeant non solùm discretionem jucundi à molesto, verùm etiam discretionem veri à falso, unius entis ab alio, differentiam item boni honesti à turpi, ad quod requiruntur innumeræ vocum differentiæ, idcirco homo, utpote agēs liberum, supra bruta habere debuit potentiam voces articulandi, vi cujus posset diversas vocum efformare differentias discretivas rerum, cognitionum, affectionumquè diversarum. Et hoc in sensu ut respondeamus ad alteram partem supra positæ quæstionis.

110 Dicimus voces articulatas humanas non esse signa naturalia, sed merè arbitraria, quarundam determinatarum rerum ad quas significandas hominum placito sunt institutæ; sic vox v. g. cœlum significat partem extimiorem mundi non naturaliter, sed ex libera hominum institutione: vox enim ista apud complures nationes significativa nullatenus est, quod tamen requiritur ad signa naturalia, quorum omnibus gentibus est nota significatio, sic omnibus est notum, quòd gemitus & suspiria sint notæ doloris, cantus, & tripudia notæ gaudij, & lætitiæ: quod non usuvenit voci cœlum aliisque hujusmodi, adeoquè illæ hac in acceptione nullo modo inter naturalia signa sunt referenda.

111 Neque obstat, seu primò, quod sicut naturalis est equo hinnitus, cani latratus, barritus elephanti, ita homini voces articulatæ videantur esse connaturales. Tum quia articulare voces præcisè non est solius hominis, cùm etiam psittaci, merulæ, aliæque aves eas efformare doceantur: tum quia ly naturale distinguendum est, eò quòd amphibologicè sumatur, & pro eo quod est ex natura, & pro eo quod naturæ est consentaneum; in quo sensu acceptum nihil nostræ officit conclusioni, ad eum modum, quo vita civilis dicitur homini connaturalis, hoc est naturæ ejusdem consentanea.

112 Seu secundò quòd voces quædam articulatæ assumptæ sint ad significandas res quasdam propter naturalem aptitudinem, quam cum ipsis habent, cujusmodi sunt eæ quæ brutorum voces imitantur. Nam hujusmodi merè ad placitum hominum sunt efformatæ: poterant siquidem, nihil obstante tali similitudine, assumi ad res alias significandas; non aliter quàm sit merè per accidens, quòd aliqua idiomata sint magis expressiva, quàm alia, quod verum est tametsi dabile esset idioma, cujus quodvis vocabulum haberet aptitudinem ad res significatas exprimendas. Ex quo ulteriùs inferimus & dicimus.

Logicas voces primariam suam significationem per modum argumenti, & probationis habere ab obligatione orta ex conventione quâdam morali, in quam homines moraliter censentur convenisse.

113 QUòd certum esse patet inde, quod locutio primariò significet loquentem habere conceptum conformem locutioni, ex eo quòd obligetur non mentiri: cùm qui aliquid loquitur, postulet sibi credi id quod dicit propter suam veracitatem, hoc autem nequit postulare rationabiliter, nisi se quis obliget ad non loquendum nisi conformiter ad id quod reipsâ sentit. Quæ tacita obligatio originem suam traxisse videtur ex eo, quòd Linguæ primariæ habeant significationem suam ex Divina institutione; eò quòd valde probabile sit Deum infudisse primis hominibus cognitionem Linguæ Hebraicæ, & ejus significationis, sicut post primum cataclysmū infudit septuaginta duas diversas illis, qui ad ædificandam turrim Babel convenerant, & Apostolis in Pentecoste linguarum omnium notitiam.

114 Quam infusionem probabiliter censemus factam per infusas species intentionales repræsentantes tum voces talium idiomatum, tum earum significationes; non secùs, quàm dum nos linguas à vernacula nostra alienas addiscimus: hoc enim dum facimus labor omnis in eo situs est, ut simul res certas attentè cogitantes, certasqué voces; formemus, vi agentis intellectûs, in nobis species impressas earum vi quarum formaliter auditis vocibus determinemur ad earum recognitionem. Quod manifestâ docent nos experientiâ infantuli maternam addiscentes linguam, qui sæpius experti, quòd cùm audierint aliquam affirmationem, repererint rem ità esse, sicut affirmabatur, v. g. quòd saccarum sit dulce, requé ipsâ

exper

experti ſunt dulcedinem, paulatim & ipſi aſſueſcunt affirmare, quando cognoſcunt, & judicant hoc ita eſſe, & negare quando judicant non eſſe, ſicqué ex aſſidua conſuetudine linguam diſcunt, quam ubi didicerint, animadvertunt ſaltem implicitè, ſe teneri, ſi velint tali idiomate uti, ad ſubſtituendas voces, conceptibus ſuis conformes, ita ut turpiter ſe operari cenſeat, ſi voces efferant, quæ judicium affirmativum ſignent cum judicio negativo, vel è contrà.

115 Nequè obeſt, quòd dum loquimur, noſmet non reflectamus ad talem obligationem: licèt enim non ſit talis explicita ſemper in loquentibus reflexio, ſemper tamen eſt implicita, & in actu ſignato. Patet id ex litteris, nutibus, ac cæteris ſignis, quæ ex hominum conventione ſignificant, & præſertim inter paucos, qui pactum ineunt aliter non adhibendi talia ſigna, quàm pro tali ſignificato. Exemplum habemus obligationis hujus in obſidione urbis Melitæ quam vocabant mirabilem, in qua obſeſſi cum ſubſidiarijs copijs ſuas communicabant neceſſitates elatis noctu tot ignibus, & tali modo. Sic etiam Principes, qui majoris momenti negotia tractant, zyphris utuntur, ſic ſtudioſi ſæpius digitos in varias conformatos figuras loco litterarum adhibent, ex conventione, ad ſuos alijs manifeſtandos conceptus. Verùm an

Logicæ voces immediatè ſignificent res, an conceptus

116 NOn parvum eſt diſſidium inter Philoſophos, quod exiſtimamus facilè componi poſſe dicendo directè, & per ſe loquendo immediatè voces priùs excitare apprehenſiones rerum in ratione imaginis. Quod patet inde, quia audiens has voces, cœlum v. g. tonat, primò & immediatè apprehendit cœlum tonare, deinde conceptum, quem loquens de cœlo tonante formavit: quæ apprehenſio cùm ſit de re certa & determinata, ideo voces, ut excitativæ talis apprehenſionis, dicendæ ſunt immediatè ſignificativæ rerum: ſiquidem in intellectu audientis immediatiùs excitant rerum ſpecies; uti conſtat, dum quis audit amicum ſuum adventare, totus illico fertur in adventum amici, nihil cogitando de conceptu dicentis; cujus ratio à priori jam ſupra inſinuata, eſt, quòd voces ſubſtituantur loco conceptuum, idqué repræſentent audienti, quod eas proferenti præſtant ipſi conceptus, qui immediatè illi repræſentant res ipſas.

117 Nequè obſtat quod ſcriptura videatur ſignificare immediatè voces, adeoq; idem ſentiendum de his reſpectu conceptuum: Nam ſcriptura æquè immediatè, & formaliter ad voces, & res vocibus ſignificatas apprehendas incitat; quod non contingit, experientiâ magiſtrâ, vocibus reſpectu conceptuum, & rerum ſaltem ordinariè. Nihilominus & illud certum videtur, quod

Logicæ voces per modum argumenti, & in ratione finis primò & per ſe ſignificent conceptus, hiſqué mediantibus res ipſas.

118 ARgumentum hujus aſſerti eſt, quia voces illud immediatè ſignificant in ratione argumenti, cujus exiſtentiam primò arguunt, & ratione cujus exiſtentiæ, alterius rei exiſtentiam arguimus, ſed primò arguunt exiſtentiam concepûs in mente loquentis, & mediante hac arguimus exiſtentiem rei affirmatæ, vel negationis negatæ, ut conſtat; in tantum enim dum audimus aliquem aliquid affirmantem, vel negantem poſſumus judicare exiſtentiam objecti affirmati, vel negationem, negati, in quantum per eas voces arguimus loquentem ita concipere, non è contrà; rectè ergò aſſerimus voces per modum argumenti immediatè ſignificare conceptus, & his mediantibus res ipſas.

119 Quòd verò & eædem in ratione finis conceptaum immediatè, & directè ſint ſignificativæ, patet ex eo, quòd inſtitutæ illæ ſint Civilis ſocietatis ergo, ac propter humanum commercium, ut communiter poſt Ariſtotelem in Politicis docetur: hoc autem commercium præcipuè in ipſa cogitationum comunicatione exiſtit: nam notitia conceptuum mentis propter ſe, & non ſolùm propter notitiam rerum eſt valde expetibilis, utpote quid eximium, & quaſi proprium, tantùm illius, qui ſcrutatur intimas cogitationes Deus.

120 Nequè quis obijciat quod ſi voces ſignificent immediatè conceptus, nulla propoſitio formalis vera ſit, quia cum dicitur homo eſt animal, ſenſus eſſet, quòd conceptus hominis, eſſet conceptus animalis, quod eſt formaliter falſum. Contra enim eſt, quia cùm denominationes ſint ſuppoſitorum, deberent voces homo, & animal non tantùm ſignificare conceptum hominis, & animalis, ſed etiam pro illis ſupponere; quod quia non fit, cum hæ ſint tantùm purè manifeſtativæ conceptuum, non verò etiam ſuppoſitivæ, ideo dum dicitur homo eſt animal, non fit ſenſus ab objectione intentus: multò minùs æquivocus, cum ad æquivocationem non ſatis ſit ſola ſignificatio plurium, ſed requiratur etiam ipſa pro pluribus ſuppoſitio.

121 Porro injecta hìc rerum à vocibus ſignificatarum neceſſaria mentio admonet, ut quidnam, & quotuplices ſint res Logicæ, & quaſnam in claſſes diſtributæ diſquiramus; harum autem,

autem, quas meritò objectivos terminos cum Porphyrio dicere possumus, notitiâ habitâ, ijsquè cum terminis formalibus coordinatis integras valebimus efformare propositiones, atque ex his discursus, ut tandem per conclusiones scientificas in genuinam Scientiæ, Veritatisque à Logica assequibilis deveniamus possessionem.

Logicalium objectivo-terminorum origo, author, nomen, & usus.

122 MAlchus Porphyrius Phœnix Philosophus Platonicis, ac Peripateticis disciplinis non malè instructus, cum rectè animadvertisset scientiam Logicam non posse esse de meris vocibus, aut formalibus conceptibus ut sui temporis, imò & nostri etiam sæculi, philosophorum quidam calumniabantur (nam quis quæso adeò vel hebes, vel amés est, qui profiteri præsumat prædicatum hujus v.g. propositionis essentialis, homo est animal, aliud non esse, nisi puram vocem. Cùm nemo nesciat & vocem esse essentialiter accidens, quod de hominis essentiâ, quæ substantialis est, esse nequit: & vocem animal non esse vocem homo) animum adjecit objectivis conceptibus explicandis, rogatus præsertim à Chrysaorio Romano Juvene, & Nobilitate, & Scientiæ cupidine Illustrissimo, cujus ut desiderijs satisfaceret, quinque tantùm objectivorum terminorum Logicalium universam, eamq; diversissimam multitudinem, classibus, miro sanè invento concluſit; in quibus quivis, qui versatus fuerit, quidquid propositionum, ptædicationumquè in quavis materia occurrit feliciſſimè expedire, & absquè offendiculo, quà latè patent, omnis scientiæ fines percurrere possit.

123 Has autem classes quinque, nomine quinque Prædicabilium insignivit, respiciens scilicet prædicationes formales, quibus illæ inservire, & quas ingredi debent tanquam earum objectivi termini, ac prædicata, quorum naturæ explicationem, & usum, ac diversitatem hìc censemus non abs re explicandam, ob rationem paulò ante insinuatam, rejecto interim in Metaphysicam, quò propriè spectat, universalium naturæ, & essentiæ tractatus, cum altissimæ sit considerationis.

124 Porro illud in Prædicabilium usu observandum esse ducimus, illa importare relationem quandam secundùm dici, vel rationis, ita ut res illa, seu natura, quæ prædicabilis dicitur sit velut fundamentum illius, illud verò, de quo est prædicabilis habeat se velut relationis hujus terminus: connexio autem sive identitas inter prædicabile, & id, de quo prædicari potest, habeat sese, ut ratio fundandi dictam secundùm dici, seu rationis relationem. Quibus positis pro notitia terminorum asserimus rectè à Porphyrio fuisse.

Logica prædicabilia in quinque classes distributa.

125 PRædicabilia enim, quæ aliud non sunt, quàm unum aptum prædicari de pluribns, ut ex ipsa nominis ethymologiâ cuivis constare potest, nequeunt aliter distribui spectato fine scientiæ Logicæ, quô juxta multiplicem habitudinem, & modum de contentis sub se prædicari possunt. Hic autem modus, vel habitudo est tantùm quintuplex; nam omne quod prædicari de pluribus potest, vel est in illis essentialiter, vel accidentaliter: si primum, vel est in illis tanquam pars determinabilis, & perfectibilis essentiæ, & sic est Genus, vel tanquam ejusdem pars determinativa, ac perfectiva, & sic est Differentia: vel tanquam tota illorum essentia, & sic est Species. Si verò in illis sit accidentaliter, vel est in illis tanquam aliquid necessariò connexum cum essentia, illiquè debitum, & sic est Proprium; vel tanquam aliquid cum essentia connexum tantùm contingenter, eiqué non necessariò debitum, & sic est Accidens: nequè præter istos alius assignari potest modus in pluribus existendi, ut de ijs possint prædicari.

126 Quod magis patet inde, quia ex hac divisione eluceſcit proportio illa, quæ inter philosophandum observari debet in componendis intelligibiliter prædicabilibus cum inferioribus suis, (nè mera tantùm entia rationis formando, quæ Philosophus maximè nosse debet, ignoret) cum physica & reali rerum naturalium compositione, in qua sicuti reperitur Materia, Forma, Compositum ex ijsdem resultãs, Proprietates item consequentes essentiam compositi, & Accidentia eidem convenientia, non ratione intrinsecæ essentiæ, sed causarum extrinsecarum agentium in Compositum: ita proportionaliter intellectus per abstractiones suas quinque constituit inesse intentionali Prædicabilia, Genus scilicet, quod se habet ut Materia, Differentiam, quæ se habet ut Forma; Speciem, ut totum Compositum, Proprium, quod sequitur ex rei essentia, seu specie ipsa, cum eâque est convertibile, & Accidens, quod eidem extrinsecùs, ac separabiliter advenit.

127 Nec obstat datæ divisioni inprimis, quòd non videatur dari per membra immediata, siquidem immediatiùs, Prædicabile ut sic, divideretur in Prædicabile in Quid; seu Essentiale, & in Prædicabile in Quale seu Accidentale; comparato namque fine quinque membris illius divisionis, cum fine Scientiæ assequendæ, adæquatissima illa est, & nisi de nomine quæstiones interserere rebus velimus, omnino apta ad id, propter quod datur, consequen-

dum; non ſecùs quàm diviſio litterarum Alphabeti in viginti quatuor eſt optima, quia aptiſſimè ſervit Arti legendi: ſicut enim hæc conſiſtit in combinatione varia dictarum viginti quatuor litterarum, ex quibus variæ formantur voces, ſic univerſa Logica ſcientia conſiſtit in combinatione quinque prædicabilium, ex qua conficit varias propoſitiones ad præfixum ſcientiæ finem conſequendum: adeoquè ſicut illa eſt aptiſſima diviſio ad finem Artis legendi: & ſicut terraquei globi diviſio in quatuor partes Europam, Aſiam, Africam, & Americam optima eſt, quia apta ad finem Geographiæ, quæ tali utitur diviſione; ita pariter data diviſio quinque Prædicabilium optima erit, licèt fortè immediatior aſſignari potuiſſet, quia aptiſſima eſt ad finem à Logica intentum.

128 Nec obſtat deinde, quòd data diviſio videatur omittere plura Prædicabilia, quæ reduci nequeunt ad ullum ex quinque dictis: Ens enim prædicabile de pluribus eſt, & tamen per Ariſtotelem non eſt Genus: Individuum item de pluribus prædicabile eſt, ſicut & Definitio de ſuo Definito: Contrà namque eſt, quia falſum eſt Antecedens, ad cujus probationem ajo, Ariſtotelem ſolùm dixiſſe ens non eſſe Genus proximum, & immediatum reſpectu hominis, non autem negâſſe illud eſſe genus ſimpliciter, ut ex tertio Metaphyſicorum conſtat. Individuum verò, ſicut eſt impropriè prædicabile, & ſolùm identicè, ita fortè impropriè tantùm reduci poteſt, vel ad Genus, ut hoc animal, vel ad ſpeciem ut hic homo &c. Definitio demum vel revocari poteſt ad Speciem, vel ad aggregatum duorum prædicabilium Generis ſcilicet & Differentiæ, abſque eo quòd numerus Prædicabilium multiplicetur.

129 Nequè obſtat demum, quòd ens Reale, & Rationis, Poſſibile, & Impoſſibile, Poſitivum & Negativum, Materiale & Spirituale, Subſtantiale & Accidentale ſit prædicabile de ſuis inferioribus, ſicut & Genera reliqua Prædicamentorum, quæ non videntur in ratione aliqua communi poſſe convenire, adeoquè neceſſariò ſint multiplicandæ ſpecies Prædicabilium. Contrà ſiquidem eſt, quod licèt verum ſit prædicta non poſſe convenire in una ratione communi phyſica, quæ ſe habet tantùm materialiter, & remotè ad rationem Prædicabilis: falſum tamen eſt, quod convenire nequeant in ratione formali, & proxima Prædicabilis de ſuis inferioribus ſi abſtrahantur. Atquè eandem ob cauſam multiplicitas Prædicamentorum non multiplicat Prædicabilia, eò quòd horum numerus deſumatur ex diverſo modo, quo aliquid ſuperius connectitur cum ſuis inferioribus, & de illis prædicatut: numerus verò Prædicamentorum, uti infrà dicetur, colligatur ex diverſo modo, quo aliquid afficit Subſtantiam &c. Multò minùs, ut quidam exiſtimant, ſextum conſtituit Prædicabile;

Logicorum Prædicabilium communis ratio convenientiæ.

130 TAmetſi verum ſit, quòd & perfectè præſcindat à quinque inferioribus, & de illis univocè prædicetur, atquè hæc illam æqualiſſimè participent: ratio enim hæc convenientiæ eſt quinque Prædicabilibus identificata: cùm ideò ſint Prædicabilia, quia dicunt convenientiam in tali ratione, quæ tam parùm conſtituit ſextum Prædicabile, quàm parùm judicium dicatur, vel ſit ſexta pars Rhetoricæ, ex eo, quòd identificetur, & includatur in alijs omnibus quinque partibus.

131 Quod inde magis patet, quia Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens eſſentialiter duos includunt conceptus, genericum ſcilicet & differentialem: ille eſt, quòd ſint Prædicabile de multis: iſte verò, quòd ſint Prædicabile tali vel tali modo: ſuperveniens ergò intellectus abſtrahens conſiderat convenientiam, in qua conveniunt præſcindendo à Differentia: & quia in tali conceptu reperit rursùs duplicem rationem, eſſentialem unam, accidentalem alteram; ideo vi prioris aliud non infert Prædicabile ut ſic, quàm prædicata ſua eſſentialia, eſſe ſcilicet prædicabile de pluribus: vi poſterioris autem habet, quòd Prædicabile ſit vel ut Genus, vel ut Differentia &c. quod illi prorsùs eſt extrinſecum, & accidentale, non ſecùs quàm homini ſit eſſentiale eſſe animal rationale; accidentale verò eſſe ſpeciem prædicabilem. Quo poſito facilè patet, quo modo & ratio communis præſcindat, & tamen ſextum non conſtituat Univerſale; multiplicitas enim non ex generico, ſed ex differentiali, & proprio cujuſquè Prædicabilis conceptu conſiſtente in modo, quo prædicabile eſt, exoritur.

132 Quòd autem illa ratio communis, & perfectè præſcindat, & univocè participetur ab inferioribus, conſtat. Nam non minùs Prædicabilia in ratione prædicabilis conveniunt, quàm homo & equus in ratione animalis; æquè enim de ſingulis verum eſt dicere, quòd ſint unum aptum prædicari de pluribus, prout patebit ex ſingulorum definitionibus ſtatim adferendis, quàm ſit verum de ſingulis inferioribus animalis, quòd ſint animal.

133 Nequè obeſt, quòd Prædicabile ut ſic, ſi eſſet Genus univocum reſpectu quinque Prædicabilium, deberet formaliter ſub ipſo genere primo prædicabili contineri. Hoc enim repugnare patet inde, quia quod ſuperius eſt, ſecundum eandem rationem inferius eſſe nequit. Verùm facilè diluitur objectio, ſi quis attendat, quòd id, quod eſt eſſentialiter ſuperius,

rius, possit esse accidentaliter, & denominativè inferius juxta explicationem paulò ante datam duorum conceptuum, qui reperiuntur in ipso genere, ut primo Prædicabili: adeoquè sub diversis formalitatibus, formalibusque conceptibus, qui in eo reperiuntur, nihil repugnat illud esse superius, & quâ tale præscindere perfectè ab inferioribus; & esse inferius secundum aliam formalitatem, conceptumqué differentialem; licèt enim Prædicabile ut sic 137
in suo confuso conceptu includat genus, non tamen concipitur sub hac formalitate, ut prædicabile per modum partis determinabilis, sed simpliciter concipitur quâ Prædicabile ut sic, seu quâ unum aptum prædicari de pluribus 138
nulla in hoc conceptu involutâ differentia.

134 Eâdem ratione solvitur & alia difficultas moveri hic solita, quòd idem non possit esse ratio comunis, seu generica respectu sui ipsius. Quod verum est, si sumatur semper formaliter, essentialiter, & abstractè, non verò si semel sub his formalitatibus, & secundò sub alijs, nimirum confusè, identicè, & accidentaliter: primâ enim acceptione, ut dixi, solùm importat rationem Prædicabilis ut sic; secundâ verò etiam rationem Prædicabilis talis: adeoquè nec quâ tale formaliter acceptum constituet sextum Prædicabile, quia ut jam antè ostensum est, Prædicabilia non multiplicantur, nisi multiplicentur rationes, & modi differentiales, à quibus Universale ut sic, secundum suum formalem conceptum genericum omnino præscindit: quo benè percepto nihil erit quod faceant molestiam molestæ cæteroquìn contra positionem nostram opponi solitæ difficultates. His sic statutis de Prædicabili ut sic, jam ad quinque illius membra dividentia explicanda, ut accedamus, dicimus.

Logicum primum Prædicabile est Genus.

QUod rectè definitur esse unum aptum prædicari de pluribus specie differenti-
135 bus in quid, seu ut partem determinabilem, ac perfectibilem essentiæ: quam definitionem probabilius est esse essentialem, & quidditativam generis Logici, cùm conveniat omni & soli generi, per illas enim particulas, unum aptum prædicari de pluribus, indicatur Genus proximum, in quo univocè conveniunt omnia Prædicabilia, ut constat ex priùs dictis; per alias verò & Genus differt ab Individuo, quia hoc, ut dictum, non est prædicabile perfectè, & propriè de pluribus: à Specie item & Differentia, quia hæc prædicabilia non sunt de pluribus specie quâ tali differentibus: insuperque differt ab ipsa Differentia, Proprio, & Accidente, quod illa in quale quid, hæc verò in quale simpliciter prædicentur.

136 Adeoquè datâ definitione definitur totum concretum ex natura & prædicabilitate generica cõflatum, ita, ut natura ipsa determinabilis, quæ denominatur Genus, definiatur materialiter, & ut quod, de illa enim verificatur definitio: Genereitas verò formaliter, & ut quo, quia ejus prædicata essentialia explicantur, quæ sunt generica prædicabilitas, ratione cujus de natura verificatur definitio, prout contingit in reliquorum etiam prædicabilium definitionibus.

137 Hanc autem definitionem convenire Generibus tam Generalissimis, quàm Subalternis, & Infimis, patet inde, quòd horum quodlibet prædicetur in quid de pluribus ut pars determinabilis, & perfectibilis essentiæ.

138 Nequè obest bonitati definitionis, sive quod dentur genera, quæ prædicantur de pluribus differentibus genere, quale genus est ens, quod prædicatur de substantia & accidente. Nam substantia & accidens respectu entis sunt formaliter subijcibiles species, genera tantùm materialiter ratione diversi respectûs. Sive quòd prædicabile sit etiam de solo numero differentibus; nempè mediatè tantùm, non verò immediatè. Sive quod videatur definiri sic genus per speciem, & vicissim: in quo nullus est vitiosus circulus, cùm relativa necessariò explicari debeant per terminum, licèt absolutè sumptum, hoc est, ea quæ sunt connexa cum aliquo, explicantur per illud aliquod saltem absolutè cognito, cum relativa, ut Aristoteles docet, simul sint cognitione, ut suo loco magis explicabitur.

139 Sive demum quod non videatur posse assignari genus datæ definitionis, siquidẽ quodcumque assignabile, esset supra ipsum genus quod est definitum. Nam in data definitione genus ipsum, quà definitum est, habet rationem speciei formaliter, & generis solùm denominativè; patet hoc à pari: cognitio enim quâ abstractivè cognoscitur animal, est cognitio generica respectu animalium, efficit namq; illa animalia, quæ cognoscit confusè genus, sicut visio parietis facit parietem visum denominativè: at verò eadem cognitio abstractiva quatenus comparatur cum alia cognitione ipsum abstrahente non habet rationem generis, sed potiùs est objectum alterius cognitionis genericæ, respectu cujus se habet tanquam aliquid inferius, quod denominatur genus à tali cognitione secunda non aliter, quam animal denominatur genus, quia est objectum cognitionis abstractivæ genericæ.

140 Quod si quis ulteriùs instet per datam definitionem definiri Genus ut Genus, adeoqué non denominativè tantùm, sed formaliter; respondetur illi, quòd genus non definiatur per illam cognitionem, per quam effectum est genus, sed per aliam subsequentem: nam illud quod unâ cognitione abstractivâ fit genus formaliter, potest totum cognosci abstractivè ab

alia

alia ſecunda cognitione, ita ut prima fiat objectum ſecundæ, ſecundum quod non habet rationem genericam niſi denominativè, licèt eam habeat aliunde reſpectu nimirum eorum, quæ per eam cognoſcuntur: poteſt ergò definiri Genus per verum genus, quo caſu genus definitum ſe habet ut ſpecies ſubijcibilis: certum ſiquidem eſt, quòd quidquid definitur, habeat ſe ut ſpecies reſpectu generis definientis. ſic definitum.

Logicum Genus reſpectu ſuorum inferiorum.

141 UT quà tale conſideremus, illud obſervandum videtur inferiora Generis ut ſic, à ſe invicem differre, non per ipſam genereitatem, & formaliter, ſed ſolùm materialiter, & per naturas ſubſtratas genereitati, ſic diverſificatur genus Animal à genere viventis, & hoc à genere corporis, idqué à genere ſubſtantiæ, & iſtud demum à genere entis, quia aliud formaliter eſt natura animal, aliud vivens, aliud corpus, aliud ſubſtantia, & aliud ens, quod eſt genus ſummum, & generaliſſimum reſpectu inferiorum generum, ijſdem univocè conveniens; utpote omnimodè abſtractum, & importans in ſua formalitate prædicabilitatem in quid, per modum partis potentialis eſſentialis, de cujus prædicabilitate reliqua omnia inferiora univocè, & perfectè ſunt participantia, cum tali conceptui ſub illa formalitate nihil differentiale, aut ſpecificum, quà tale poſſit ſubijci.

142 Quamvis enim Genus ab Ariſtotele dicatur, & pars ſpeciei, & totum poteſtativum, hoc tamen ſolùm ab eo dicitur; & primum quidem, quatenus ſpecies continet in ſe duos conceptus explicitos: unum nimirum genericum, alterum differentialem, ut notum eſt: ſecundũ verò, quatenùs genus plures ſpecies tanquam ſui partes ſub ſe continet, non quidem ſecundum conceptum explicitum, & formaliter, ſed tantùm potentiâ, & poteſtate, quâ de ſingulis prædicari poteſt: vel etiam utrumque, quatenus genera ſubalterna omnia reſpectu diverſorum, prædicabilia ſint, & ſubijcibilia, prout patet in genere viventis, quod reſpectu corporis eſt ſubijcibilis ſpecies, reſpectu verò animalis eſt genus, & totum poteſtativum.

143 Nequé per hoc, quòd admittamus hujuſmodi inter genera diverſitatem illa multiplicamus in ratione prædicabilium: nam modus quo prædicabilia ſunt, idem eſt omnino omnibus reſpectu inferiorum, quantumvis hæc entitativè inter ſe differant, prædicantur enim omnia de inferioribus ſuis incompletè, & ut pars eſſentiæ determinabilis, & perfectibilis,

144 Porro ad rationem generis cenſemus neceſſariò requiri plura inferiora, ſive actu talia, ſive ſaltem poſſibilia: alioquin eſſentia illius explicata per eſſentialem ſupra datam definitionem non eſſet eſſentia generis: ſufficit autem ad poſſibilitatem iſtam, ut inferiora quomodocumqué ſint, vel eſſe poſſint: unde etiam rationem genericam in ipſis entibus impoſſibilibus reperire poſſumus, quatenus ſcilicet ſub genere impoſſibilium, plura impoſſibilia ſint poſſibilia: Nequé in hoc paradoxa loqui videamur, certum eſt, quòd ſub conceptu generico entis rationis, ſint plurima factibilia rationis entia ſpecie, & numero ſuo modo diſtincta.

145 Quod ſi faciamus hypotheſim, nullatenus ſe deſtruentem, & dicamus omnes omninò ſpecies v.g. animalium implicare præter humanam, in tali caſu de abſoluta potentia poſſibili, ſaltem per decretum Dei extrinſecum, cujus complementum eſſentiale eſſet carentia omnis animalis, unico excepto rationali, animal genus non eſſet, ſed ſpecies, & & probabiliter rationalitas haberet ſe ſolùm ut proprietas ſpecifica talis ſpeciei, non ſecùs quam defacto cenſeatur communiter eſſe riſibilitas. Nam illâ in hypotheſi prædicatum animalis eſſet, tum primus conceptus conſtitivus hominis, & fundamentaliter diſtinctivus ejuſdem ab omni alio, quod animal non eſſet: utpote primum, & adæquatum principium omnium operationum: quæ homini, quâ homini tunc convenirent: tum quia prædicaretur de pluribus differentibus ſolo numero in quid, & primariò, ac ut tota eſſentia.

146 Patet, nam ideo defacto incompletè, & ut pars eſſentialis prædicatur, quia homo, & brutum non ſunt ejuſdem eſſentiæ completæ, in illo autem caſu, quo nullum animal præter hominem eſſet, non eſt ratio negandi cur animal non foret completa hominis eſſentia: id enim, quo homo defacto conſtituitur, ut vi illius partim conveniat cum omni eo, quod ſub eodem proximo genere continetur, quin tamen homo ſit, & partim etiam ab eo differat, id profectò eſt hominis ſpecies, totaqué illius eſſentia; hâc enim ratione, & non aliâ defacto animal rationale eſt ſpecies & tota hominis eſſentia, ſed in illa hypotheſi, quo nullum aliud eſſet poſſibile animal, per hoc conveniret cum omni vivente, quod homo non eſt, & differret ab omni eo, quod ſenſibile non eſt, quale eſt vivens omne, quod vivit vitâ vegetativâ, non ſenſitivâ, ergo tunc animal ſive vivens ſenſibile ſpecies quædam foret, totaq; hominis eſſentia logica, & rationalitas ſolùm quædam illius conſequens ſpecifica proprietas.

147 Nequé obeſt, quòd factâ quâcunque ſuppoſitione materia nunquam eſſe poſſit tota eſſentia phyſica hominis, ergo nec animal tota,

ta, essentia ejusdem logica. Disparitas namquè est, quòd essentia logica rei quà talis non sit intrinseca simpliciter & adæquatè, sed partim extrinseca, & accidentalis, adeoquè aliquatenus variabilis; patet, nam logica rei essentia est ejus definitio, sive genus & differentia, quæ non sunt illi omnino intrinseca, cùm saltem secundùm quid aliunde illi adveniant, ut est manifestum: essentia autem physica consurgit ex partibus essentialiter intrinsecis, adeoquè materia, factâ quacumque suppositione, semper erit pars tantum intrinsecè constitutiva hominis.

148 Ubi consequenter etiam advertendum est, nos non asserere hominem posse esse reipsâ absque eo, quòd sit animal rationale, sed solùm quòd per solum animal tanquam prædicatum sibi proprium, & intrinsecum definiretur, ac primariò explicaretur, in quo, ut ex dictis apparet, nullum prorsus est inconveniens, adeoquè aliæ objectiones, quæ fieri possunt ab eo, quod de facto est, ad id quod dicimus possibile nihil urgent, siquidem aliud prorsus nihil immutaretur in homine, quàm solus conceptus logicus ejusdem definitivus & specificus.

149 Nec obstat, quòd aliquando genus possit etiam prædicari de individuis obscurè, & confusè cognitis, adeoque etiam in illa hypothesi animal maneret genus: nam imprimis antecedens potest revocari in dubium sistendo præcisè in definitione generis suprà allatâ: Deinde dato etiam antecedente, dici potest, quòd in data hypothesi *ly animal* accipiatur absolutè, & non comparativè, ac potius ut species subijcibilis, quàm prædicabilis, quia in ea præcisè consideratur essentia logica hominis, non autem quatenus illa est prædicabilis de inferioribus, ut patet illam consideranti. Verùm de genere primo prædicabili his statutis; Dicimus ulteriùs.

Logicum secundum Prædicabile esse Differentiam.

150 QUam bene definit Porphyrius dicendo, quòd sit unum aptum prædicari de pluribus in quale quid. Circa quam definitionem varij variè se torquent, respectu maximè illius ultimæ differentialis particulæ, in quale quid: quorum controversiæ facilè complanantur, explanando id, quod illâ significatur: illud namque prædicari dicitur in quale quid, quod licèt sit de substantia, seu essentia metaphysica rei, ad modum tamen accidentis prædicatur absque ullo inconveniente: sicut enim tametsi ens corporeum, & spirituale in unũ per identitatem coalescere nequeunt, tamen rectè ens spirituale ad instar corporei concipimus: sic esto essentia, & substantia metaphysica, seu logica logicum accidens esse non possit, instar tamen accidentis prædicari, & concipi poterit, in quo illa differentiæ differentia in quale quid consistere valet.

151 Insuper juxta communem Recentiorum sententiam illud quod in composito metaphysico, ex modo quo concipitur, & importatur æquivalet physicæ formæ, prædicari dicitur in quale quid, sicut è contra, quod in tali composito correspondet materiæ, seu subjecto physico, importatur, & prædicatur simpliciter in quid incompletè; non secùs quàm prædicetur simpliciter in quale; quod in compositione metaphysica essentiale non est, cujusmodi est accidens, quod accidenti physico æquipollet.

152 Denique ideo etiam dici potest Porphyrium posuisse pro differentiali particula differentiæ ly *quale quid*, quia differentia ita est de conceptu essentiæ logicæ, ut tamen per conceptum nomini adjectivo correspõdentem prædicetur, utpote adveniens generi, quod contrahit, & inhærens intrinsecè speciei, quam constituit.

153 Neque huic nostræ explicationi obesse potest, quod nonnulli sentiant per illam definiri solum differentias subalternas, non vero differentias infimas, quas ignotas Porphyrio fuisse arbitrantur; Nam hi authores non tam Porphyrium defendũt, quàm eum turpi ignorantiæ notâ insimulant: cùm tamen sicut proprium quarto modo omni, soli, & semper conveniens agnoverit, ita differentiam ultimam essentialem, omni & soli, ac semper speciei convenientem agnovisse meritò est censendus.

Logicæ Differentiæ Divisio.

154 PEr hanc rectè dividitur differentia in Divisivam Generis, Constitutivam speciei, & in propriè Prædicabilem in quale quid: licèt hæc membra dividentia non absolutè, sed tantùm respectivè ab invicem distinguantur: rationale enim eo ipso, quòd genus animal contrahat, reipsâ constituit hominem, & secundùm quod hunc constituit, est reipsâ prædicabile in quale quid de suis inferioribus: nihilominus rationale, animal dividit, non constituit: hominem verò constituit, non dividit, neutrum verò facit prædicari formaliter in quale quid, esto ipsum rationale sic prædicetur.

155 Unde bene inferimus Differentiam respectu speciei, quam constituit, aut generis, quod contrahit, non esse prædicabile: cùm hoc sit unum in multis sibi subjectis, Genus autem, & species non subijciuntur Differentiæ, ut clarum est.

156 Dividi præterea solet Differentia in subalternam, & infimam seu ultimam; nec malè, cùm hæc illam non includat, siquidem ubi da-

tur perfecta distinctio inter gradum superiorem, & inferiorem, alter alterum formaliter nullatenus includit, alioquin compositio logica, compositio non foret, tam parum, quàm esset compositum aliquod physicum ex materia, & forma, si hæc ab invicem physicè non distinguerentur.

157 Nec obstat, quòd si differentia ultima non involueret subalternam, illa esset non infima, sed suprema, eò quòd illud sit, & dicatur supremum, quod nullum superius includit, uti patet ex dictis suprà de Genere. Contrà siquidem est, quòd sequela vera sit negativè, hoc est, quòd nullam habeat differentia infima supra se directè: non autem positivè; hoc est quasi sub se plures haberet, quo in sensu diximus genus summum esse supremum, quia sub se continet omnia genera.

158 Neque obstat denuo quòd rugibile, quæ est ultima differentia leonis, includat sensibile, quæ est subalterna, cum actio leonina, cujus principium est rugibile, sit formaliter sensatio. Nam contra est, quia rugibile non est principium actionis leoninæ secundùm totam, & adæquatam ejus rationem, sed solùm secundùm partialem, & ultimam contractionem, per quam constituitur in esse talis: sicut enim species includit genus, sed non solum, ita & rugitus includit sensationem, sed non solam; verùm etiam ultimam differentiam contrahentem sensationem ad esse rugitûs, quam rugitus formaliter non respicit, ut sensitiva est, sed solùm ut est ultima sui differentia; adeoque actio rugiendi formaliter secundùm ultimam sui differentiam est quædam quasi modificatio sensationis, sicut rugibile est modificatio quædam prædicati sensibilis.

159 Neque denique obest, quòd communiter judicetur hic syllogismus bene concludere: omnis homo est formaliter sensibilis, sed omne rationale formaliter est homo, ergò omne rationale formaliter est sensibile; quæ conclusio non esset legitima, si ultima differentia non involueret formaliter subalternam: concedo enim eam esse vel hoc ipso illegitimam, eò quòd medius terminus variet appellationẽ in præmissis, in majori enim subijcitur, ut dicit formalitatem generis, in minori verò prædicatur, ut dicit formalitatem differentiæ: adeoquè admittenda illa nullatenus est, nisi cum distinctione, quâ varietas illa acceptionis medij termini elucescat.

Logica differentia comparativè considerata.

160 HAc in consideratione differentia accipi potest, vel ut collata cum genere, vel ut comparata inter se sub diversis respectibus; vel ut concurrit multiplex ad alicujus speciei constitutionem. Quoad primum, videtur perfectior illa esse Genere, quod contrahit, quoad modum essendi; Nam inter ea quæ sunt ejusdem ordinis, qualia sunt omnia prædicata essentialia, illud quod remotius est ab existentia, & individuatione, quale est genus, imperfectius est illo, quod proximè existentiæ, & individuationi accedit, qualis est differentia præsertim ultima specifica: quod certum esse patet ex rebus physicis, quarum eæ perfectiores sunt, quæ proximè accedunt ad unitatem, & individuationem: & hinc Deus est perfectissimus, quia maximè unus, quoad modum verò prædicandi videtur genus perfectius differentiâ; quia scilicet illud prædicatur absolutè in quid ad modum partis per se stantis, hæc verò in quale quid per modum partis aliunde accedentis.

161 In quantum autem ad secundum attinet, videtur certum differentiam subalternam in ratione prædicabilis non differre ab infima, vel viciſſim: eodem enim prorsus modo utraque prædicatur in quale quid de inferioribus illius speciei, cujus sunt differentiæ. Quòd verò ultima addat ultimum rei complementum, non arguit illam in se esse conceptum completum, sed solùm esse ultimum incompletum, ut patet in forma physicè constitutiva compositi.

162 Demum quod ultimum concernit, dicimus differentiam infimam specificam posse, imò debere aliquando componi ex duabus vel pluribus differentijs inadæquatis: cujus ratio est, quia toties differentia esse debet composita, quoties possunt in ea distingui per præcisiones nostras duæ rationes formales ab invicem, saltem ratione nostrâ separabiles: has autem rationes reperiri in differentiâ patet in lacte, ut alia hujusmodi plura omittamus, in eo namquè datur principium albedinis, & dulcedinis, quod quamvis sit unum entitativè indivisibile, à nobis tamen præscindi potest objectivè intentionaliter per ordinem ad solam albedinem, quam visu, & per ordinem ad dulcedinem, quam gustu percipimus; adeoquè differentia lactis constitutiva sub his duabus rationibus differentialibus in ratione differentiæ est composita saltem juxta nostrum concipiendi modum, quod idem in alijs pluribus est reperire.

163 Nequé obstat quòd illæ nequeant se habere ut perfectibile, & perfectivum, cùm sint omnino disparatæ; falsum namqué est, quòd semper ad compositionem requirantur partes habentes sese ut forma & materia, vel ut genus & differentia: cùm & duæ partes quantitatis faciant unum quantum, duæ partes albedinis unam albedinem, &c. cùm igitur rerum essentiæ, ut ait Aristoteles, se habeant sicut numeri, poterunt conjungi plura prædicata dispa-

disparata, etiam differentialia, ad compositionem totalis unius differentiæ.

164 Nequè obest secundò, quòd ex hoc videatur sequi è duobus generibus non subordinatis in eandem entitatem confluentibus quodlibet posse subire rationem differentiæ alterum contrahentis; Nam & hoc libenter admittimus, si sermo sit de generibus inadæquatis; cùm ratio generica spiritualis defacto contrahatur per spirituale appetitivum in voluntate, & per spirituale intellectivum in intellectu; & ratio appetitivi per appetitum spiritualem in eadem voluntate, & per appetitum materialem in eodem homine. Quòd si Aristoteles doceat, illa, quæ sub diversis generibus continentur differre specie: intelligendus est loqui de generibus adæquatis, & inter se oppositis, non autem de subordinatis, & disparatis.

165 Nequé obest demum, quòd juxta hunc philosophandi modum duæ differentiæ possint se habere, ita, ut una sit per se divisiva alterius. Nam & hoc verum est, quia differentia, v. g. habens pedes, conjungi potest cum differentia implumi, quæ ab illa est disparata; potest siquidem esse aliquid implume absque eo quòd sit habens pedes, sicqué rectè dici potest: implume aliud habens pedes, aliud non habens pedes: & rursus habens pedes aliud plumatum, aliud implume; adeoqué eadem differentia conjungi potest cum alia differentia à qua propriè contrahatur.

166 Unde rectè Atistoteles, fissionem, & soliditatem in pedibus ait esse aliquam peditatem, hoc est, rem per se pertinentem ad pedes, cùm non possit esse aliquid habens hanc differentiam, nempe soliditatem, vel fissionem in pedibus, quin hoc ipso habeat pedes.

167 Et ne fortè alicui videamur loqui in hoc contra id, quod supra diximus de perfecta præcisione differentiæ infimæ, aut subalternæ, observandum esse illud duximus, quòd scilicet dupliciter possit aliquid importari in aliquo conceptu: Primò, ut quid omnino intrinsecum in re, quæ concipitur: sic importatur genus, & differentia in conceptu formali speciei; & secundò ut quid extrinsecum, necessariò tamen requisitum ad esse talis rei, sic Creator in conceptu Creaturæ importatur necessariò ut connotatum, nequé tamen ideo involvitur in conceptu essentiali creaturæ: quo modo etiam differentia habens pedes infertur, ut connotatum extrinsecum, eò quòd fissio, & soliditas in pedibus nequeant esse absqué eo quòd sint pedes.

Logica species, seu tertium Prædicabile.

168 Speciei quidditas, prout Logicæ est considerationis, rectè explicari solet dicendo; quòd sit adæquata & completa essentia à pluribus participabilis in quid, constans duobus prædicatis sibi proprijs, per quorum unum convenit cum pluribus, per alterum differt ab omnibus: esse namqué speciem est habere naturam seu essentiam completam vel absolutè, si sit species infima, vel respectivè si sit species subalterna: respectivè quidem si comparetur cum superioribus respectu quorum completur per differentiam, quam ijs superaddit: absolutè verò, quia species infima comparata cum inferioribus completè continet essentiam suorum inferiorum: quod nullo modo dici posset de specie, nisi talis illa foret, qualis explicata est in data descriptione.

Speciei Logicæ divisio.

169 COmmunis authorum consensus eam in speciem Subijcibilem, & Prædicabilem partitur: illa est quæ posita sub assignato genere, de ea genus prædicatur: per quod sufficienter ab individuo differt, quod subijcibile licèt sit, non tamen tantùm soli generi.

170 Hæc reduplicativè accepta formaliter prædicabilis non est, cùm non sit quà talis dicens ordinem ad sua inferiora, sed simpliciter ad superiora; alioquin etiam individuum prædicabile esset, cùm sit subijcibile tam respectu generis, quàm ipsius speciei.

171 Neque quis dicat speciem, ut est subijcibilis generi, non esse individuam: adeoquè esse formaliter prædicabilem; nam hoc solùm probat talem esse tantùm specificativè, & materialiter, non vero formaliter, & reduplicativè: Species enim prædicabilis quà talis rectè dicitur esse unum aptum prædicari de pluribus in quid solo numero differentibus. Nam per ly unum aptum convenit cum cæteris prædicabilibus: per ly prædicari de pluribus differentibus numero dissidet à genere, & demum per ly in quid, quod idem significat ac essentialiter completè, à reliquis tribus prædicabilibus.

172 Nec obstat, quòd species ut sic, dum prædicatur de specie subijcibili & prædicabili rationem subeat generis, & prædicetur ut genus de suis inferioribus, species enim species est, non quatenus abstrahitur per aliam cognitionem, ut in casu posito fit, sed quatenus versatur circa aliquam pluralitatem, explicando rationem naturæ completæ, ut suprà est dictum; nam sicut animal, quatenus concipitur ut ratio per se prædicabilis de inferioribus, est genus, & quatenus consideratur sub ratione naturæ completæ, est species: ita species quatenus cõcipitur ut prædicabilis de subijcibili, & prædicabili, seu subalternâ & infimâ, subit rationem generis, quatenus autem sumitur, ut genere & differentiâ constans, est species, & ratio essentiæ

tiæ completæ, in quo nulla intervenit repugnantia, cùm sit respectu diversarum acceptionum.

173 Neque etiam obstat, quòd species in communi prædicetur de omnibus speciebus, v. g. de humana, equina, leonina &c. quæ omnes specie inter se differunt. Falsum enim assumitur ab illis, qui hæc objciunt, cum supponant dari rationem aliquam speciei ab omnibus speciebus abstractam, quod illis probare incumbit: data enim à nobis definitio speciei prædicabilis sumi debet in suppositione distributiva, quasi diceretur, species humana est, quæ prædicari potest de pluribus hominibus solo numero differentibus in quid, species equina, quæ eâdem ratione de pluribus equis, solo numero differentibus prædicabilis in quid est, &c.

Logica species ad inferiora sua comparata.

174 INter ea, de quibus controvertitur, an subire possint rationem speciei Logicæ, est etiam Deus ipse, de quo quæritur, an prædicabilis sit specificè de Patre, Filio, & Spiritu sancto? In quo nobis pars negativa videtur probabilior, eò quòd in ratione Dei non differant numero, sicut in ratione hominis Petrus, Paulus, Joannes, qui sunt tres homines; sed sunt unus idemque Deus numero immultiplicabilis.

175 An verò ratio Personæ Divinæ respectu trium Personarum sit specifica, decisio spectat ad Theologos; Logicis namque sufficit illud scire, quòd licèt tres Divinæ Personæ notabiliter inter se differant in ratione personæ, attamen probabiliùs prædicatio Personæ ut sic, generica potiùs est, quàm specifica, uti ex infrà dicendis magis patebit.

176 His tamen non obstantibus, speciem prædicabilem in Deo secundùm nostrum concipiendi modum, etiam metaphysicè posse habere locum, probabilius putamus. Nam à cognitione extrinsecè & respectu nostri individuâ, quâ Deus cognoscit Petrum, & à cognitione etiam extrinsecè individua, quâ Deus cognoscit Paulum, cur non possit à nobis abstrahi aliqua ratio communis specifica apta prædicari de hac, & illa cognitione?

177 Secundò, entia impossibilia & rationis; quæ probabilius est posse habere suo modo & genera & species: nam hic & ille hircocervus, hæc illavé negatio impossibilis secundùm se non differunt specie, quia nulla est dissimilitudo inter illa maior, quàm sit inter duos hircos, vel inter duos cervos; adeoqué numero inter se differunt, cùm possit confici aliquis chymærarum, & hircocervorum numerus: sicut enim participant rationem entis, ita etiam suo modo participant entis transcendentales proprietates.

178 Tertiò entia negativa, & privativa etiam inter genera, & species suum sibi locum vendicant. Nam hoc, & illud non ens v. g. cæcitas, surditas, &c. tam conveniunt in ratione non entis, seu carentiæ, quàm visus, & auditus in ratione entis positivi; adeoqué ab utraque abstrahi poterit ratio specifica logica communis non entis positivi, & consequenter cæcitas erit respectu hujus, & illius numero cæcitatis.

179 Quartò nec entia Modalia & Mathematica refugiunt adnumerari inter genera, speciesqué logicas: sicut nec incompleta, seu essentialia, seu integrantia: omnia namqué habere possunt rationem entis completi logici, & prædicari in quid de suis inferioribus: siquidem de his omnibus præcisè acceptis dantur propriæ definitiones constantes genere proximo, ultimâqué differentiâ, quarum definitum necessariò esse debet species Logica.

180 An autem species Logica requirat plura individua saltem possibilia; probabilior est pars affirmativa: Ratio desumitur ex essentiali suprà allatâ speciei definitione: unde licèt defacto non detur species aliqua in sublunaribus, quæ unicum habeat individuum, cùm improbabile sit id; quod Plinius de Phœnice narrat, uti colligitur ex pluribus eidem coævis Historicis: si tamen daretur, servaretur adhuc ratio speciei in unico individuo existente, dummodò plura essent possibilia: sicut defacto salvatur in unico sole ratio specifica naturæ solaris, eò quòd absolutè plures soles sint possibiles.

181 Ex quo rectè inferimus speciem aliquam Logicam immultiplicabilem in plura individua dari non posse. Argumentum hujus, præter allata, Logico sufficiet illud, quòd dabile non sit genus immultiplicabile in plures species, ergò nec species immultiplicabilis in plura individua, quam paritatem amplius ostendemus infrà, ubi de infinito: sicut & de individuo speciei correlativo aptiùs suo loco in Metaphysica, ubi de ente singulari, Interea statuere hoc loco placet, quid sit.

Logicâ specie differre?

182 AD hoc quæsitum non ineptè doctus quidam Neothericus pronunciavit, tot esse placita, quot capita: plerique enim sunt, qui putant hanc differentiam desumi debere ex prudentum judicio, quorum placitum minimè arridet; si quidem prudentes, ut hoc prudenter determinent, egent fundamento aliquo in re, in quo fundent hujusmodi suum judicium, cùm essentiæ, earumqué essentiales differentiæ non dependeant secundùm se ex hominum imaginatione, & conceptibus sæpe chymæricis, nec dependere possit, eò quòd

etiam

etiam illi, qui sapientum nomine gaudent, sæpissimè contradicentia prorsus in rebus maximè philosophicis ferant judicia ; estò verum etiam sæpe sit, quòd magna ingenia crebrò conveniant.

183 Alij dicunt ea differre specie, quæ in perfectione essentiali, & entitativa sunt inæqualia. At contra hos etiam est, quòd malè res definiatur per prædicatum de cujus veritate plurimùm dubitatur : dubium namqué est maximum, an ea quæ differunt specie inæqualia sint in perfectione : dum enim quis evidenter cognoscit, quòd figura ovalis & sphærica, albedo, & rubedo differant specie, nihil cogitat an æquales sint, vel inæquales ; adeoq; per inæqualitatem perfectionis non benè explicatur differentia specifica.

184 Alij docent ea differre specie, quæ in præcipuo prædicato differunt. At ex hoc sequeretur, bruta omnia esse ejusdem speciei, cùm omnia conveniant in præcipuo prædicato sensitivi. Eodem ferè argumento reijcimus placitum illorum, qui tenent sufficere ad hoc ut aliqua dicantur specie differre, quòd accidentia, quæ illis tantùm conveniunt, differant in præcipuo prædicato : hoc enim si verum esset, etiam concedi deberet sensationes omnes ejusdem esse speciei, quia prædicatum sensationum præcipuum est esse actum cognoscitivum, in quo omnes illæ conveniunt, nec ulatenus in eo differunt.

185 Econtra docent alij illa differre specie, quæ in aliquo prædicato per se & necessariò ipsis conveniente, sunt dissimilia. Verùm & hanc opinionem reijcimus, tum quia ex ea sequitur evidenter omnia individua differre inter se specie, cùm omnia dissimilia sint in prædicato aliquo per se ipsis conveniente, ut patebit ex dicendis suo loco de ente singulari : tum quia rotunditas globi aurei, & rotunditas globi lignei specie nullatenus differunt, licèt per se differant in prædicatis sibi necessariò convenientibus, in eo quòd altera sit rotunditas aurea, altera lignea : similiter calefactio, quâ ignis lignum calefacit non differt specie à calefactione, quâ idem calefit à sole ; licèt dissimiles sint in prædicatis, quæ illis necessariò competunt, uti est procedere à sole, & procedere ab igne. Unde aptiùs.

186 Dicemus illa differre propriè specie, quæ per se sunt disconvenientia in solis prædicatis formalibus, hoc est contrahibilibus per differentias oppositas solùm numericè : cujus ratio est, quia illa tantùm differunt specie logicâ, quæ dissimilia sunt in prædicatis specificis, sicut illa dicuntur, & verè etiam differunt genere, quæ sunt dissimilia in prædicatis generics : sed prædicata merè specifica sunt illa, quæ contrahibilia sunt per differentias numericè oppositas, sicut, quæ contrahibilia sunt per differentias purè specificas sunt prædicata generica, ut constat in prædicato homo, quod est prædicatum purè specificum, quia solùm est contrahibile per differentias individuales Petri, Pauli, &c. non secùs quàm prædicatum animal sit genericum ; quia contrahibile est per differentias specificas rationale, & irrationale.

187 Ubi tamen ex tractatu de actibus humanis Eminentissimi Cardinalis Sfortiæ Pallavicini illud adnotare libet, quòd sicut difficile est reperire genus infimum, sic difficile valdè esse judicare, utrum aliqua differant specie solâ vel etiam genere aliquo infimo nobis ignoto, adeoquè videri posse dici hominem, & equum non solùm differre specie, sed etiam genere aliquo nobis innominato, in quo equus convenit cum leone.

188 Ut autem in intricato hoc specificæ differentiæ labyrintho securiùs versemur, tribus regulis triplici quasi funiculo manuducimur, quarum prima est : In animalibus, & plantis, quæ nunquam ab invicem generantur. Argumentum infallibilitatis hujus regulæ est, quia vis generativa data est à natura viventibus omnibus, ut se propagent, cumqué in individuo diu sese conservare nequeant, saltem perseverent in specie.

189 Ex quo censemus probabilius esse canes, seu animalia latrabilia specie inter se differre, quia nunquam & nusquam Molossus generatur à Vertago, vel è contra, nec quidem mediatè : si enim conveniant duo canes, cæteroquin diversi, tertium producunt de utroque participantem. Sic videmus Lycisca oriri ex cane & lupo, non secùs, quàm ex equo patre & asina matre producatur mulus de utroque parente participans.

190 Altera regula dignoscendi quænam specie differant, est ista : quòd diversæ proprietates, & accidentia nulli alteri substantiæ convenientia, vel non nisi rarissimè, & per accidens arguant specificam differentiam, illius substantiæ cui semper conveniunt ab omni alia. Ratio regulæ facilè patet, quia ex eo, quòd quibusdam semper, & omni loco si sibi relinquantur, amotis extrinsecis agentibus, conveniant talia, alijs non convenientia, ab alijs diversæ rationis & speciei esse, nemo est qui dubitare valeat, modò noverit, quæ suprà diximus, substantiarum omnem notitiam nostram dependere ab ijs, quæ sensibus nostris aliquatenus percipimus. Et ex hac

191 Tertiam statuimus regulam, quòd accidentia, quorum unum cadit solùm sub unum, & aliud solùm sub alterum sensum differant specie : hæc enim in hoc vitæ nostræ statu est prima regula dignoscendi notabilem discrepantiam ; adeoque eâdem ratione omnia ea differunt specie ab his, quæ non cadunt sub

ſenſum. Quæ enim ſub eundem ſenſum cadunt, difficulter diſcernuntur, quia ſæpe differunt ſolùm ſecundum magìs & minùs, licèt faciant notabilem diverſitatem in apparentia, ut conſtat maximè in coloribus apparentibus. Et hac in parte ſolùm exiſtimamus locum habere aliquatenus prudentum judicium. Verùm ut à ſpecie, & à conceptibus duobus jam præmiſſis objectivis eſſentialibus, gradum faciamus ad eorundem accidentales, quorum primus eſt, & appellari ſolet

Logicum proprium.

192 QUod quadrupliciter, juxta quadruplicem, quâ exigitur, diverſitatem de ijs, quæ eſſentialiter conveniunt, dici ſolet: imprimis enim accipitur pro eo, quod convenit ſoli, ſed non omni; ſic viſio eſt propria animalis, quia ſoli animali convenit, ſed non omni; quia talpæ, ut communis fert ſapientum ſenſus, non convenit. Sumitur deinde pro eo, quod convenit omni, ſed non ſoli: ſic frigus eſt aquæ proprium, quia convenit omni, ſed non ſoli aquæ. Inſuper accipitur pro eo, quod convenit quidem omni & ſoli, ſed non ſemper: ſic actus ſentiendi convenit omni & ſoli animali, at non ſemper: Quartò demum ſumitur propriè, & in rigore pro omni eo, quod convenit omni, ſoli & ſemper, ſic riſibilitas homini, quantitas corpori, aliaqué hujuſmodi accidentia propria, omni, ſoli, & ſemper eſſentiæ ſuæ, à qua emanant, conveniunt. His poſitis.

193 Probabile imprimis cenſemus Proprium in hac quartâ acceptione ſumptum conſtituere propriè primo intentionaliter quartum Prædicabile: quia ſcilicet ab eſſentia emanat, cumqué eâdem eſt convertibile, utpote omni, ſoli, & ſemper conveniens inſeparabiliter: ideo enim dicimus riſibile cum communi Authorum dimanare ab eſſentia hominis, quia reperimus ſemper eidem conjungi.

194 Dixi, cum communi Authorum, nequé enim omnino videtur improbabile, inſiſtendo præcisè rationi, quòd riſibile rationalis proprium non ſit: quia nempe rationalitas, ſeu rationabilitas ex ſe connotat fundamentum præcipuæ ſapientiæ, ac rectæ cognitionis, unde ipſi effectus adæquati correſpondere debent: quæ correſpondentia, ac proportio cum vera ſapientia, ac recta cognitione non reperitur in riſibilitate; hæc namq; eſt fundamentum effectuum planè oppoſitorum ſapientiæ, cùm riſus, qui ejus eſt effectus à multis ſapientibus viris habeatur aut ſtultitiæ, aut ignorantiæ indicium: ſtultitiæ quidem, quia juxta, non minùs fortè verum, quam vetus adagium: riſus abundat in ore ſtultorum, ideoqué proportionari nequit rationi, aut rationalitati, & conſequenter cauſa hujus immediata, quæ riſibilitas eſt, nec poteſt à rationalitate emanare, nec eſſe ipſius proprium: quòd etiam ignorantiæ ſit riſus ſignum, patet communi experientiâ, quâ conſtat, quòd ut plurimùm ex admiratione homines rideant: admirari autem ex ignorantia provenire, profitetur Ariſtoteles primo Metaphyſicorum cap. 21. Si igitur riſus & ignorantiam, & ſtultitiam denotat, profectò riſibilitas, ut radix ipſius fundamentum ignorantiæ & ſtultitiæ erit: adeoqué ipſius cauſa mediata rationalitas eſſe nequit, cùm effectus conditionem cauſæ connaturaliter ſequatur, ſed potiùs defectus, & privatio rationis. Quod idem ex oppoſita ratione de flebilitate probabiliter dici poſſe exiſtimamus.

195 Nequè obſtat, quòd actualis riſus ita proveniat ab homine, ut à nullo alio ſubjecto provenire poſſit, quod non accidit reliquis accidentibus; nam ſi quid hæc inſtantia probaret, probaret nullum dari accidens commune, ſeu quintum prædicabile: albedo enim v. g. ita reſpicit ſubjectum materiale, ut nulli alteri inhærere poſſit, ut conſtat. Per quod tamen, quia nihil detractum volumus communi ſententiæ, & acceptioni talium proprietatum, ideo etiam de ijs cum communi hactenus opinione, & hîc, & deinceps diſcurremus.

196 Probabile præterea judicamus proprium in ſecunda acceptione ſumptum dici poſſe, ſaltem mediatè, propriè pertinere ad quartum prædicabile primò intentionaliter acceptum. Nam reſpectu alicujus prædicati communis tale proprium emanat ab eſſentia neceſſariò, & eſt cum illa convertibile, ſic appetitus ſenſitivus, qui convenit homini, & alijs omnibus animalibus ab homine diſtinctis, licèt non dicatur propriè immediata paſſio hominis, mediatè tamen dici poſſe non eſt cur negemus, hoc ipſo, quòd talis appetitus omni animali conveniat, & in nullo non reperiatur, quod ſufficit ad rationem quarti prædicabilis ſecundò intentionaliter accepti.

197 Nequé obeſt quòd Ariſtoteles primo Topicorum cap. 4. dicat, proprium alicujus rei à nemine dici poſſe quod alteri convenire poteſt; ex quibus verbis rectè videatur inferri proprium ſecundo modo acceptum non ſpectare ad quartum prædicabile. Nam Philoſophus citato loco ſolùm negat illud eſſe proprium alicujus rei perfectiſſimum quarto modo, non verò quòd non ſit proprium perfectè quidem, ſed modo quodam latiori; quo modo accepta illius authoritas nihil derogat veritati noſtræ opinionis.

198 Probabile etiam arbitramur, Propriùm primo & tertio modo acceptum non pertinere ullatenus ad conſtitutionem quarti Prædicabilis primò intentionaliter ſumpti: Proprium enim, in illis acceptionibus, omni contingen-

genter convenit subjecto, nam Petrum v. g. esse Logicum, æquè illi contingens est, ac esse album: quòd autem esse album convenire possit etiam alijs speciebus, & non esse Logicum, disparatè prorsus se habet respectu Petri; quia scilicet album posse alijs speciebus convenire, non est relatio ordinis ad Petrum, sed ad alias species, sicut non est relatio Logicæ ad Petrum, sed defectus relationis in Logica ad alias species.

199 Nec obstat quòd esse Logicum, sit habere capacitatem ad Logicam, quæ capacitas omni & soli homini convenit. Nam hæc instantia in suppositio non subsistit, siquidem esse Logicum nō est habere capacitatem cum ipsa actuali possessione Logicæ, sed independenter ab ipsa; quo pacto sumpta capacitas, non primo, aut tertio, sed quarto modo est proprium.

200 Neque obstat rursus, quòd proprium primo, & tertio modo sumptum spectare nequeat ad Prædicabile Quintum, cum dicat respectum ad essentiam cujus est proprium, qui respectus convenire nequit Quinto Prædicabili: Nam tametsi id concederetur, quia tamen aliunde ita respicit essentiam, ut possit semper vel adesse vel abesse absque subjecti corruptione, ideo non ad Quartum, sed ad Quintum tantùm Prædicabile spectabit, non secùs quàm actualis risus ad idem spectet, licèt solus homo ridere possit. His positis, pro notitia ipsius definiti dandæ mox Proprij definitionis, Dicimus

Logicum Proprium quà Prædicabile formaliter.

201 PEr essentialia sua rectè definiri, esse unum aptum prædicari de pluribus specie, vel numero in quale inseparabiliter. Hæc enim definitio adæquata est, & convenit omni, ac soli Proprio: nec quidquam difficultatis patitur, nisi quis velit redire ad Grammaticam, & contendere de vocibus, proprio, singulari, & communi; quarum significatio significationem alterius excludere videtur grammaticaliter, non verò philosophicè; quia scilicet proportio commutata qualem inferunt, qui de his vocibus litigant, non valet nisi in solis numeris, ut demonstrat Euclides lib. 7. Elementorum.

202 Neque faceßit difficultatem ly inseparabiliter, quia accipiendum est juxta præsentem philosophandi modum de rebus naturaliter consideratis: sunt enim propria quædam, quæ de potentia absoluta sunt separabilia: sic quantitas, quæ est proprietas corporis, ab eo supernaturaliter separatur, ut contingit in Augustissimo Eucharistiæ mysterio: licèt fortè sint etiam aliqua propria, quæ nec absolutè separabilia sunt, cujusmodi sunt intellectus, & voluntas, quæ saltem disiunctivè loquendo, à natura intellectiva absolute separari nequeunt.

203 Nec insuper quidquam derogat bonitati datæ definitionis, quòd Proprium prædicabile non sit respectu speciei seu infimæ, seu subalternæ, seu etiam generis è quo emanat. Hoc namque minimè est necessarium, cùm sufficiat ad hoc, ut Proprium constituatur in ratione Quarti Prædicabilis, si respiciatur per ordinem ad inferiora illius generis, vel speciei cujus est proprium, quatenus scilicet de ijs prædicari potest in quale convertibiliter cum essentia generica, vel specifica respectu cujus æquè latè patet, ut ex suprà dictis satis constare potest.

Logicum Accidens, seu Quintum Prædicabile, secundum se sumptum.

204 DUpliciter istud considerari posse, seu fundamentaliter, seu formaliter, esse debet extra controversiam: primo modo sumptum illud dicitur, quod convenit extrinsecè subjecto, de quo potest prædicari in concreto, tanquam aliquod non constitutivum essentiæ talis subjecti; seu non convertibile cum eâdem: quo in sensu multa prædicata physicè substantialia, sunt logica tantùm accidentia, quia non constituunt essentiam subjecti: sic animam esse unitam corpori, est logicè accidentale quid, quia scilicet essentia animæ, quæ est subjectum talis proportionis, non constituitur per hoc quòd sit actu unita corpori; sicut prædicatum animati, vel informati materiæ accidentale est, cùm essentia materiæ non constituatur, per hoc, quòd actu animetur vel informetur, & quâ tale sumptum accidens Logicum, rectè definitur esse id, quod potest adesse, & abesse sine subjecti corruptione, utpote ab essentia nullatenus exigitum.

205 Quâ definitione sufficienter explicari naturam accidentis logici secundum se sumpti satis patebit cuivis, qui eam juxta regulas bonæ definitionis examinaverit, advertendo dictam absentiam, & præsentiam intelligi debere absque destructione subjecti in suo statu connaturali accepti, alioquin sine hac limitatione nugatoria esset definitio: hoc enim ipso quòd accidens sit in subjecto, debet pro eodem instanti esse subjectum: adeoque sensus illarum particularum esse debet, quòd accidens ita absit, & adsit subjecto, ut ejus statum naturalem non destruat; in quo differt essentialiter à proprio, cujus absentia destruit statum subjecti naturalem, eò quòd connaturaliter iste haberi nequeat, absque eo, quòd subjectum non habeat sibi debitas naturaliter proprietates.

206 Ut autem facilè quis se expediat à tricis, quibus sæpe numerò multi in tuenda data definitione implicantur, accuratè observandum est imprimis, duplicem esse corruptionem, de

qua

qua in præſenti quæſtione moveri poteſt difficultas, Phyſicam unam, per quam ſubjectum eſſe definit: alteram Logicam, per quam tribuitur ſubjecto aliquid repugnans ipſius naturæ: rurſuſqué duplicem item eſſe præſentiam, & abſentiam Accidentis à ſubjecto, negativam unam, per quam Accidens non eſt in ſubjecto: poſitivam alteram, per quam accidens licèt ſit in tali ſubjecto eſt etiam extra idem in aliquo alio. Et demum duplicem eſſe acceptionem particulæ, &, copulativam ſcilicet & disjunctivam, atque juxta hanc datam definitionem accipiendam eſſe, non ſecùs quàm accipiatur dum dicimus voluntatem amare poſſe, & odiſſe, intellectum diſſentiri, & aſſentiri.

207 Ex quibus facilè quis ſe à tricis & difficultatibus expediet: quando enim objicitur, quòd multa ſint accidentia quæ abeſſe, ut nigredo à corvo, albedo à cygno, multa pariter quæ adeſſe nequeunt ſine ſubjecti corruptione, ut mors, morbi, &c. Statim reſpondebitur nigredinem non exigi à natura corvi: tum quia reperti ſunt corvi albi, licèt id rarò contingat, juxta illud: eſt corvo rarior albo: tum quia Albertus Magnus docet experientiâ doctus, quòd ſi ovum Corvi argento vivo, & felis pinguedine liniatur; reponaturquè in loco frigidiſſimo, corvus enaſcatur albus: quod probabiliter accidere etiam poteſt ex illa climatis frigiditate; & conſtat ſiquidem in nova Zembla, urſos, vulpes, cornices, aliaqué, aliàs nigra animantia, reperiri, & eſſe alba ob climatis ſcilicet nimiam frigiditatẽ; unde etiam provenit quòd humana corpora candidiora ſint in Septentrionalibus regionibus, quam in meridionalibus.

208 Eodem modo ſolvetur difficultas de morte, & morbis, reliquiſqué accidentibus deſtructivis, quæ adeſſe omnino poſſunt abſq; deſtructione logica ſubjecti. ſiquidem non eſt contra naturam ſubjecti corruptibilis quòd corrumpatur; & ſubjecti mortalis quòd moriatur; imò logicè eſt maximè conveniens, quod ſufficit, ut logica accidentia cenſeantur, de quibus ſolis in præſentia, diſputamus. Imò tam hæ, quàm plures his ſimiles oppoſitiones ſolventur facillimè dicendo, ly &, disjunctivè ſumi, & idem ſignificare quod particula vel, facerequé propoſitionem diſjunctivam: Ad cujus veritatem ſufficit, ſi alterutrum ex disjunctis membris verificetur, ut verificari in præſenti poteſt, cùm certum ſit, quòd mors, & morbus abſit, nigredo verò adſit ſine ſubjecti corruptione.

Logicum Accidens comparativè, & quà quintum prædicabile formaliter.

209 REctè à Porphyrio definitur, eſſe unum aptum prædicari de pluribus ſpecie, vel numero differentibus in quale ſeparabiliter, & omnino contingenter: per hanc enim definitionem accidens prædicabile tanquam per ſua eſſentialia prædicata conſtituitur in ſuo eſſe, & differt à reliquis, uti conſideranti eſt manifeſtum: per ly enim unum aptum prædicari de pluribus, tanquam per prædicatum proximum genericum convenit cum alijs prædicabilibus, per ly, quale, differt à primis tribus: per ultimas demum particulas diſcriminatur à Proprio, quod licèt prædicetur de multis extra eſſentiam, & in quale, prædicatur tamen cum eſſentia convertibiliter & ab eadem inſeparabiliter.

210 Conſtituitur autem in eſſe prædicabilis formaliter reſpectu inferiorum illius ſpeciei, cui accidit, quatenus hæc ſunt actu in ſubjecto, & nullo modo alio; cujus ratio eſt, quia ad exercitium actualis prædicationis accidentis, ut prædicabilis, requiritur actualis exiſtentia ipſius in ſubjecto, per hoc enim prædicatio, ut quinti prædicabilis differt ab alijs, quòd ad aliorum prædicabilium prædicationes ſufficiat, vel identitas, vel neceſſaria connexio prædicati cum ſubjecto, licèt nec prædicatum, nec ſubjectum actu exiſtant: At verò accidentis prædicatio, niſi exiſtat ſubjectum, & accidens actu ipſum informet, non poteſt neque vera, neque bona eſſe prædicatio; quomodo enim vera hæc eſſet; Petrus eſt albus, niſi & Petrus ſit, & albedo Petro inexiſtat?

211 Neque obeſt, quòd hæc, aliæq; hujuſmodi prædicationes: aqua poſſibilis poſſibiliter eſt calida, ſit vera, licèt nec aqua, nec exiſtentia caloris in illa ſit actu. Nam hanc prædicationem non ad quintum, ſed ad ſecundum prædicabile ſpectare aſſerimus, eò quòd ſit prædicatio æternæ, ut aiunt, veritatis, & propterea eſſentialis ob copulam eſſentialiter connectentem prædicatum cum ſubjecto: eſſentialiter ſiquidem verum eſt quòd poſſibilis aqua calida eſſe poſſit.

212 Sed hæc de terminis proximè objectivis, dequé quinque Prædicabilibus, ſecundò præſertim intentionaliter conſideratis, & quatenus terminis formalibus immediatè ſubſtant, dicta ſint ſatis; nunc de terminis objectivis remotè talibus, & quaſi primò intentionaliter acceptis, pauca hoc loco ſubnectamus, reſervatis pluribus in proprium, ad quem ſpectant, locum.

Logici objectivi remotè termini.

213 HOs Ariſtoteles Categoriarum ſuarum libro eſt proſecutus, quem Latini Interpretes librum Prædicamentorum indigitârunt; quo nomine aliud indicare nobis non voluêre;

voluêre, quàm classes quasdam, in quas distribuitur omne id, quod quomodolibet ab humano intellectu est cognoscibile, sic appellatas; vel quia ens cognoscibile in illas dividitur per ordinem ad prædicationem; vel quia singulæ continent inter res, quæ sub illa classe comprehenduntur, seriem quandam, & ordinem superioris, & inferioris, prout ipsa entia sub illa contenta participant rationes magis vel minùs universales, quæ appellantur gradus, quia per illas veluti per gradus quosdam à summo genere descendimus ad individuum, vel è contra ab hoc ad summum genus: unde etiam rectè definiri solet Prædicamentum, quòd sit dispositio, & coordinatio, seu series Prædicabilium & Subijcibilium se invicem, univocè includentium à summo genere, usque ad ultimum individuum: cujus definitionis, seu descriptionis bonitas patet, & authoritate communi, & ex ipsa paulò ante data Prædicamenti notione.

Logicalium prædicamentorum Divisio.

214 UNiversim sumpta hæc prædicamentalis dispositio, prout à Logicis consideratur, absque ullius abusûs, aut novitatis periculo, dividi potest, quin debet, in physicè talem, & in talem metaphysicè; metaphysicè sumpta est illa, quæ absque temeritatis notâ Creatorem, & creaturas, cæteraqué omnia, quæ quomodolibet entis rationem participant simul, debitequé coordinat, eò quòd Metaphysica Prædicata Deo, & Creaturis communia suo sibi jure consideranda, ac cognoscenda proponit: conveniens siquidem est, seriem quandam, prædicamentalem Deo, & Creaturis communem assignari, ut nimirum reluceat, quòd quidquid à Deo est, ejusdem habeat participationem aliquam & similitudinem, eoqué magis perfectum sit, quò magis Divinam imitatur perfectionem; ac proinde Deum Optimum, Maximum repræsentat operum suorum, & præsertim positivè talium, non tantùm causam efficientem, sed etiam exemplarem, omniumqué regulam, ac completam mensuram.

215 Hanc autem metaphysicam acceptionem, Prædicamentalis seriei abusum non esse, ut quidam recentiores existimant, suadet nobis tam authoritas, quàm ratio: & illa quidem D. Augustini libro quinto de Trinitate cap. 8. ubi cùm dixisset aliqua Prædicamenta de Deo solùm translativè dici, statim subdit, Prædicamentum actionis de Deo dici propriè, & non per translationem, imò principaliùs, quàm de creaturis: & capite 10. hoc, inquit, & de Bonitate, & de Æternitate & de Omnipotentia Dei dictum sit, omnibusqué omninò Prædicamentis, quæ de Deo possunt pronuntiari: quod ad se ipsum dicitur non translatè, & per similitudinem, sed propriè, si tamen de illo propriè aliquid dici ore hominis potest. Augustino consentit D. Damascenus libro primarum Institutionum cap. 7. his verbis: Substantia, quæ continet supersubstantialiter increatam Deitatem, cognoscibiliter autem, & continuè omnem creaturam, generalissimum genus est: hujus autem summi, primiqué generis species sunt id, quod corpore vacat, & corpus inanimum: & paucis interjectis addit; complectitur enim essentia corpore vacans Deum, Angelum, animam, Dæmonem, sic ille: quibus authoritatibus luculenter suadetur multa Prædicamenta de Deo propriè & nullatenus tropicè dici.

216 Quod etiam suadet Philosophica ratio; quia indubitatum est Deum ens esse, & sub ratione entis contineri, sed ens genus est, siquidem prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, cùm dicatur de Deo, & creaturis, specie inter se differentibus, ut constat, & quidem univocè, ut suo loco magis patebit: adeoquè Deus rectè in Prædicamentali serie collocatur, non quidem physicè accepta, ut constabit ex requisitis conditionibus mox adferendis, ad hoc ut aliquid ponatur in Prædicamento Physicè sumpto, ergo solùm in serie prædicamentali Metaphysicè tali: ex quo clarum evadit posse, imò debere Prædicamentalem seriem dividi in Physicè talem, & in talem Metaphysicè.

217 Prædicamentum verò physicè sumptum, est quod res physicas, ac naturales, sive creatas coordinat, neque sese extendit ad Creatorem, aliavé entia, seu possibilia merè, seu negativa, seu impossibilia; eò quòd hujusmodi in nullo genere physico convenire possint. Ratio autem hujus membri dividentis prædicamentum ut sic, est, quia congruum fuit designare aliquam seriem prædicatorum, quæ imperfectionem propriam creaturarum respicerent, & quorum nullum de Creatore diceretur, ut vel sic reluceret quàm difficulter à nobis assequibilis esset perfecta ejus cognitio, utpote in longè diverso ordine à creaturis, infinitequé perfectiori existentis. Ea porrò prædicata communia, & notissima eò ipso antonomasticè Prædicamenta dici potuêre, quòd reliqua prædicata de creaturis enuntiabilia, universalitate excellerent.

Logicorum Prædicamentorum Physicè sumptorum divisio, & notio.

218 UNiversa multitudo rerum creatarum, physicè spectata in decem summa Genera divisit authoritas potiùs, & communis Philosophorum consensus, quàm solida aliqua, & convincens ratio: licèt non paucæ suppetant,

quæ congruè hujuſmodi partitionem ſuadeant: tum quia, quæ de ſubſtantiali individuo prædicari poſſunt, vel ſunt ejus prædicata eſſentialia, & hæc conſtituunt prædicamentum ſubſtantiæ; vel ſunt accidentalia, & tunc vel ipſi individuo ſunt intrinſeca, & ſic conſtituunt prædicamenta Quantitatis, quæ eſt proprietas materiæ neceſſaria ad formas recipiendas: Qualitatis, quæ eſt proprietas formę illam perficiens in ordine ad agendum: & Sitûs, qui eſt proprietas totius, omnes illius partes diſponens in loco: Vel eidem individuo ſunt extrinſeca: & ſic conſtituuntur prædicamenta Loci, ipſum individuum ambientis: Temporis, ejus durationem menſurantis, & Habitûs ſive veſtis illud circumdantis. Vel denique ſunt individuo partim intrinſeca, & partim extrinſeca, & hæc conſtituunt Prædicamenta Relationis, Actionis, & Paſſionis, quæ per ordinem ad terminum extrinſecum inter ſe diſtinguuntur.

219 Tum etiam quia, licèt metaphyſicè loquendo fieri potuerit exactior, & immediata magis, ſimpliciter tamen data eſt congrua, cùm ſit idonea ad finem propter quem eſt inſtituta, nempe ad inſtruendum Logicum aliquali rerum omnium cognitione, ad quam ſufficiens non fuiſſet, ſi daretur, Vel per duo tantùm membra, ſubſtantiam ſcilicet, & accidens, quia nimis preſſa eſſet: Vel per plura quàm decem, cùm fuiſſet prolixior, & nequè accommodata loquendi modo, quo decem uſitatiſſimis interrogationibus reſponderi ſolet, nempe quid ſit id, de quo quæritur? quantum ſit? & quale? quò referatur? quid agat? quidvé patiatur? ubi ſit? quando? & in quo ſitu? ac veſtitu? ad quos decem interrogandi modos per decem Prædicamenta exactè reſpondetur: ex quibus ſufficienter eorum & diviſio, & notio eluceſcit.

220 An autem omnia hæc dividentia membra inter ſe realiter diſtinguantur: probabilior videtur eſſe pars negativa: tum quia relatio ſimilitudinis duorum hominum quatenus talium eſt in prædicamento ad aliquid, & ſimul in prædicamento ſubſtantiæ; ipſius enim fundamentum, & terminus, à quibus, ut hîc ſuppono, eſt realiter indiſtincta, ſaltem inadæquatè, recenſenda ſunt in prædicamento ſubſtantiæ: tum etiam quia actio, per quam cauſa producit effectum, & paſſio, quâ effectus denominatur productus à cauſa non diſtinguitur realiter, ut etiam ex infrà dicendis ſuppono, & tamen nemo negat illas conſtituere duo prædicamenta. Ut verò aliquid ponatur in

Logicâ Prædicamentali ſerie Phyſicè ſumpta.

221 Octo habere debet requiſita, juxta commune placitum Philoſophorum, quorum tria ex parte vocis ſignificâtis ſe habent, quinque ex parte rei ſignificatæ: Prædicamenta enim licèt termini objectivi remoti ſint, non tamen ſunt res ipſæ præcisè, ſimpliciter ſumptæ, ſed comparativè ad terminos ipſos formales ſeu voces, & conceptus quibus ſignificantur. Prima igitur conditio ſeu requiſitum eſt, ut vox ſit una, non ſono ſolùm, ſed maximè ſignificatione, defectu cujus omnia æquivoca à Prædicamentalibus claſſibus exulant. Altera conditio eſt, ut vox ſit ſimplex, cujus defectu animal rationale, aliaqué hujuſmodi à prædicamentis phyſicis procul arcentur. Tertia eſt, ut vox accomodatum, congruumqué ſignificandi modum habeat, ita ut accidentia in abſtracto, & ſubſtantiæ in concreto nominentur, quam ob cauſam juſtitia & non juſtus, & è contra homo, & non humanitas ponitur in prædicamento phyſicè ſumpto.

222 Quarta, conditio, quæ ex prima tenens ſe ex parte rei ſignificatæ, eſt, ut id, quod in eo collocatur, debeat eſſe propriè dictum ens, per quod negationes, & impoſſibilia ab ipſo, non recipiuntur. Quinta, ut ſitens non quodcumque, ſed reale, quâ ratione hircocervus, hyppocentaurus, chymæra, aliaqué figmenta excludi ab ipſo conſueverunt. Sexta ut ſit ens per ſe, & non per accidens, quo pacto entia artificiata ſeu materialia, ſeu moralia dicuntur eſſe extra prædicamentalem Phyſicè ſumptam ſeriem. Septima, requirit, ut ſit ens finitum; qua de cauſa Deus in omni genere perfectionis infinitus, & ſi quæ alia poſſibilia infinita eſſent, locum in Prædicamentis non habent. Octava demum conditio eſt, ut ſit ens completum phyſicè, ob quam conditionem neceſſariò excludi debent materia, forma, unio, & ſubſiſtentia, aliæqué modales entitates quæ completæ non ſunt, à ſerie Prædicamentali Phyſicè conſiderata.

Logica Prædicamentalis ſeries ſpectata Metaphyſicè.

223 Quid ea ſit, cùm priùs ſit dictum, illud ſolùm dicendum reſtat, ad illas, quibus phyſicè ſumpta conſtringitur, non ſinere ſe coaretari anguſtias Prædicamentalis ordo Metaphyſicè conſideratus, qui quà latè patet ratio entis ſeſe extendit comprehendens intrà ſe ens Finitum & Infinitum, Creatum ac Increatum, Poſſibile & Impoſſibile, Poſitivum & Negativum, Completum & Incompletum, Abſolutum & Modale, Subſtantiale & Accidentale, & demum quidquid ſub his generibus continetur, aut contineri poteſt, eò quòd ens abſtractiſſimè ſumptum de ijs omnibus formaliter, & non identicè tantùm prædicari poſſit, adeoqué neceſſariò comprehendi debent in ſerie ſubijcibilium, & prædicabilium, quæ eſt ipſa formalis ratio Metaphyſici Prædicamenti, uti ſufficienter patere poteſt ex paulo ante dictis.

Qui-

224 Quibus non obest, seu primò, quòd si Deus esset in Prædicamento Metaphysicè accepto, deberet esse compositus: nam sequela est vera de compositione per rationem nostram, juxtaqué nostrum concipiendi, & loquendi de Deo modum, non autem phyficè & in dependenter à nostris cognitionibus. Seu secundò quòd Deus sit infinitus, adeoque non possit terminis aliquibus contineri: hoc enim verum est phyficè, non autem metaphysicè, & ut dixi per rationem nostram, quæ nihil derogat intrinsecæ Dei infinitati. Seu tertiò quòd spectaret ad plura prædicamenta: nam & hoc concedi potest absque absurdo respectu diversarum rationum, sub quibus à nobis considerari & comparari potest. Seu quartò quòd sit supra substantiam, ultra substantiam, ens entium &c. Nam hæc omnia vera sunt factâ comparatione inter ens & substantiam creatam, Deus enim ens, & substantia non est, qualis est creata & imperfecta, quæ subsistat diversis phyficis accidentibus, & mutabilitati semper est obnoxia: pari modo dicitur ens entium comparativè ad factibilia & creabilia: ad quæ si benè attendatur, nullo negotio objectiones omnes diluentur.

225 Seu quintò, quòd solùm actuale ens substantiale, sit ens simpliciter, reliqua verò omnia solùm cum addito: hoc enim solùm se tenet ex parte differentiarum contrahentium genus generalissimum, adeoque sicut inæqualis participatio animalis illud minimè prohibet abstrahi univocè à differentijs, quæ illud diversimodè contrahunt, sic illa inæqualis participatio entis tenens se ex parte differẽtiarum, nihil obstat univocationi entis abstractissimè sumpti, prout fusius ostendemus in Metaphysica.

226 Seu demum, quòd ens reale non habeat ullam convenientiam cum entibus impossibilibus, & negativis, sicut nec finitum cum infinito: & quidem tam parùm quàm homo verus, ac pictus inter se conveniant: Hoc etenim verum est de convenientia Phyfica non Metaphysica, aut Logica, vi cujus conveniunt, tum in ratione communi metaphysica entis ut sic, tum in ratione Logicæ cognoscibilitatis: non secus quàm homo pictus, & homo verus, estò non conveniant in ratione univoca hominis, conveniunt tamen in ratione entis, & cognoscibilis. Quoniam verò ens ut sic, est participabile univocè ab omnibus supradictis generibus summis in quæ metaphysicè dividitur, explicandum jam restat id, quod maximè scire decet Logicos, quid sint

Logica Univoca.

227 Hæc ab Aristotele considerante, Prædicamenta ipsa quatenus ad nomina, seu formales terminos comparantur, rectè definiuntur, quòd ea sint, quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ per nomen importata omnino eadem. Cujus definitionis sufficientia satis patet ex sensu expresso per illius terminos, quòd scilicet nomen univocum ita significet plura, ut ex vi nominis nulla appareat diversitas inter ea quæ significantur, ita ut ratio substantiæ, sive definitio, ac essentia, sit omnino eadem, ut Petrus, & Paulus, qui sub conceptu hominis eandem habent essentiam, & definitionem, quæ nomine substantiæ in data definitione intelligi debent, ad hoc ut salvetur univocatio, tam respectu substantiarum, quàm accidentium, aliorumqué omnium, quæ quomodocumqué suam habent essentiam per definitionem explicabilem.

228 Quia verò alia sunt Univoca univocantia, quorum nomine intelligimus ipsa nomina communia, alia univocata, hoc est ipsæ naturæ communes æquè inexistentes in inferioribus, & ab illis æqualiter participatæ, quoad communem rationem, unde & ista dicuntur univoca participantia: hinc fit quòd imprimis ad univoca necessariò requirantur plura, sive actu sive potentia talia, quæ eodem nomine significentur, ut Petrus, Paulus & Jacobus, quæ participant æquè rationem hominis: & deinde ea esse debere omnino similia, quatenus tali nomini subsiant, ut homo, & equus in ratione animalis: licèt enim in esse reali & phyfico omnino discrepent, in esse tamen Logico, seu intentionali conveniunt, quæ convenientia per ipsum nomen animal exprimitur, Ex quo satis liquet definitum datæ definitionis esse non univoca univocantia, sed univocata, seu res ipsas in esse intentionali acceptas, & significatas per tale nomen.

Logica Æquivoca.

229 Æquivoca Univocis è diametro essẽtialiter oppositа, alia sunt æquivocata, alia æquivocantia: illa rectè dicuntur esse, quorum nomen commune quidem est, at ratio per nomen importata omnimodè diversa. Æquivoca verò Æquivocantia sunt ipsa nomina pluribus commnnia, quorum substantiæ ratio secundùm nomen significata est diversa: sic nomen canis prout dicitur de terrestri, cœlesti, & marino est nomen æquivocans: ipsi verò canes terrestris, cœlestis, & marinus sunt æquivoca æquivocata, cùm aliud nihil cõmune habeant præter solùm nomen canis; nam eorũ essentiæ per nomen significatæ sunt omnino diversæ: quantumvis enim convẽiant in ratione corporis, substantiæ, & entis, tamen quia juxta ipsum nomen ejus non significantur explicitè, & formaliter rationes communes, sed solùm differentiæ ipsæ, quibus inter se differunt, ideo benè dicuntur non convenire nisi in solo nomine.

Quo-

230 Quomodo etiam conveniunt in ratione æquivoci, quatenus in æquivoca ratione eſſendi, ſeu in conceptu definitivo omnia ſunt æquivoca, ac proinde benè datâ jam definitione definiuntur, quia nomen & eſſentia æquivoci ijs non competit æquivocè, ſed univocè, & in eadem propriè ſignificatione, cùm omnia æquivoca ſub hac ratione ſumpta reipsâ æquivoca ſint; non ſecùs quàm univoca ſint univoca: & idcirco cum his conveniunt tum in eo, quòd pluralitatem exigant, tum in eo, quòd eodem nomine nominari debeant; differunt autem ab ijſdem, tum quia univoca requirunt ſimilitudinem in re ſignificata, æquivoca verò diverſitatem: tum quia illa cognoſci debent actu unico non diſcernente inter illa, hæc verò, quatenus talia ſunt, conceptu unico percipi nequeunt.

Logicalium Æquivocorum diviſio.

231 TAm æquivocata, quàm, & maximè, æquivocantia juxta Ariſtotelem bifariàm dividuntur, in ea ſcilicet, quæ ſunt à conſilio, & in ea quæ ſunt à caſu: Prima dicuntur ea, quibus eſt inditum conſultò idem nomen, tametſi inter ſe ſint diſſimilia: ſic nomen avi imponitur nepoti, & urbi nomen fundatoris, eum in finem, ut ejus memoria conſervetur: à caſu verò ea dicuntur, quando fortuitò accidit, ut idem nomen participent plura ſignificata: ſic caſuale eſt quòd plures Logici vocentur Joannes.

232 Hanc diviſionem qui impugnant recentiores videntur in eo falli, quòd confundant motivum impellens parentes v. g. Joannis ad imponendum illi tale nomen cum ſignificato ipſius nominis; ſi enim de motivo loquamur; eſſe poteſt tale, ut excitetur memoria illius herois, vel Sancti, cujus nomen refert, cui illud eſt impoſitum, in quo non conſiſtit nec fundatur ratio æquivocationis, tale enim motivum non eſt id, in quo propriè fundatur ratio æquivoci, alioquin in ipſis formalibus conceptibus darentur æquivoca, quod licet quidam admittant, nihilominùs

233 Quàm id improbabiliter dicant, patet inde, quòd conceptus nullam habere poſſit proportionem cum nomine æquivoco, conceptus enim ſignum non eſt, ſed imago, & expreſſio objecti, adeoquè vel exprimit plura confusè præſcindendo à pluralitate, & ſic conceptus univocus eſt, vel concipit, & exprimit plura, ut plura aut collectivè, aut disjunctivè: ſi primo modo, æquivocus dici nequit, nam per nomen æquivocum non prædicantur omnia ſignificata collectivè, neque enim cum dico moloſſus eſt canis, dico eſt canis terreſtris, cœleſtis, & marinus ſimul, falſa namquè eſſet talis propoſitio: Neque etiam ſecundo modo, quia cum dico Petrus eſt Gallus, propoſitio disjunctiva non eſt, nam non dico Petrus eſt velGallus homo, vel gallus gallinaceus: adeoq; actus plura concipiens nequit ſe habere ut nomen æquivocum, quod ita plura ſignificat, ut tamen ex vi illius poſſit ſolùm unum ex ijs prædicari.

234 Ratio eſt, quia ſignum poteſt imponi ad ſignificandas duas res diverſas, & conſequenter intelligi poteſt quatenus ſignificat unam ex illis, non intellectâ alterâ, quam habet, ſignificatione, atque ſic non eſt neceſſe, ut affirmem quidquid ſignum ſignificat, ſed ſufficit ſi unum affirmetur ex ijs, quorum eſt ſignificativum, ex quo oritur æquivocatio, quia à loquente accipitur nomen ut ſignificans v. g. hominem Gallum, ab audiente verò excipitur ut ſignificans gallum gallinaceum: quod cum accidere nequeat conceptui exprimenti formaliter hæc omnia, benè ſequitur illum non eſſe conceptum æquivocum.

235 Nec obeſt quòd detur conceptus univocus correſpondens nomini univoco; nam cùm nomen univocum eodem modo ſignificet, quo actus concipit, ideo æquè prædicabilia ſunt illa pluta, quæ ſubſtant nomini univoco, ſicut illa quæ ſubſtant conceptui confuſo: at verò quia actus explicans plura, quæ ſunt ſub nomine æquivoco, non poteſt ea omnia non exprimere; nomen enim ſignificans plura, poteſt præcisè accipi, ut ſignum hujus rei præſcindendo ab alia, quam ſignificat: ex quo fit, quòd non habeant eundem modum expreſſionis reſpectu eorum, quæ ab ipſis importantur, ſicut evenit actui confuſo, & nomini æquivoco.

Logica denomiuativa.

236 REctè iſta definiuntur eſſe illa, quæ ab aliqua extrinſeca forma accidentali denominantur, ſive caſu differant, ſive non: ſic cognitum à cognitione, juſtum à juſtitia, ſanctum à ſanctitate denominatur. Circa quæ nulla peculiaris eſſe poteſt difficultas, niſi fortè illa, quòd excludantur à denominativis logicis compoſita ſubſtantialia, in quibus ſubjectum non denominatur à ſubſtantiali forma; verùm & hæc facilè eluditur dicendo, denominativa propriè illa dici, quæ dant ſubjecto nomen, non verò aliquam entitatem, quod formis intrinſecis præcipuè convenit, cùm ſeipſas dent ſubjectis unà cum nomine. Verùm iſta, cùm præcisè dependentia ab authorum placito, & grammaticalia potius ſint, quàm philoſophica, ideo nè ulterius ea proſequamur, major, & propriè Logica vetat difficultas; an ſcilicet media inter univoca, & æquivoca dentur aliqua

Logica

Logica Analoga?

237 QUorum licèt nullam Aristoteles fecerit mentionem, Latini tamen ejus Interpretes nacti occasionem ex proportionibus Geometricis, quæ sunt habitudines duarum quantitatum ad invicem, etiam invexerunt eadem in Logicam, constituentes ea media æquivoca inter & univoca; aiuntqué illa esse quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ per nomen importata partim eadem, partim diversa. Sicqué definita consequenter dividunt in Analoga attributionis, quæ dicunt esse ea, quæ denominantur à forma non æqualiter participata ab omnibus inferioribus; & in Analoga proportionis, quæ aiunt esse ea, quorum denominatio, quia participatut proportionaliter tantùm ab inferioribus, perfectè una non est, cùm in suo formali conceptu explicet aliquomodò pluralitatem.

238 Verùm ut innumeras, quasi ictu unico, difficultates de nomine propè omnes absolvamus, quas quidam circa hujusmodi Logica Analoga magnis contentionibus agitant, dicimus probabilius longè esse, nulla prorsus hujusmodi dari analoga, imò forte nec dabilia: quæ assertio illi innititur fundamento, quòd eorum prorsùs nulla sit necessitas, utpote quæ ad aliud nihil conducunt, quàm ad vocalia jurgia.

239 Quòd autem nec dabilia sint, patet inde, tum quia inter realia contradictoria, quà talia, qualia sunt dicere rationem essentialiter eandem, quam dicunt univoca, & rationem essentialiter diversam, quæ importatur in ratione substantiæ ab æquivocis, dari nequeat quidpiam medium: tum etiam quia nullo argumẽto efficaci illa probare possunt eorum patroni, siquidem quot quot adferunt, facilè ostenditur eadem probare vel solùm univoca esse, quorum est essentialiter essentiale significare per nomen rationem substantiæ eandem: vel mera æquivoca: uti diligenter perpendenti exempla analogorum, quæ adferuntur, facillimè patebit, si præsertim, ut suppono, aliunde noverit, tam quòd duæ essentiæ diversæ, imò oppositæ ad tertiam essentiam constituendam seu logicè, seu physicè cõcurrere nequeant: quàm quòd quidquid diversitatis importare videntur illa, id totum in differentias contrahentes rationem univocam; vel in plura ab æquivocis significata nullo negotio refundi possint. Verùm è terminis tam formalibus, quàm objectivis, ut tandem egrediamur, nos admonent illæ quæ ex ijs essentialiter constituuntur

Logicæ Propositiones.

240 QUarum quidditativa definitio aptior assignari nequit receptâ jam illâ: Propositio seu enunciatio, est oratio perfecta aliquid de aliquo per affirmationem, aut negationem statuens, ac enuntians. Unde etiam vocatur judicium, eò quòd in omni propositione aliquid affirmando, vel negando decernatur; & quia affirmatio est tendentia unius simplicis intellectionis in duo ea componendo, juxta triplicem habitudinem quæ reperiri potest inter prædicatum & subjectum, hoc est vel necessariam, vel contingentem, vel impossibilem, ideo etiam dicitur judicium formaliter compositivum, sicut è contra, quia negatio est similis tendentia in duo vel necessariò, vel contingenter, vel impossibiliter ea separans, idcirco etiam divisivum judicium nuncupatur.

241 Utriusque essentiam sequuntur etiam propriæ affectiones, quæ quantitas, & qualitas, non physicè, sed logicè dicuntur: illa est syncategorema quoddam, quod tenens se ex parte subjecti indicat universalitatem, vel particularitatem propositionis; sicut enim in physicis compositis quantitas semper sequitur materiam, quæ est subjectum talis compositi: sic simili ratione affectio illa, quæ se habet in composito logico ex parte subjecti appellatur quãtitas, eò quòd, non secùs quàm quantitas physica in suo genere, extendat subjectum ad ampliorem, vel minùs amplam significationem.

242 Qualitas verò propositionum est quædam affectio purè accidentalis, quia incorruptâ manente propositione ab ea potest separari: unde malè quidam negationem, & affirmationem adnumerant qualitatibus propositionum, eò quòd hæ essentialiter sunt identificatæ propositionibus disjunctivè sumptis, ut patet ex paulò ante data earum definitione, à nemine hactenus, quod sciamus, rejectâ.

Logicarum Propositionum Divisio.

243 MUltifariàm Propositiones Logicæ ab ipso Aristotele, quem unanimiter sequuntur ejus asseclæ, dividuntur: alia enim est Propositio simplex, seu Cathegorica, quæ constat unico subjecto, unicoqué prędicato tanquam partibus essentialiter proximis: alia est Hypothetica, seu Composita, quæ consurgit ex duabus simplicibus vel conjunctivâ, vel disjunctivâ, vel causali, vel conditionali, vel illativâ aliquâ particulâ connexis. Alia est Absoluta, quæ etiam de inesse dicitur, eò quòd in ea prædicatum enuncietur de subjecto absque ullo addito. Alia Modalis, in qua per modum aliquem significandi superadditum explicatur necessitas, vel contingentia, possibilitas, vel impossibilitas connexionis intercedentis prædicatum inter, & subjectum. Alia Reduplicativa constans dictione aliquâ replicante idem subjectum. Alia Specificativa significans effectum dependentem à causa, vel causam à qua de-

pendet effectus per particulam non replicantem ſubjectum. Alia eſt de Secundo, alia de Tertio adjacente; in illa prædicatur ſolùm exiſtentia de ſubjecto: in hac autem præter exiſtentiam etiam aliquid aliud de ſubjecto enuntiatur. Inſuper alia eſt Propoſitio Directa, alia Indirecta, alia Univerſalis, alia Particularis, alia Singularis, alia Indefinita, alia Vera, alia Falſa. In quibus explicandis hìc ulteriùs non immoramur, quia obvia eſt earum notio etiam de limine Logicam ſalutantibus. Ac propterea inhærebimus ſolùm aliquantiſper duabus illis propoſitionum affectionibus explanandis, quas paulò ante diximus eſſe accidentales tantùm earum proprietates, & quidem poſitivè contrarias, cujuſmodi ſunt

Logicarum Propoſitionum Veritas & Falſitas.

244 IN quo ne multiplicemus verba fruſtrà, de Veritate præcipuè differemus, utpote quâ rectè cognitâ, facilè illi contraria Falſitas eluceſcet. Ea autem dupliciter conſiderari ſolet, vel prout Tranſcendentalis eſt, & conveniens entibus omnibus, ac conſiſtens in ipſa cujuſque objecti entitate, quæ talis eſt, ut ex affirmatione ejuſdem non ſequantur duo contradictoria, definiriqué rectè conſuevit; eam eſſe, quæ correſpondet perfectiſſimo conceptui, qui de tali ente formari poteſt, de qua ſuo loco fuſiùs in Metaphyſica agemus, ubi tranſcendentia entis Metaphyſici attributa examinabimus; vel prout Formalis eſt, quæ Veritas in cognoſcendo nominatur.

245 Et hæc rursùs bifariàm dividitur, nempe in illam, quæ oppoſita eſt ignorationi, & in illam, quæ adverſatur falſitati. Priorem cum communi recentiorum appellamus Veritatem Imaginis, quia eſt conformitas ſolùm in repræſentando, & conſiſtit in ordine quodam, ſeu reſpectu tranſcendentali imaginis ad ſuum imaginatum; qui ordo reperitur in omni cognitione; omnis ſiquidem cognitio eſt naturalis, & vitalis imago ſui objecti, illudqué eſſentialiter repræſentat.

246 Alteram verò nominamus etiam cum communi Veritatem Formalem, ſeu Signi, quia non ſolùm repræſentat rem cujus eſt imago, ſed præterea dicit modum, quo res illa eſt & non eſt: & de hac præcipuè ut præſentem promoveamus quæſtionem, inquirimus quidnam ſit, & ubi reperiatur,

Logica Formalis Veritas?

247 QUod ut præſtemus, dicimus illam eſſentialiter eſſe conformitatem actûs cognoſcentis cum objecto cognito, prout ſatis apertè docet Ariſtoteles 9. Met. tex. 21, ubi ait: non propterea, quòd nos te verè album eſſe putemus, tu albus es, ſed propterea quòd tu albus ſis, nos qui dicimus verum dicimus: ex qua doctrina luculenter habetur, quòd ratio formalis, cur aliqua enuntiatio, ſeu cognitio vera ſit, eſt, quia ita ſe habet, ſicut ſe habet objectum, quod eſt idem ac actum eſſe conformem objecto.

248 Difficultas tamen non levis ſupereſt in explicanda hujuſmodi conformitate: quòd enim aliqui dicant eam debere eſſe conformitatem in eſſendo, ſuſtineri non poſſe videtur, cùm cognitio ſemper ſit actus ſpiritualis, & intellectualis, objectum verò ſæpiſſimè materiale, ſenſibile, imò & negativum, ac impoſſibile.

249 Sed neque quidam alij ſufficienter explicant hanc conformitatem dicendo, quòd cognitio ſit conformis objecto in ratione imaginis; ſiquidem dari poteſt cognitio falſa, quæ ſit conformis objecto in ratione imaginis, cùm non requiratur neceſſariò, ut ſemper repræſentetur identitas objectivo terminativa inter prædicatum, & ſubjectum, ſed ſufficiet ſæpe, ſi ſolùm habeatur motiva, uti oſtendemus ubi de ente rationis agemus, hæc enim propoſitio eſt falſa imò impoſſibilis; homo eſt equus, etiamſi cognitio ſit conformis objectis terminativis in ratione imaginis, nam cognitio de homine eſt conformis homini, & cognitio de equo eſt conformis equo.

250 Multò minùs placent illi, qui dicunt hujuſmodi conformitatem formalem conſiſtere in relatione: hæc enim relatio vel tranſcendentalis eſſet, vel prædicamentalis, non primum, quia veritas formalis non eſt veritas tranſcendentalis, ut conſtat ex dictis; non ſecundum, quia omnis relatio prædicamentalis conſurgens ex hujuſmodi conformitate, neceſſariò eſt illâ poſterior. Adeoqué conformitas, quæ ad formalem veritatem requiritur, & in qua eſſentialiter conſiſtit illa, eſt immediatè & proximè ipſa conformitas actûs cum objecto motivo, ſeu verificativo, quo mediante, & quaſi remotè objectum terminativum vel affirmatur per verbum eſt modo compoſitivo, eò quòd prædicatum ſubjecto à parte rei identificatum ſit, vel negatur quaſi dividendo, & ſeparando intentionaliter ab invicem illa, per verbum non eſt, quæ realiter non ſunt identificata.

251 Veritas enim formalis arguit aliquid ex parte objecti verificativi ſeu motivi, prout patet in illa veriſſima propoſitione: Verbum Divinum non eſt creatura, alijſqué innumeris huic ſimilibus, ad quarum verificationem præter Verbum & creaturam, requiritur etiam neceſſariò negatio ipſa realis intercedens Verbum inter & creaturam, quæ eſt objectum motivum, & verificativum formale talium propoſitionum; unde liquet conformitatem iſtam,

iſtam, ſeu Formalem veritatem eſſentialiter conſiſtere in actu ipſo, & objecto ſuo proximo, & immediato inferente tamen mediatè ipſum objectum terminativuum. Ex quo conſtat rurſus, quòd

Logica Formalis Veritas nec in ſenſu, nec in appetitu ullo, imò nec in prima mentis operatione reperiatur.

252 QUod verum eſſe, & quidem quoad primam partem, inde conſtat, quia nullus actus ſenſitivus poteſt attingere, vel judicare ipſam veritatem formalem, cùm hæc ſit ſimilitudo, ſeu conformitas, per quam res dicitur eſſe ſicut eſt, quod præſtare nequit ſenſus ullus, & multò minùs appetitus, quia viſus v. g. judicans ſuo modo ſolem eſſe lucidum, non judicat conformitatem viſionis cum ſole, cùm viſio materialis reflexiva eſſe nequeat ſupra ſe ipſam. Quare actus ſenſitivi ſolùm materialiter dici poſſunt veri, quatenus ſcilicet attingunt aliquo modo corpora materialem veritatem, ſeu res ipſas, quæ fundamentaliter, ſeu cauſaliter dicuntur veræ vel falſæ, eò quòd ultimatè verificando propoſitionem cauſent aliquatenus ipſius veritatem.

253 Quoad ſecundam partem etiam aſſertum patet, nam nullus appetitus, ſeu materialis ſit, ſeu formalis ordinatur ad hoc, ut formet in ſe ſimilitudines rerum, & per hoc trahat quodammodò objecta ipſa ad ſe : cùm è contrà potiùs ordinetur, ut per ſuos actus moveatur ad res ; ac proptereà dicitur trahi à rebus, non autem illas in ſe quaſi transformare, juxta effatum illud Ariſtotelicum de intellectu, qui intelligendo fit omnia.

254 Quoad tertiam partem etiam videtur dictum manifeſtum ; tum quia Veritas formalis non eſt quæcumque conformitas, ſed perfecta, per quam res dicitur eſſe ſicut eſt, ſed prima apprehenſio non dicit rem eſſe ſicut eſt; nam cùm merè apprehendat objectum nihil affirmando, vel negando de illo, nihil dicit; dicere enim eſt affirmare, vel negare aliquid de aliquo, tum quia in prima operatione non poteſt dari formalis falſitas ; teſte enim Ariſtotele 3. de Anima, falſum in compoſitione ſemper eſt ; atqui nulla datur formalis compoſitio in ſimplici apprehenſione, ut conſtat, imò hæc illi repugnat, quia repugnat ut ſimplex apprehenſio non repræſentet id, quod repræſentat : & ut non conformetur illi, quod repræſentat in ratione imaginis ; ſicut enim in vocibus ſimplicibus, & incomplexis non datur veritas, vel falſitas, cùm repugnet ut vox incomplexa non ſignificet id, quod ſignificat, ita quia repugnat ut prima operatio non repræſentet id quod repræſentat, in ea nunquam dabitur formalis falſitas, adeoq; nec formalis, ac rigoroſa veritas. Quibus non obſtantibus.

255 Nihilominùs dici poteſt in prima apprehenſione dari veritatem, & falſitatem dupliciter ; vel primò diſpoſitivè, in quantum diſponit & determinat intellectum ad judicium verum, vel falſum : vel ſecundò præſuppoſitivè in quantum ſubinde præſupponit judicium verũ, vel falſum ; ſic apprehenſio, quâ apprehenditur hæc propſitio ; Petrus eſt filius Pauli, ſi Petrus re ipsâ Pauli filius non ſit, præſuppoſitivè falſa eſt, quia ſupponit falſum judicium, quo judicatur Petrus eſſe filius Pauli.

256 Nec obeſt, quòd in cognitione Angelica, & Divinâ reperiatur veritas formalis, licèt quâ intuitivæ ſunt, non ſint formaliter compoſitivæ : Diſpar namquè eſt ratio, quia licèt in illis non detur formalis compoſitio, & diviſio, datur tamen æquivalenter tota perfectio, quæ eſt in noſtra compoſitione, & diviſione ; adeoqué datur in illis veritas formalis modo perfectiori : verùm cùm ſimplex apprehenſio neque formaliter, neque æquivalenter habeat perfectionem compoſitionis, & diviſionis, nullo modo capax erit formalis veritatis, aut falſitatis.

257 Quoad quartum etiam patet ſupra poſita aſſertio, tum ex modò dictis, tum quia veritas formalis eſt conformitas quædam, & ſimilitudo, vi cujus formaliter objectum dicitur eſſe ſicut eſt, quod dicere ſolus intellectus poteſt, & quidem per ſolum judicium, cùm hoc ſit tantùm eſſentialiter affirmans, vel negans aliquid de aliquo ; tum demum tertiò, quia nulla eſt alicujus ponderis ratio, quæ contrarium ſuadeat, ſuppoſitâ præſertim notitiâ diſtinctionis inter veritatem tranſcendentalem, imaginis, & ſigni ſeu formalem. Ex quibus rectè infertur, & dicitur

Logica Veritas formalis adæquatè ſumpta conſiſtere eſſentialiter in perfectâ adæquatione actûs cum objecto.

258 QUod aſſertum ita intelligi volumus, ut actus ad hoc, ut verus ſit & dicatur, ita debeat enuntiare objectum, quomodò hoc exigit enuntiari ; vicequé versâ hoc ita ſe habeat, quemadmodum ab actu enuntiatur. Cujus ratio eſt, tum quia Veritas eſt perfecta aſſimilatio, & adæquatio in eſſe intentionali actûs, & objecti : tum etiam quia ex eo quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio vera, vel falſa eſt, ergo rem eſſe, vel non eſſe ſimul cum actu, Veritatem, vel Falſitatem intrinſecè, & eſſentialiter conſtituit ; tum demum quia hoc ipſo, quòd actus affirmet aliquid de objecto, & objectum ita ſe habeat, ſicut affirmatur præciſo quocumque alio habetur intrinſecè Veritas, & alterutro horum deficiente non habetur, ut conſtat.

Neque

259 Neque obeſt, ſive quòd Veritas dicatur perfectio cognitionis, adeoquè debere hoc ipſo in ſola cognitione adæquatè intrinſecè conſiſtere. Nam loquendo de cognitionibus naturalibus, & probabilibus, de quibus ſolis hìc agimus: non autem de ſupernaturalibus, & Divinis, de quibus agere ſpectat ad Theologos, dicimus illas non formaliter, ſed arguitivè tantùm eas perficere, ſicqué eſſe perfectiones cognitionis. Sive etiam quòd cognitio dicat relationem tranſcendentalem ad objectum. Hoc namque verum eſt de cognitione tantùm, quâ cognitio eſt, non autem quatenus vera, vel falſa eſt. Sive demum quòd ex noſtra ſententia ſequeretur requiri ad Veritatem Formalem omnium propoſitionum exiſtentiam actualem objecti. Contra ſiquidem eſt, quia è contra potiùs ſequitur quòd propoſitiones de objecto præterito, vel futuro, ut ſint veræ formaliter, non requirant nunc exiſtentiam objecti, nam licet exiſtentia Antichriſti per exiſtentiam futurã eſt nunc vera, quia ſicut per hanc denominationem, Domus antiqua, intelligitur quod detur nunc domus, & anni non ſint de præſenti, ita per veritatem hujus propoſitionis, Antichriſtus erit, intelligimus quod detur talis cognitio, & quod non detur Antichriſtus nunc, ſed ſit extiturus. Ex quibus inferimus denuò, & dicimus, quòd

Logica formalis Veritas non importet neceſſariò formaliter veram relationem prædicamentalem.

260 UT enim ex dicendis in Metaphyſica, hic ſupponimus, ad relationem prædicamentalem propriè talem neceſſariò requiritur exiſtentia termini, quæ tamen in aliquibus propoſitionibus formaliter veris non requiritur, nec requiri poteſt, uti ex modò dictis conſtat: adeoqué Veritas eſt conformitas cognitionis cum objecto, præſcindens à conformitate per propriam, vel non propriam relationem prædicamentalem; cùm enim nomine cognitionis veræ intelligamus cognitionem, quæ enuntiat objectum, juxta illius merita, ſive actu exiſtat, ſive non, hinc ad rigoroſam Veritatem formalem non requiritur, ut objectum coëxiſtat tempore cognitioni; è contrà verò ad hoc ut exiſtat vera relatio, exiſtere debet quidquid conſtituit completam rationem fundandi prædicatum relativum, ita ut dum terminus non exiſtit, non exiſtat vera relatio, quia terminus complet conſtitutiva prædicati prædicamentaliter relativi. Atque ex his ulterius aſſerimus repugnare ut

Logicâ Veritate formali verus actus ſimul ſit falſus.

261 QUod aſſertum verum eſt, ſive reſpectu ejuſdem, ſive diverſorum objectorum, quoad enim ejus primam partem facilè patet, nam ex eo quòd objectum affirmatum, aut negatum ſit, vel non ſit actus verus eſt, vel falſus: ſic actus dicens hodie eſſe recreationem falſus eſt, quia recreatio non eſt, niſi fortè alicui ex diligentioribus Logicis recreationi ſit Lectionem frequentare, de qua hic non procedit quæſtio, cùm à potiori denominatio fiat, & ex recepta recreationis inter Studioſos uſurpatione; adeoqué cum repugnet recreationem, ſeu objectum dicti actûs eſſe & non eſſe, repugnabit pariter reſpectu ejuſdem actum ſimul eſſe verum, & falſum. Quod confirmatur à pari de actu voluntatis, nam implicat ut idem actus moralis ſit bonus formaliter reſpectu ejuſdem objecti formalis, & ſimul malus formaliter; ſic v. g. implicat, ut idem actus amoris Dei ſuper omnia ſit etiam ſimul actus odij Dei ſuper omnia; non ſecus quàm implicet ut idem actus ſit aſſenſus, & diſſenſus ſimul formaliter.

262 Neque obſtat, quòd multæ dentur propoſitiones ſe ipſas falſificantes, ut cùm quis dicit; ego dico me nunc dicere falſum, per quam dictionem ſimul eadem cognitio videtur eſſe vera, & falſa ſimul circa idem objectum; ſiquidem falſum eſt, quòd ſit falſa vi ipſius falſitatis; vera verò eſt, quia eſt verum quòd falſa ſit, adeoqué vi veritatis eſt falſa. Nam ad hoc, & hujuſmodi ſophiſmata facilè reſpondetur oſtendendo impoſſibilitatem ejuſdem, tum quia non habet objectum terminativum à ſe diſtinctum: tum quia nequit intellectus affirmare aliquod objectum, & ſimul affirmare cognitionem illam, quâ illud affirmat eſſe falſum: hoc enim ipſo ſibi contradicet, nam affirmando objectum propoſitionis diceret cognitionem eſſe veram; affirmando autem falſitatem cognitionis diceret eandem eſſe falſam, & conſequenter idem actus eſſet formaliter illativè contradictorius.

263 Quoad ſecundam ſui partem etiam aſſertio conſtat; talis enim propoſitio, quæ eſſe poſſet vera, & falſa ſimul reſpectu diverſorum, vel eſſet hypothetica copulativa, vel disjunctiva, vel indefinita; non primum, quia propoſitio copulativa tendit in omnia objecta per modum unius, & non in unum ſeorſim ab alio, ſed in unum cum ordine & connexione ad aliud, adeoqué ejus veritas ſumi non poteſt ab uno objecto ſeorſim ab alio, & conſequenter nequit eſſe ſimul vera ab uno objecto, & ab alio falſa, cùm omnia objecta ſint ad inſtar unius, non ſecus quàm actus verus, ut verus reſpiciat neceſſariò ſubjectum, prædicatum, & copulam.

264 Non etiam ſecundum, quia ſi hæc propoſitio, vel Petrus currit, vel Paulus currit, po-

potest simul esse vera, & falsa, etiam hæc talis erit, nec Petrus currit, nec Paulus currit; prior enim eatenus est vera, quatenus posterior est falsa, & vicissim, adeoqué evidenter essent contradictoriæ; implicat autem ut contradictoriæ simul sint veræ, aut simul falsæ.

265 Idipsum clariùs ostenditur inde, quòd ad veritatem adæquatam propositionis copulativæ requiratur, juxta communem Dialecticorum, omnium objectorum ejus existentia, & ad ejus omnimodam falsitatem sufficiat unius objecti non existentia; & vicissim ad veritatem propositionis disjunctivæ satis sit unius objecti existentia: & ad ejus omnimodam falsitatem sit opus, ut nullum ipsius objectum existat, prout per ipsam affirmatur; sic si Petrus currat, & Paulus currat, propositio Petrus currit, & Paulus currit est vera; si alteruter non currat, propositio omnino est falsa. Et è contrà disjunctiva nemine eorum currente omnino est falsa, alterutro verò currente est vera.

266 Quæ ipsæ rationes applicatæ debitè propositioni indefinitæ, quæ in materia contingenti æquivalet particulari, & disjunctivæ, & in materia necessaria, seu impossibili æquipollet propositioni universali, seu copulativæ, ut nulli non dialectico est notum, clarè demonstrant id, quod à nobis fuit assertum. His tamen nihil obstantibus dicimus, quòd eadem, in materia præsertim contingenti

Logica veritate formali vera propositio transire possit de Vera in Falsam, & vicissim.

267 Quod ut ostendam, suppono imprimis ex ijs, quæ in Physica ostendemus, actus intentionales suæ non identificari durationi, tam parùm quam entia reliqua physica eidem idétificentur. Deinde, quòd & infra ostendam, actum eundem entitativè continuari posse ad aliquod notabile tempus: & demum cum communi Adversariorum, actum entitativè non mutari mutato objecto terminativo materialiter, & confusè cognito; sic ijdem admittunt, quòd actus confusus non mutetur, sed ad spatium aliquod perseveret, quando cernens aliquid procul se movere, celerrimè, & inadvertibiliter loco illius seu ab Angelo, seu ab homine aliud sese eodem modo movens, aut apparens substitueretur; quod fieri vulgaris nobis ostendit experientia in ijs, qui dexteritate suâ, miroqué artificio oculos cum animis vulgi ad se rapiunt Circumforanei.

268 Quibus suppositis, veritatem dicti nostri clarissimè comprobat Aristoteles capite de substantia, ubi circa finem sic habet: eadem autem oratio vera, & falsa esse videtur, veluti si vera sit oratio, sedere quempiam, eodem surgente eadem falsa erit: similiter de opinione; si quis verum putet aliquem sedere, surgente ipso falsum putabit eandem de ipso opinionem habens. Sic Aristoteles.

269 Cujus authoritati accedit ratio, quòd veritas consistat in conformitate cognitionis cum objecto, uti jam suprà ostendimus, prout hoc est in se, sicut è contra falsitas in difformitate, idem autem judicij actus potest habere objectum sibi conforme pro aliquo tempore, & pro alio difforme, adeoqué poterit mutari de vero in falsum; si enim ego perseverem uno v. g. quadrante in hoc judicio petrus studet, & petrus tantùm studeat mediâ parte quadrantis, talis actus prout corresponder objecto correspondenti medio tantùm quadranti est verus, & prout corresponder objecto correspondenti alteri parti quadrantis, habet objectum ipsum sibi difforme, & est falsus.

270 Quæ ratiocinatio, ut percipiatur rectè, sciendum est tria in hujusmodi propositione intervenire, quorum duo ad veritatem, vel falsitatem ejus essentialiter requiruntur, qualia sunt, ipsa cognitio formalis, & objectum absolutè, & secundum se spectatum, quale est studium petri; tertium verò, quod est tempus, sicut est de se proprietas consequens ad quamcumquè entitatem, ita non intrinsecè ingreditur veritatem dictæ propositionis, sed merè se habet ad illam extrinsecè, non secùs, quam extrinsecè se habeat ad quamcumque aliam essentiam; adeoqué importatur, & quidem necessariò, solùm purè per accidens sicut à cognitione, ita ab ejus objecto. Si enim involveretur ex parte objecti certa, & determinata temporis differentia, ita ut hæc constitueret partialiter cum studio v. g. petri, objectum adæquatum hujus actûs, petrus hoc quadrante studet, sive postea collectivè, sive disjunctivè, sive indefinitè, indubitatum est talem actum non posse transire de vero in falsum, Cùm autem hæc propositio, petrus studet, aliud per se nullum habeat objectum, quàm studium petri, eaqué possit durare ad tempus aliquod, quod solum infert consequenter, & mere per accidens, quo tempore petrus à studio cessare potest, si cesset, consequenter evidens est propositionem de vera in falsam transire, & vicissim si durante eodem actu, rursus studium aggrediatur.

271 Quod verum est tum respectu jam dictorum, tum quia veritas, & falsitas sunt accidentales affectiones propositionis, absque alterutra quarum potest incorruptus perseverare actus, non secùs quàm idem homo manens idem potest hodie esse studiosus, cras miles, hodie infirmus, cras sanus, quia hæc accidunt homini, eidemqué plane sunt extrinseca.

272 Hoc autem magis inde elucidatur, quia si (quod fortè non implicat) poneretur intellectus

tus affirmans ſtudium de petro, & petrus ſtudens in ipſa DEI æternitate, in qua nullum eſt tempus; abſque eo quòd ſtudium petri ullum tempus importaret, certum eſt, quòd actus affirmans ſtudium de petro ſtudente verus eſſet, nam eſſet omnimodè conformis ſuo objecto: ex qua hypotheſi clarum evadit, tempus nullatenus ſpectare ad veritatem, vel falſitatem intrinſecam propoſitionis.

273 Quòd ſi tamen diſputandi gratiâ etiam concederetur tempus, quo enuntiatur ſtudium de petro, importari ex parte ſeu actûs enuntiantis, ſeu objecti enuntiati, adhuc tamen alius ſupereſt modus, & quidem ſatis probabilis poſitam defendendi aſſertionem; nam dici poteſt, hanc propoſitionem, petrus ſtudet eſſe virtualiter conditionatam; ſignificat enim petrum ſtudere in inſtanti A, ſi præſens illi ſit, & inſtanti B. ſi ſit itidem illi præſens, & ſic de cæteris: exiſtente igitur inſtanti A. illud abſolutè ſignificat independenter à quocumque alio inſtanti, & inſtanti B. non inſtans A, ſed inſtans B independenter ab inſtanti A, ſiquidem actus conditionatus purificatâ conditione in abſolutum tranſit: ſicqué cùm ea propoſitio modò unum, modò aliud inſtans repræſentet, & quidem merè per accidens, ac indeterminatè, cum non certificetur intellectus an tale inſtãs, ſit inſtans A, an B. tam parùm quam quis evigilans à ſomno, & dicit, jam evigilavi certificetur, quòd illud, jam, ſit nunc mediæ noctis, an matutinum, imò ſi dormiviſſet multis annis, uti de ſeptem Dormientibus legitur, confunderet præſens nunc, cum nunc præterito multis annis antè.

274 Declaratur id duplici exemplo; primum eſt ſi quis dicat hominem exiſtere in foro, cognoſcit præcisè hominem in foro exiſtentem, quòd ſi homo ille ſit Petrus, per accidens cognoſcit Petrum potiùs quàm alium: pari ratione cùm quis dicit jam evigilavi, per ſe cognoſcit ſolum inſtans, quo de facto durat talis cognitio, ſive poſteà inſtans illud ſit A, ſive B; ſi enim cognitio deſerviret etiam ad diſtinguendum individuum talis durationis, deberet etiã diſtinctè illam numero repræſentare: quod non fieri, certâ experientiâ conſtat; cùm qui evigilat nõ diſcernat, utrum ſit inſtans A, an B.

275 Alterum exemplum deſumitur à paritate Legis alicujus latæ v g ab Auguſtiſſimo Leopoldo Cæſare Græcij, quæ eadem invariata manens in entitate ſua poteſt nunc iſtum, nunc illum obligare: ſic lex obligans Græcenſes Cives ad pendendum tributum ſuo Cæſari, tamdiù petrum v. g obligat, quamdiù eſt Græcenſis Civis: quòd ſi aliò migret, & paulus loco illius adaptetur in Græcenſem Civem, lex eadem manens petrum non amplius obligat, obligat verò paulum, quem priùs non obligabat.

276 Accedunt & aliæ complures inſtantiæ his ſimiles: qualis eſt illa propoſitio, quam quis faceret dicens: omnes qui ſunt in foro currunt: illa ſemper eſt eadem etiam mutato objecto: ponamus enim quòd petrus ſit in foro, ille curret, ſi verò non ſit non curret, & tamen propoſitio manet eadem ſive petrus in foro ſit, ſive non, idqué nõ propter aliam cauſam quàm ob virtualem conditionem, quam neceſſariò involvit illa propoſitio: pari modo omnes propoſitiones, quæ dicuntur æternæ veritatis habent ſenſum affirmativum ſolùm conditionatum, nempe, ſi pro aliquo tempore, quodcumque illud ſit, petrus exiſtat, tunc eodem tempore eſt homo; & ſi pro aliquo tempore exiſtat objectivè chymæra, pro eodem illa ſit involvens duo contradictoria &c. Ex quibus facilè & veritas aſſerti noſtri cuivis oſtendi clarè poteſt, & ſimul diſſolvi impares prorsùs paritates quædam & ſequelæ ex duratione indiviſibili deſumptæ, quæ contra hanc noſtram explicationem obtrudi ſolent.

Verùm ut veritati formali complementum ſuperaddamus, omiſſis pluribus, quæ alioquin cuivis illam amanti ſunt obvia, reſtat adhùc ut examinemus, an de futuris detur

Logica determinata Veritas, vel Falſitas?

277 PRo cujus deciſione illud obſervandum ducimus, futura alia eſſe neceſſaria, qualia ſunt, quæ procedunt à cauſis determinatis, uti eſt ortus ſolis, & ſyderum, eorundemqué occaſus, eclypſes, æquinoctia, ſolſtitia, aliaqué hujuſmodi, quæ habent cauſas determinatas ad ponendum unam partem contradictionis, ſic ſol eſt determinatus hodie ad hoc ut occumbat, & non poteſt non occumbere. Alia ſunt contingẽtia, qualia ſunt quę procedunt ex cauſis indifferentibus, ad utramlibet contradictionis partem, & potentibus illa ponere, vel non ponere, prout libuerit; ſic futurum contingens eſt, quòd petrus cras exercebit virtuoſum actum, quia ipſe indifferens eſt ad ponendum, vel non ponendum illum. Tale futurum contingens dupliciter ſubdividi ſolet, in abſolutum nempe, & conditionatum; primi generis ſunt illa, quæ aliquando abſolutè ponentur extra ſuas cauſas in certa temporis differentia, ſic extitura aliquando dicuntur abſolutè futura. Secundi generis ſunt illa, quæ abſolutè non exiſtent quidem, exiſterent tamen poſitâ aliqua conditione, ſic ſi petrus hodie audiret concionem, fieret optimus Religioſus, ſed quia eam audire negliget, non acquiret gratiam illam à DEO hominibus in hac vita concedi ſolitam propè maximam. His poſitis pro notitia quaſi terminorum,

278 Cenſemus primò certum eſſe, quòd de futuris neceſſarijs detur determinata veritas

etiam

etiam in ipsa natura rerum̃, & in suis causis spectatis. Ratio hujus asserti est, quia determinatio ad hoc, ut sol hodie occumbat, vel eclypsetur, est veritas determinata, quia in rerum natura, & in causis creatis reperitur hujusmodi determinatio, quare de futuris necessarijs necessariò admittendum est verum esse id, quod asserimus.

279 Censemus secundò, tam in Divinâ præscientia, quàm in Divina revelatione dari determinatam veritatem futurorum contingentium. Sic Sacrosanctæ fidei nostræ mysteria nobis suadent, sic persuadent Divinæ litteræ, quæ hujusmodi futura contingentia verissima fuisse non uno in loco atteſtantur, quæ nobis revelari à Deo non potuissent, ita infallibiliter, nisi ea determinatè ab ipso agnoscerentur esse vera, & infallibilia cognitione determinatè verâ, & infallibili, cùm Divina revelatio sit determinatè certa & infallibilis essentialiter, juxta communem omnium Theologorum consensum.

280 Censemus adhuc tertiò defacto dari vel determinatam veritatem, vel determinatam falsitatem de futuro contingente absoluto respectu duarum propositionum contradictoriarum de eodem. Cujus asserti ut clariùs eluceat veritas, observandum venit rem nunc esse futuram, seu nunc existere futuritionem rei duo essentialiter importare, nempe unum instans actuale (seu positivè, seu tantùm negativè tale, nam ad rem præsentem, qualecumq; tandem illud sit, parùm confert) præsens in quo existit enuntiatio; remotum alterum in quo existet res ipsa, quæ enuntiatur. Sic dum dicimus nunc est futura crastina disputatio, sensus est, nunc est instans præsens à quo distat tantâ distantiâ à parte post existentia crastinæ disputationis: non secùs quàm dum dicimus, nunc disputatio hesterna est præterita, importatur instans præsens, à quo distat à parte ante existentia hesternæ disputationis. Et hinc fit, quòd ad veritatem dictæ propositionis, cras erit disputatio, requiratur, ut disputatio coëxistat cum tempore, quod existet post unam diem, ita ut tunc verum sit dicere, nunc existit disputatio.

281 Ex quo observando deducimus rationem nostræ conclusionis, dum enim dico cras Petrus disputabit, vel id ille faciet liberè, vel non, si disputabit, ergo quam protuli propositionem fatendum est fuisse determinatè veram, si non disputabit, ergo erat determinatè falsa, quia illa propositio est nunc determinatè vera, quæ nunc est conformis suo objecto, sed posito quod cras Petrus disputabit est sic conformis, nam ad hanc conformitatem aliud non requiritur, quàm instans, & coëxistentia disputationis cum tali duratione distante ab hoc nunc tali distantiâ; cùm igitur detur hoc instans de præsenti, & posito quod Petrus cras disputet, dabitur disputatio Petri coëxistens cum duratione taliter distante à parte præterita ab hoc præsenti instanti, adeoqué habet totum id illa enuntiatio, quod ad veritatem sui formalem est necessarium.

282 Confirmatur is ipse discursus tum ex eo, quòd Deus sciat evidenter me verum dicere, dum dico Petrus cras disputabit, posito quòd Petrus disputet: & è contrà evidenter scit, posito quòd non disputet, me dicere falsum, cum sciat evidentissimè futura omnia. Tum etiam quia sicut propositiones de præterito contingenti determinatè sunt veræ, vel falsæ, uti omnes concedunt, ita etiam erunt propositiones de futuro, cùm non sit ulla major ratio, cur id, quod præterijt, possit verificare propositionem præsentem, & non id quod futurum est. Tum demum quia vel Petrus disputabit cras, vel non; ad alterutrum enim necessariò est determinatus, juxta illud quodlibet est, vel non est; si primum, ergo hæc propositio, Petrus cras disputabit, hodie prolata est determinatè vera, quia objectum ejus cras ita se habet, sicut hodie enuntiatur; si secundum, ergo eadem propositio hodie prolata, eâdem ratione falsa erit.

283 Ex quibus facilè patet unde propositiones de futuro contingenti suam desumant veritatem, nimirum ex infallibili rei eventu, quem Deus ex infinitate suæ omniscientiæ, non minùs videt, quàm si actu esset præsens: objectum enim de futuro contingenti debet necessariò esse, vel non esse conforme enuntiationi; adeoqué ex duabus enuntiationibus, quarum una enuntiat objectum esse, altera non, si objectum sit determinatè futurum, vel è contrà, erit ex ipso rei eventu alterutra determinatè vera, vel vicissim, cùm ex eodem sumat illa suam vel veritatem, vel falsitatem.

284 Eâdem ratione discurrendum esse de futuris sub conditione talibus, suadent tum alia, tum maximè ipsa Veritas æterna, quando cognoscens conversionem Tyriorum, & Sidoniorum, si facta fuissent miracula, quæ facta fuerant in Corozaim & Bethsaida dicebat; Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, jam olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.

285 Verùm hæc nostra asserta difficultatem non modicam videntur quibusdam pati in eo, quòd arduè concilietur stante eorum veritate, humana libertas cum infallibili Dei scientia. At difficultas omnis hæc plana est, & prorsus non difficilis scienti duplicem esse necessitatem, antecedentem nimirum, & consequentem: illa est, quæ oritur ex aliquo principio tenente se ex parte actûs primi; sive quod idem est, est necessitas talis, quæ oritur ex ipsa causæ essentia,

tia, antecedenter ad omnem effectum conſiderata; conſequens verò neceſſitas eſt illa, quæ oritur, & tenet ſe ex parte actûs ſecundi, ſive ex ſuppoſitione ipſius actionis, & effectûs, & hoc ipſo non officit libertati, quia non neceſſitat cauſam antecedenter ad ponendum effectum.

286 Unde liquet, quòd præſcientia Dei de futuro libero, non tollat huic ſuam libertatem, nam eſtò quòd non poſſit non exiſtere talis effectus neceſſitate conſequenti, & ex ſuppoſitione; potuit tamen non exiſtere talis effectus neceſſitate antecedenti, & abſolutâ, prout rectè advertit D. Hieronymus, dum ait, non ex eo quòd Deus ſcivit aliquid, idcirco futurum eſſe, ſed quia futurum eſt, ideo Deum, ut futura præſcientem, talem effectum nôſſe. At hæc occaſione veritatis de futuris liberis contingentibus Deo notis dicta pro logicali aliqua notitia ſufficiant, pluribus namque de his agere eſt muneris Theologorum. Nos interea ex propoſitionibus earundemqué proprietatibus ad illum, qui ex illis quodammodò conſtat, diſcurſum ut gradum faciamus, dicimus quòd

Logicus Diſcurſus ſit quidam quaſi mentis curſus ex una cognitione in aliam mediante particula illativa, ergo.

287 ITa communiter Philoſophi illum definiunt, cujus univerſum artificium accuratiſſimè complexus eſt Ariſtoteles quatuor libris, quos Analyticos, ſeu de reſolutione intitulavit; Analyſis namqué, ſeu reſolutio eſt progreſſus, quo propoſitâ concluſione progredimur ad inveſtiganda principia, quibus probatur. Et quia duplex illa eſt, formalis ſcilicet, & materialis, ideo in formali inquiruntur principia, ex quibus neceſſariò ſequatur concluſio, præſcindendo ab eo, quòd ſit in materia vera, vel falſa, certa vel incerta, quam reſolutionem Ariſtoteles nuncupat Priorem; quam proſequitur duobus libris, quos dixit Priorum. Materialis verò eſt inquiſitio principiorum, ex quibus ſequitur neceſſariò concluſio vera, per quam ſcitur objectum, quam idem Ariſtoteles vocavit Poſteriorem, & quia vera oratio in qua ex principijs ſequitur neceſſariò bona concluſio dicitur demonſtratio, ideo de demonſtratione in duobus Poſteriorum libris ſtudiosè agit. Porrò ad utramque ſpectat

Logicus Modus ſciendi.

288 QUi rectè definitur, quòd ſit inſtrumentũ Logico artificio compoſitum ad veritatem ſcientificam perfectè adipiſcendam. Definitio ſiquidem communis, quâ modum ſciendi definiunt Summuliſtæ, dicendo, quòd ſit oratio ignoti alicujus manifeſtativa, videtur pati difficultatem in eo, quòd per illam differentiam non ſufficienter modus ſciendi diſtinguatur à cæteris propoſitionibus, quæ modi ſciendi non ſunt; nam hæc propoſitio: Petrus hodie exit ad deambulationem, eſt oratio alicujus ignoti manifeſtativa, & tamen non eſt ullus ex ſciendi modis, ut manifeſtum eſt.

289 Neque obeſt datæ noſtræ definitioni, quòd conceptus internus, quo concipio equũ v. g. eſſe animal hinnibile, ſit modus ſciendi, & tamen non ſit inſtrumentum logico artificio compoſitum; ly enim logico artificio, ſumi debet prout abſtrahit ab inſtrumento mentali, & externo, imò magis convenit interno, utpote qui ſolus eſt verus ſciendi modus.

Logicè ſciendi Modi partitio.

290 ADæquatè ſumptus Logicè ſciendi modus trifariàm dividitur, nempe in Definitionem, Diviſionem, & Argumentationem; tripliciter ſiquidem res aliqua cognoſcenda proponi poteſt noſtro intellectui; primò enim vel eſt ignota illius natura, & tunc definitione eſt opus, per quam terminis notioribus illa explicatur: vel ſecundò res multiplex proponitur, cujus multiplicitas ut diſtinctè cognoſcatur efficit diviſio, per quam totum aliquod in partes ſuas diſtribuitur: vel demum tertiò res cognita coñexa eſt cum aliqua jam nobis nota, cujus ope devenimus in cognitionem illius ignotæ, quod præſtat argumentatio; neque præter hos tres modos cognoſcendi aſſignabilis eſt alius, quo res cognoſcenda rectè ab intellectu percipiatur, ut manifeſtum eſt, ergo tres tantùm ſunt modi ſciendi propriè tales, nec plures nec pauciores.

Logicè conſiderata Definitio.

291 NOnnulli etiam ex recentioribus dubitârunt, num veræ dari poſſent rerum definitiones? At magis placet antiqua, eaq; communis ſententia affirmativa, quàm eorum novitium inventum. Ratio, quæ nobis id ſuadet, fundatur in experientia ipſa, quâ conſtat re ipsâ nos habere aliquam rerum notitiam, ad quam habendam, & explicandam ferimur naturali quodam inſtinctu, & propenſione, quæ alioquin eſſet fruſtranea in nobis omnino, niſi haberi poſſet id, ad quodnobis ea eſt à natura indita, quod maximè aſſequimur per definitionem: nam ſi haberi non poſſet vera aliqua, & eſſentialis definitio rerum, nullam habere poſſemus ſcientiam, ſiquidem certũ, eſt quòd cognitio concluſionis ſcientificæ pendeat ex cognitione præmiſſarum, & hæc à cognitione terminorum; ex eo enim, quòd intueamur naturam terminorum, videmus mutuam illam connexionem, quam inter ſe habent; quæ

cogni-

cognitio clara si non sit, nec clarum potest esse judicium, ex quo tantùm sequitur conclusio scientifica; & consequenter nisi cognoscatur natura terminorum, quod fieri nequit absque definitione, nulla dabitur scientia.

292 Neque adversariorum rationes multùm urgent, quod enim aiunt non posse haberi rei quidditatem, & essentiam, nisi cognoscatur illius differentia ultima: Aio sufficere ad hoc, ut nota nobis sit differentia constitutiva talis essentiæ, quam non participent illa, quæ talis essentia non sunt: neque opus esse, ut in particulari cognitione distinctâ cognoscatur, quænam sint illa.

293 Quòd rursus obijciant ultimas differentias esse nobis incognitas, facilè etiam diluitur, quia licèt non habeamus conceptus intuitivos, & proprios essentiarum, sufficit tamen ad notitiam ultimæ differentiæ conceptus abstractivus, seu connotativus, ad quem pariter superflua est notitia eorum omnium, à quibus differre facit.

294 Quòd demum instent, non posse dari definitionem definitionis, eò quòd essentię alicujus non detur alia essentia, nisi quis admittat processum in infinitum; etiam non multùm premit; siquidem definitio ipsa sumi potest vel primò, vel secundò intentionaliter: primo modo sumptam, verum est non posse ulterius definiri, definitio enim definitionis, quâ dicitur, definitio est oratio explicans naturam rei, non ampliùs definitur, cùm illa conveniat primò intentionaliter accepta omnibus omninò definitionibus, imò & ipsi definitioni secundò intentionaliter sumptæ.

Logicæ Definitionis divisio.

295 ILla multipliciter dividitur, cùm per definitionem multipliciter etiam explicari possit, & soleat definitum, seu natura rei definiendæ; potest siquidem hæc exponi vel per principia intrinseca, seu per genus proximum, & ultimam differentiam, quod dum fit, dicitur rigorosissima, & propriè talis definitio: vel per causas, & dicitur causalis; vel per proprietates, & accidentalis appellatur. Undè impropria valde est, & imperfecta illa definitio, quæ per genus mediatum, & differentiam ultimam conficitur, quantumvis subindè possit bonum habere sensum, non tamen semper, eò quòd rarò sit cum definito suo convertibilis, quæ est conditio ad logicam definitionem necessariò requisita.

Logicus secundus modus sciendi, seu Divisio.

296 SIc dicta per analogiam quandam ad physicam divisionem, quæ est separatio quædam partium à quibus inter se unitis totum aliquod constituebatur: rectè definitur quòd sit modus sciendi explicans alicujus totius naturam per distributionem ejusdem in suas partes. Ea duplex est, quia totum, quod per illam dividi solet in duplici etiam est differentia; vel enim est totum potentiale tantùm, quod sub se, suaqué quasi sub potestate habens multa inferiora, à quibus quia actu non componitur, ideò dicuntur illius partes potentiales, cujusmodi totum est quodvis ex Prædicabilibus, seu Universalibus: è contra verò totum actuale est illud, quod actu in se habet partes, quibus constat.

297 Porrò ad hoc ut quis bonam faciat logicam divisionem imprimis attendere debet an divisum in se contineat membra omnino dividentia; deinde ut divisum non convertatur cum uno tantùm membro ex dividentibus, & demum, ut unum ex membris dividentibus alterum non includat.

298 Dubitârunt nonnulli an Divisio distingueretur à Definitione, eò quòd idem omnino esse videatur dicere hominem esse animal rationale, ac dicere hominis alia est pars animal, alia rationale. Verùm hæc ratio non ita urget, ut communem deserere debeamus sententiam, siquidem quantumvis verum id sit in sensu reali, & identico, in sensu tamen formali, in quo propriè procedit præsens quęstio, videtur non subsistere; definitio enim habet quædam connotata, quæ non habet divisio, & viciſſim; divisio namque semper coñotat aliquod totum, quod præcessit, in quo erant unitæ partes, quæ divisæ cognoscuntur: & præterea infert formalem oppositionem inter se membrorum dividentium: quæ duo minimè connotat definitio, cujus tota formalis ratio sita est in subjecto suo clarè repræsentando prout distincto ab omni alio; ex quibus luculenter constat hos duos sciendi modos inter se formaliter esse distinctos.

Logicus Tertius sciendi Modus.

299 HIc, Argumentatio, ut jam suprà notavimus, communi vocabulo nominatur, eò quòd vi illius unum ex altero arguamus per particulam illativam, ergo, vel aliam ipsi æquivalentem. Illius bonitas, & rectitudo sita est formaliter in ipsa connexione consequentis cum præmissis, seu antecedenti ex quo infertur, non verò in ipsa veritate propositionũ.

300 Unde hic incidenter illud adnotare libet, falli eos, qui putant ex falsis verum non aliter sequi, quàm merè per accidens, non ratione falsi, sed veri contradictorij necessariò cum falso connexi; nam etiam ex falso per se, directè, ac ostensivè, eo modo, quo ex vero, verum sequitur, alijs quibusdam veris coassumptis;

cujus ratio inde constat, quòd manifestum sit necessariò falsum esse id, ex quo ejus verum contradictorium sequi potest, sic enim ipsum verum, & contradictorium ejus esset verum hoc per sequelam, illud per hypothesin; & quia falsum tale est, ut ex eo contradictoria sequi possint, adeoquè sui sit eversivum, ideò communissimus modus detegendi falsitatem erit talia contradictoria elicere, ut innumeris exemplis tam mathematicis, quàm etiam philosophicis ostendi potest. Verùm per transennam, ut dicitur, hoc adnotato, ut ad rem, de qua agebamus, revertamur, dicimus quòd rectè

Logica Argumentatio dividatur

301 IN perfectam, & imperfectam, eò quòd hæc divisio enhauriat totam essentiam sui divisi proximè, & immediatè: perfecta est illa, quæ propriè ex duabus propositionibus tertiam per legitimam illationem infert, & talis accommodato nomine syllogismus nuncupatur. Imperfecta alias argumentationis species, quales sunt enthymema, inductio, exemplum, Dilemma, & sorites, continet, sic dicta, quia hæ ut vim habeant ad perfectam, seu syllogismum reduci debent. De quo, omissis imperfectæ speciebus, quorum notio, & quidditas etiamnum Rhetoribus sufficienter innotuit, præcipuè ut hîc cum Aristotele agamus, inquirimus quid sit

Logicus syllogismus, seu syllogisticus Discursus?

302 RECTÈ cum Aristotele definiri solet syllogismus, dicendo quòd sit oratio in qua quibusdam positis aliud quid ab ijs, quæ posita sunt ex necessitate accidit eò quòd hæc sint. Cujus definitionis bonitas ex ipsa terminorum suorum notione sufficienter eluceſcit; dicitur siquidem oratio, quasi loco generis, eò quòd conveniat cum cæteris logicis orationibus, quæ syllogismus non sunt: additur, velut loco partialis differentiæ, in qua quibusdam positis, hoc est duabus propositionibus conceptis, aliud quiddam ab his, quæ posita sunt, nempe conclusio à prioribus propositionibus distincta, ex necessitate accidit, eò quòd hæc sint, hoc est necessariò sequitur propter talem connexionem, & dispositionem terminorum in præmissis. Ex quibus si lubet clarior, breviorq; formari potest definitio syllogismi, si dicatur, quòd syllogismus sit argumentatio, in qua ex duabus propositionibus inter se connexis, ac ritè coordinatis tertia necessariò infertur.

303 Ejus materia (né in rebus notissimis diutiùs immoremur) remota sunt tres termini, proxima tres tantùm propositiones: forma verò est ratio illa, vi cujus ex præmissis rectè dispositis conclusio infertur. Quæ ut exemplo pateant, en damus paradigma: omne animal est vivens, sed omnis homo est animal, ergo omnis homo est vivens: in quo constat tres esse tantum terminos, nempe animal, vivens, & homo. Animal est medium, quia bis ponitur in præmissis, ut ex ejus identitate tum cum vivente, tum cum homine, horum inter se concludatur identitas: vivens verò dicitur majus extremum, quia in majori prædicatur, & animal minus extremum, quia in eadem subijcitur: sicut enim præstantius est præesse, quàm subesse, ita & prædicari excellentius quid est, quàm subijci; unde patet non absque fundamento rationabili, id quod prædicatur in aliqua propositione dici à Logicis majus extremum, sicut è contra quod subijcitur extremum minus: à quo etiam præmissæ ipsæ majoris, & minoris suam sortitæ sunt denominationem, ita ut propositio illa in qua præter medium reperitur etiam prædicatum conclusionis vocetur major, & illa in qua præter medium invenitur subjectum, vocetur minor: conclusio autem illa dicatur, in qua est subjectum & prædicatum sine medio.

304 Neque obest, quòd dixerimus requiri ad omnem bonum syllogismum tres terminos, & tres propositiones essentialiter ratione illius principij in quo omnis syllogismus fundatur connaturaliter, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; non obest inquam, quòd sic videretur actus confusus, & actus clarus de eodem objecto constituere unum modum sciendi, siquidem præmissæ quæ sunt actus confusi de identitate extremorum inter se, & conclusio quæ est actus clarus de eadem, syllogismum, qui est modus sciendi constituerent. Contra namque est, quia licèt verum sit, quòd actus confusus adæquatè, & totaliter non possit cum actu claro constituere unum modum sciendi; falsum tamen est quòd actus confusus qui clarus est circa aliud objectum, & inferens claritatem non possit constituere cum alio, qui ex ipso infertur, unam perfectam objecti manifestationem; actus enim inferens, & actus illatus in casu nostro ita se juvant, ut ex illis ita adunatis resultet unum compositum artificiale logicum perfectum, qualis est syllogisticus logicus discursus.

305 Nec obest rursùs, quòd Aristoteles dicat syllogismum præsertim demonstrativum efficere scientiam, & facere scire, ex quo aliqui inferunt syllogismum solis præmissis constitui. Sed malè, nam Aristoteles dixit syllogismum facere scire non in genere causæ efficientis, sed formalis, quatenus scilicet ipsa demonstratio essentialiter, & formaliter composita se intellectui tribuens reddit ipsum scientem, quo modo pro-

do propriè demonstratio facit scire, non secùs quàm propriè quævis forma dicatur facere compositum cum materia cui se communicat. Potest etiam intelligi Aristoteles locutus de scientia habituali, quæ efficitur, & producitur per demonstrativum syllogismum, ut multi eum explicant.

Logici syllogismi divisio.

306 HÆc spectari potest vel secundum materiam, vel secundum formam syllogismi, si secundum materiam, totuplices sunt species syllogismorum, quotuplices sunt termini, & propositiones ex quibus constituũtur, sic alius dicitur & est Syllogismus Cathegoricus, alius Hypotheticus, alius Modalis, alius Mixtus, Probabilis alius seu Topicus, alius Epidicticus, seu Demonstrativus, alius Expositorius, alius ex Obliquis, Circularis, seu Reciprocus alius, alius Sophisticus, quorum differentias, & definitiones examinare hîc ulteriùs non pergimus, quia passim obviæ sunt omnibus, nullamqué peculiarem involvunt difficultatem.

307 Si verò secundum formam spectetur Syllogismus, dupliciter ab Aristotele primò Priorum dividitur, nimirum in Necessarium, & non Necessarium: ille est cujus consequentia adeò est clara, ut cuivis facilè appareat esse legitimè deducta: cujusmodi est quilibet factus in uno è primis quatuor modis directis primæ figuræ. Non necessarius verò ille vocatur, cujus legitima consequentia, ut appareat, opus habet conversione, vel transmutatione propositionum, servatis tamen ijsdem terminis, quales sunt reliqui omnes syllogismi tam in quinque modis indirectis primæ figuræ, quàm reliquarum figurarum.

308 Porrò nomine formæ syllogisticæ intelligimus rationem illam, vi cujus ex præmissis rectè dispositis conclusio infertur; quæ ratio consistit in figura & modo. Quod si quis petat quidnam & quotuplex sit

Logica Syllogistica, Figura, & Modus?

309 REspondemus satis perspectum esse etiam Philosophiæ tyronibus Figuram aliud hoc loco non esse, quàm artificialem quãdam partialem formam, quæ ex terminis, & propositionibus ordinatis, & distinctis resultat, per quam syllogismi ab invicem differunt, non secùs quàm ex varia lapidum, cæmenti, lignorum &c. dispositione, varia domorum, ædificiorumqué figura consurgat.

310 Eam autem triplicem tantum esse, & non quadruplicem, ut existimavit Medicorũ Princeps Galenus, constat ex eo, quòd quarta illa, quam ipse invexit, ab Aristotelicis non nisi merè accidentaliter differat; sicut enim figura est dispositio medij cum extremis, ita essentialis figurarum diversitas desumitur ex dispositione medij cum extremis essentialiter diversa, cùm ergo tam in prima figura Aristotelica, quàm in quarta figura Galeni medius terminus partim subijciatur, partim prædicetur, essentialiter inter se convenient, & different solùm in hoc, quòd secundum primam figuram Aristotelicam, medius terminus subijciatur in majori, prædicetur in minori; secundum verò figuram Galeni medius terminus prædicetur in majori, subijciatur in minori, quod est merè accidentale, cùm nihil peculiare diversum ex hoc habeatur, præter meram transpositionem materialem propositionum; è cõtra verò multa peculiariter diversa habentur per hoc, quòd medius terminus vel bis prædicetur, vel bis subijciatur, vel partim subijciatur, partim prædicetur, ut propterea diversæ tradantur regulæ pro diversa hac medij termini dispositione, quæ proindè triplicem meritò figuræ diversitatem constituit.

311 Cæterùm si æquè medius terminus partim subijciatur partim prædicetur, & quòd subijciatur in majori, vel in minori nullam facit diversitatem nisi accidentalem, & quoad solum materialem transpositionem terminorum, seu propositionum, quæ si sufficeret ad essentialem figurarum diversitatem, possemus etiam in modis secundæ figuræ facere similem transpositionem, & addere quintam, ac sextam figuram, quæ tamen ut inutiles reijciuntur.

312 Neque obest quòd Cesare, & Camestres, Datisi, & Disamis constituant modos diversos ratione solius transpositionis præmissarum: Nam falsum est quòd id præstent vi solius trãspositionis, sed quia ex præmissarum transpositione inferri possunt diversæ conclusiones: & propterea recipiuntur tanquam utiles ad diversas veritates: verùm in figura Galeni præter meram præmissarum transpositionem nulla diversa utilitas habetur.

313 Nec obest iterum, quòd figura Galeni videatur opponi primæ Aristotelicæ eodem modo, quo inter se opponuntur secunda & tertia Aristotelica, ratione cujus oppositionis hæ sunt inter se diversæ. Nam verum non est ly eodem modo, quia secunda, & tertia opponuntur in eo, quòd in illa semper conclusio sit negativa, eò quòd non necessario duo quę sunt sub universali prædicato, sint connexa inter se, & propterea medius terminus universalior prædicari debet de utroque; in tertia verò, conclusio semper est particularis, ex eo, quòd extrema non insint universali medio, quod in hac nunquam prædicatur ut superius respectu extremorum: Talis autem oppositio non reperitur in figura Galenica respectu primæ Aristotelicæ, nisi omnimodè innaturaliter, tam

ratio-

ratione materiæ, cùm id, quod prædicatur de medio termino minùs latè pateat ipſo, & ſubjecto concluſionis, quàm ratione formæ, cùm prædicatum medij termini, non ſit prædicatum concluſionis.

314 Modus verò, qui eſt altera partialis forma ſyllogiſmi, aliud nihil eſt, quàm duarum præmiſſarum ordinatio ſecundùm debitam quantitatem, & qualitatem ijſdem convenientem. Hìc totuplex eſt, quotuplex utilis fieri poteſt variatio, juxta Mathematicas de mutationibus regulas, quantitatis, & qualitatis propoſitionum; quæ communiter aſſignari ſolent undeviginti; quorum priores novem Modi ad primam, quatuor ſequentes ad ſecundam, & ſex poſteriores ad tertiam Figuram ſpectant, uti jam notum eſt Dialecticis.

Logici ſyllogiſmi Principia proximè Dirigentia, & Regulativa.

315 HÆc ſunt duo illa, dici de omni, & dici de nullo, ſecundum præcipuos modos; quia nimirum ea regulant modos omnes perfectos primæ figuræ habentes concluſionem affirmativam; eorum namqué bonitas probatur ex eo, quòd quidquid dicitur de omni, dici debeat de quolibet ſub illo omni contento. Dictum verò de nullo regulat modos primæ figuræ habentes concluſionem negativam ex eo, quòd quidquid negatur de omni, negari etiam debeat de quolibet contento ſub illo omni: ſi ergo dictum de omni, & dictum de nullo proximè regulant modos perfectos primæ figuræ, regulabunt etiam præcipuos modos aliarum figurarum, quarum bonitas oſtenditur per reductionem ad modos perfectos primæ.

316 Verùm quia Bocardo, & Baroco non poſſunt reduci ad dictos modos perfectos primæ, ideo dixi dictum de omni, & dictum de nullo proximè regulare ſyllogiſmos ſecundum præcipuos modos: omnes enim per illa principia non poſſunt, cùm bonitas modorum Bocardo, & Baroco oſtendatur ſolùm per reductionem ad impoſſibile, ſeu ad principium illud univerſaliſſimum, idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe, quod eſt principium regulans, remotum, & univerſaliſſimum.

Logicæ ſyllogiſticæ concluſionis Cauſæ.

317 COnſtare ſatis ex dictis poteſt præmiſſas in diſcurſu cauſas eſſe ſyllogiſticæ concluſionis, cùm ſi illæ non ponerentur, ex ijs nunquam hæc ſequeretur, ſiquidem ideo aſſentimur concluſioni, quia priùs aſſenſi ſumus præmiſſis; adeoqué ſolùm hìc diſquirendum eſt, quâ prioritate, & quo in genere cauſæ præmiſſæ ſe habeant ad concluſionem.

318 Et quoad primum: præmiſſæ ordinariè & regulariter præcedunt tempore concluſionem, tametſi debeant etiam durare cum concluſio deducitur. Ratio primi eſt, quia qui non benè penetrat præmiſſas, non poteſt ex illis colligere concluſionem, ut patet experientiâ eorum, qui ob hebetudinem ingenij neſciunt diſcurrendo inferre unum ex alio, quia ſcilicet non benè penetrant illa, ex quibus concluſio eſſet inferenda; intellectus autem humanus ad benè penetrandum objectum, indiget morâ temporis, ut eadem nos docet experientia; quis enim adeo perſpicax eſt, qui propoſito novo argumento non hæreat aliquantiſper in perceptione præmiſſarum, priuſquam ex illis inferat concluſionem?

319 Ratio ſecundi eſt, quia non poteſt intellectus colligere in hoc ſtatu ullam notitiam ex alia notitia, quam omnino non habet amplius, ſed habuit; nam quo pacto vel imaginabile eſt, quòd poſſim colligere nunc notitiam ignis ex notitia fumi, ſi nunc nullam omnino habeam fumi notitiam? neceſſarium igitur eſt dicere cognitionem præmiſſarum durare debere toto illo tempore in intellectu, quo ex illis colligitur concluſio;

Quoad ſecundum verò, indubitatum eſt præmiſſas concurrere ut cauſas, & non ſolùm ut conditiones ad concluſionem, cùm concurrant ad aſſimilandum ſibi concluſionem in pluribus prædicatis, quod nulli conditioni convenire poteſt.

320 Concurrunt proinde illæ ad concluſionem ut cauſæ, non quidem efficientes, ſed formales, extrinſecè determinantes. Cùm enim non ſint multiplicandi abſque ratione & neceſſitate influxûs phyſici, nullaqué ſit ratio, aut neceſſitas aſſerendi aſſenſum præmiſſarum influere efficienter in concluſionem, ſicut nulla eſt neceſſitas, ſeu ut ſpecies impreſſa concurrat efficienter cum intellectu paſſibili ad vitalem cognitionem, ſeu ut actus intellectûs effectivè influat in actum voluntatis, ſed ſufficit ſi & ſpecies ad actum vitalem cognitionis, & cognitio ad actum voluntatis tantùm in genere cauſæ formalis extrinſecè determinantis ſe habeant, uti ſuo loco pluribus oſtendemus.

321 Neque obeſt ſive Ariſtoteles dicens, à præmiſſis effici concluſionem, nam ly effici ſumitur ab ipſo latè, & impropriè, ut ex ejus contextu apparet; ſeu quòd intellectus per aſſenſum præmiſſarum conſtituatur in actu primo proximo ad eliciendam concluſionem: nam hoc verum eſt ſolùm in genere cauſæ formalis extrinſecè ipſum determinantis, quâ non poſitâ licèt in genere cauſæ efficientis de ſe intellectus ſit potens elicere ſuam intellectionem, non poteſt tamen exire in actum ſecundum, ſicut voluntas, etſi de ſe potens ſit, non tamen poteſt amare bonitatem objecti, niſi ipſi ab intelle-

tellectu proponatur, qui ex hoc propterea nec est, nec dicitur causa amoris.

Logicæ conclusionis necessitas posito assensu præmissarum.

323 EX certo, & evidenti assensu præbito præmissis oritur in intellectu necessitas tam specificationis seu contrarietatis, quàm contradictionis seu exercitij, ad assentiendum conclusioni: illa dicitur esse, per quam potest quidem elicere, vel non elicere, talem assensum, non habet tamen potentiam ad eliciendum dissensum: contradictionis verò talis est, ut non tantùm nõ possit elicere actum assensui oppositum, sed cogitur etiam ad eliciendum assensum ita, ut non possit illum non elicere.

324 Quo posito Ratio primæ partis asserti nostri est, quia intellectus non potest affirmare falsum cognitum ut falsum, quod necessario eveniret, si præbito assensu præmissis, posset illum negare conclusioni; sicut enim cognitâ evidenter connexione conclusionis cum præmissis, cujus veritatem ex hypothesi cognovit, & affirmavit, non potest per dissensum negare consequentiam; quemadmodum enim nequit affirmare falsum quia falsum cognitum, ita non potest negare verum quia verum cognitum ut tale.

325 Ratio alterius partis est, quia cognita evidenter bonitate consequentiæ vel formalis, vel objectivæ necessitatur intellectus ad assensum conclusionis etiam quoad exercitium, non secùs ac cognitâ evidenter identitate inter duos terminos necessitatur intellectus etiam quoad exercitium ad illos per assensum componendos; si enim quis à me petat, an unum & duo faciant tria? & ego cognoscam evidenter identitatem inter hos terminos, experior intellectum rapi ad assensum ita, ut directè saltem non possit à voluntate impediri; intellectus enim utpote potentia necessaria statim fertur in suum objectum, quod est verum: non aliter quàm potentia visiva necessariò fertur in objectum visibile ita, ut voluntas eam impedire nequeat, quò minùs apertis oculis non videat lucem meridianam; quod ipsum patet in ipsa voluntate, quę necessario fertur in bonum purum, quando sufficienter ipsi proponitur; similiter ergo tenendum est de assensu consequentiæ, positâ namque evidenti notitiâ de connexione conclusionis cum præmissis, quarum veritatem præcognitam affirmavit, nulla ibi supereſt difficultas quæ remoretur ullatenus assensum.

326 Dixi quòd à voluntate directè saltem impediri nequeat, quia indirectè, & per accidens fortè potest illum impedire, nempe prohibendo nè vel cogitet de illo diutiùs, vel distrahendo intellectum ad alia objecta.

327 Neque obest quòd Intellectus subjectus sit Voluntati in exercitio suorum actuum, alioquin non peccarent Hæretici, quando sufficienter proponitur illis Veritas Fidei; Nam verum quidem est quòd quoad actus inevidentes, in quibus latere potest falsitas, Intellectus subijciatur Voluntati, non autem quoad actus evidentes. Unde Hæretici licèt habeant sufficientia motiva ad verè credendum, ea tamen illis non sunt evidentia, adeoquè potest Voluntas imperare suspensionem actûs, & impellere intellectum, ut quærat alia motiva pro parte oppositа, quibus habitis dissentit à fide, & in hoc peccat, quia tenerentur potiùs quærere alia motiva, quibus confirmati elicere possent assensum. Quæ omnia hactenus dicta, tametsi vera censeamus, ex ijs tamen minimè

328 Inferri posse putamus assensum Præmissarum formaliter intrinsecè, & propriè includi in ipso assensu conclusionis, vel è contra: quia nempe si assensus conclusionis includeret assensum præmissarum, illum includere deberet ut partem sui componentem, quod dici non potest; tum quia illum exigit tantùm ut causam determinativam: tum quia causa formalis extrinseca per hoc ab intrinseca formali distinguitur, quòd illa non includatur in re illa cujus est forma; cùm igitur ex dictis constet assensum præmissarum esse causam formalem extrinsecam assensûs conclusionis, consequens est, ut in eo non includatur. Nequè rursus ex hoc

329 Inferre licet objectum conclusionis secundum se spectatum esse plusquam ratione ratiocinatâ distinctum ab objecto præmissarum, Nam objectum conclusionis est majus, & minus extremum præmissarum, cum quo vel utroque in syllogismo affirmativè concedente, vel saltem cum alterutro in negativo est medius terminus realiter idem, qui tamen cùm formaliter & explicitè non ponatur in conclusione sicut in præmissis, ideo etiam formaliter, & per rationem tantùm nostram cum aliquo in re fundamento objectum præmissarum distinguetur ab objecto conclusionis. Ex quo adhuc

330 Inferri potest assensum conclusionis ferri etiam in objectum præmissarum: cùm enim actus illativus sit ex essentia sua discursivus & progressivus, de cujus ratione est importare progressum & motum intentionalem ab uno in alium, nõ præcisè per hoc, quòd ante unum actum præcesserit alius, sed per hoc quòd ipse illativus actus ratione sui habeat esse progressivum, & illativum, per quod differt ab actibus pluribus se consequentibus purè enuntiativis; adeoquè ex ratione sua intrinseca habet esse motum ex uno in aliud, ad quod necessariò requiritur ut attingat unum & aliud, hoc est objectum præmissarum, à quo progreditur,

& objectum concluſionis ad quod progreditur, ut conſtat à pari, tum de progreſſu locali, de cujus ratione eſt attingere utrumque terminum, & à quo, & ad quem: tum de actu comparativo, qui attingit duos terminos neceſſariò.

331 Aſſenſus igitur concluſionis fertur etiam in objectum præmiſſarum cum feratur in connexionem ipſam confusè tamen, & per modum unius medij cum extremis, alioquin aſſenſus concluſionis ſolùm attingeret præcisè ſuum objectum ſecundum ſe ad eum modum, quo aſſenſus primorum principiorum attingit ſuum objectum, quod ſi fieret, illativus actus non differret ullatenus à judicio ſimplici, & tertia operatio à ſecunda.

332 Neque obeſt quod ſi aſſenſus concluſionis attingeret objectum præmiſſarum fruſtra fuiſſet objectum præmiſſarum præcognitum in præmiſſis. Nam contra eſt, quia dum dico petrus eſt rationalis; & propter hoc eſt riſibilis, per ly propter hoc, cõfusè attingo id quod clare affirmaveram per illam propoſitionem, petrus eſt rationalis, nec tamen illa propoſitio eſt fruſtranea: ſimiliter nec fruſtraneæ erunt præmiſſæ, quia in illis clarè cognoſcitur id, quod nonniſi confusè attingitur per propoſitionem ſequentem, & per aſſenſum concluſionis. Neque ex his

333 Inferri poteſt contra ſupra dicti, totum ſyllogiſticum diſcurſum conſiſtere eſſentialiter adæquatè in ſolo actu, ſeu aſſenſu illativo: quia ad ſyllogiſmum eſſentialiter requiruntur formales præmiſſæ, quarum objecto diſtinctè cognito præſtetur ab intellectu formalis aſſenſus adhoc ut determinari poſtmodum poſſit ad actum concluſionis non niſi confusè attingentem deinde objectum ipſum præmiſſarum. Neque demum

334 Inferre fas eſt ad aſſenſum concluſionis requiri cognitionem reflexam in actu ſignato de bonitate illationis: Nam nulla eſt neceſſitas talis cognitionis reflexivæ, poſitâ enim ſolâ connexione extremorum cum medio, & præciſo quocumque alio apprehendi poteſt, & per conſequens judicari extrema eſſe identificata inter ſe propter connexionem extremorum cum medio, adeoquè neceſſaria non eſt talis reflexio, quâ quis ſignatè cognoſcat objectum concluſionis eſſe identificatum cum objecto præmiſſarum: non ſecùs quàm illa ſit neceſſaria adhoc, ut poſita cognitione bonitatis objectivæ voluntas illam amet.

335 Dixi non requiri, cognitionem de bonitate illationis reflexè & ſignatè, nam exiſtimo probabile eam intervenire exercitè & æquivalenter, ſiquidem ad hoc ut eliciam actum concluſionis, debeo noſſe rationem motivam, quâ moveor ad inferendam concluſionem, non ſecùs quàm infra dicemus de cognitione factiva entis univerſalis, per quam opus eſt ut cognoſcam illa quæ ſunt plura, non verò quatenus ſunt plura: Sic exercitè, ſeu ſpecificativè per actum illationis cognoſcere debeo rationem motivam, non autem reduplicativè, ſeu per aliam reflexam formaliter cognitionem. His ita ſtatutis de eſſentia, & intrinſecis conſtitutivis ſyllogiſtici diſcurſûs, reſtat adhuc decidendum, in quibuſnam ſubjectis

Logicus ſyllogizandi modus reperiatur.

336 IN qua quæſtione illud nobis certum eſſe videtur, in Divino intellectu non dari diſcurſum, quomodocumque hic ſumatur: tum quia Deo omnia ſunt per ſe notiſſima: tum quia una notitia Divina nequit ullatenus cauſari ab alia in ullo genere cauſæ, cùm omnes ſimul ſint identificatæ; tum quia Deus ſimultaneè omnia cognoſcit, & eſt incapax cujuſcumque ſucceſſionis, quæ tamen, ut ex dictis ſupra conſtat, neceſſariò intervenit in omni diſcurſu.

337 Nec minùs etiam infallibile exiſtimamus in brutis nullum dari propriè dictum diſcurſum; defacto enim hunc ſemper ſequitur actus liber, ſiquidem per diſcurſum excutimus, & experimur objecta, ut ea liberè poſtea proſequamur, vel averſemur; cùm autem nulla brutalis potentia capax ſit libertatis, conſequens eſt, nec capacem eſſe diſcurſûs.

338 Neque operationes, & experientiæ quædam, quæ â canibus, leonibus, equis, apibus, avibus, & formicis, cæteriſqué animantibus deſumptæ contra objiciuntur, quidquam probant, quia certum eſt in ijs non poſſe dari ratiocinationem, & diſcurſum, in quibus dari nequit ratio ipſa, quæ eſt ratiocinationis, & diſcurſûs immediatum, & proximum principium; dari autem rationem ipſam in irrationabilibus, vix ullus hactenus, excepto unico Laurentio Valla capite 9. Dialecticæ docuit; tum quia omnis diſcurſus innititur alicui principio univerſali, ſine quo nihil omnino concluditur: Bruta autem nec facere, nec percipere univerſalia oſtendemus ſuo loco.

339 Operationes autem admirabiles citatorum animalium, cum fiant omnes ex naturali quodam inſtinctu, per quem ab Auctore naturæ ad hæc opera exercenda moventur, non aliter quâm horologia non à ſe, ſed ab arte artificis exercent motus ita ordinatos, ac ſi per ſe illos operarentur, & ideo celebre eſt illud axioma philoſophicum: opus naturæ eſſe opus intelligentiæ; quia nimirum opera omnia naturalia ſunt Divinâ arte facta, in quibus ſummi artificis ars mirabiliter elucet.

340 Quòd ſi ab Ariſtotele dicantur bruta quædam habere prudentiam, & eſſe diſciplinabilia, quia exercent opera, quæ in homine pru-

den-

dentiam arguerent, & voce humanâ paulatim assuescunt, ciboqué, & potu ad multa facienda, quæ videntur arguere discursum; hoc provenit, non quòd in talibus operationibus sit discursus, vel syllogismus ullus, sed inde, quòd sensus externos, & internos habeant determinatos ad sua objecta, ex quibus percipiunt intentiones etiam non sensatas; ac proinde, quia post talem actionem perceperunt cibum sæpiùs, & post aliam vapulârunt, quando vident talem actionem excitantur in illis tales materiales species rememorativæ rerum bonarum, vel malarum, & ideo illas vel sequuntur, vel fugiunt.

341 De Angelis autem an discurrant propriè, major est difficultas, quæ complanari potest tenendo partem negativam respectu eorum, quæ intuitivè cognoscunt; secùs intuitu eorum, quorum notitiâ intuitivâ carent. Ratio primi esse potest, quia ad discursum propriè talem necesse est, ut notitia rei secundum se nõ notæ causetur à notitia priori; cùm igitur in Angelo licèt dari possit cognitio multorum, quæ secundùm se sint non nota, talis tamen notitia discursiva proprè non erit, quia in eo non causatur à priori aliquâ: sic prima cognitio per quam Angelus Gabriel cognoscit causam v.g. futuræ tempestatis, penetrat perfectè & intuitivè talem causam, in qua cognoscit ipsam futuram tempestatem absque ullo discursu.

342 Ratio autem secundi est, quia Angelus potest probabiliter assentiri veritatibus per se non notis circa secreta cordium, futura libera, mysteria Gratiæ, arcana Divinitatis, &c. quibus objectis non assentitur per eundem actum, quo cognoscit signa in quibus probabiliter apparent: hoc patet, nam cognitio quâ aliquid cognoscitur evidenter, adeoqué independenter à libero imperio voluntatis nequit identificari cum cognitione, quâ aliud in ipso cognoscitur solùm probabiliter; sic quia cognitio quâ Angelus cognoscit v.g. signa peccati patrandi ab aliquo, & ejus probabilitatem est evidens, ideo alia cognitio inevidens, quâ peccatum ipsum affirmat probabiliter, & dependenter à libero imperio voluntatis non identificatur cum priori cognitione, adeoqué discursiva erit; sicqué datur in Angelo propriè dictus discursus circa ea, quæ intuitivè non cognoscit, ex quibus rectè

343 Sequitur propriè, & absolutè loquendo soli homini convenire discursum syllogisticum, & quidem vi solius tertiæ intellectûs operationis. Cujus sequelæ præter jam datas, & quidem primæ ejus partis ratio est quia illi soli convenit propriè & absolutè discurrere, qui ratione sui primi esse imperfecti habet cognitionem causarum imperfectam, ob quam imperfectionem per primam cognitionem non cognoscit effectum ex causis, & conclusionem ex principijs intuitivè, sed paulatim discurrendo cognoscit effectum ex causis, & conclusionem ex principijs per cognitiones licèt distinctas inter se tamen connexas, ut manifestâ patet experientiâ.

344 Ratio verò secundæ partis sequelæ est ex ipsa definitione acceptissima, quâ tertia operatio intellectûs dicitur progressus mentis ab uno noto ad aliud ignotum; ut si cupiens scire quâ viâ iverit miles hostilis inspicerem vestigia ejusdem relicta in arena, & ex illorum situ inferrem eum esse progressum versus orientem; hæc enim secunda cognitio, quâ ex tali impressione vestigiorum cognita infero hostem, movisse ad orientem, est tertia intellectûs operatio, quæ superaddit secundæ illationem, seu illativum judicium, quòd unum sequatur ex alio.

345 Unde hac in parte subscribere nequeo placito cujusdam cæteroquin sapientissimi recentioris, qui in suis manuscriptis Logicis tertiam operationem à discursu tanquam partem à toto distinguit; hoc enim si verum foret, quis non intelligeret discursum defacto esse quartam mentis operationem? ideo enim tertia operatio distinguitur à secunda, & constituitur inesse tertiæ, quia secundæ operationi, seu judicio, quod involvit, ut præmissas, superaddit illationem, vi cujus solius distinguitur à secunda, ut manifestum est, velut totum à parte, ergo etiam si discursus respectu tertiæ, sic se haberet, necessariò quarta daretur, quod inauditum est hactenus in Philosophia.

Logica syllogistica Demonstratio.

346 HUjus nomine venit discursiva cognitio, quæ habens medium necessarium, per quod rem quasi digito demonstrat, dicitur faciens formaliter scire. Illius duplicem adfert Aristoteles definitionem, genericam unam, quæ est hujusmodi: demonstratio est syllogismus scientialis faciens scire; quæ ultimæ particulæ intelligendæ sunt formaliter, quia demonstratio constituit intellectum formaliter scientem, id est cognoscentem per causam. Alteram particularem, quæ communiter adduci solet, utpotè propriè conveniens demonstrationi propter quid, seu potissimæ, & sic habet: demonstratio est syllogismus constans ex præmissis veris, primis, immediatis, notioribus, & prioribus causisqué conclusionis.

347 Ex qua mox patet demonstrationem dividi bifariam, nempè in demonstrationem propter quid seu à priori, quam etiam potissimam Aristoteles indigitat: quia in ea demonstratur vel proprietas ex essentia, vel effectus ex causa; & in demonstrationem quia, seu à posteriori, in qua è contra demonstratur, vel ex pro-

ex proprietatibus eſſentia, vel ex effectibus cauſa. Utriq; demonſtrationi, ut communis, & univocè conveniens aſſignaretur definitio, ſequentem excogitârunt Ariſtotelis interpretes, nimirum: Demonſtratio eſt diſcurſus ſyllogiſticus, in quo ex præmiſſis evidentibus ritè diſpoſitis, ſequitur evidens concluſio. Quam rectè ut aſſequamur, quædam de præcognitis, ac præcognitionibus neceſſaria ad perfectam

Logicæ Demonſtrationis notitiam

348 IUxta præceptum Ariſtotelicum ſecundo Poſteriorum ut adferamus, dicimus: tria eſſe ad demonſtrationem, ſicut & ad alium quemlibet ſyllogiſmum præcognita, ſubjectum ſcilicet, & prædicatum concluſionis, ac medium terminum in præmiſſis; præcognitiones verò duas tantùm, an ſcilicet ſit, & quid ſit: Ratio prioris partis eſt, quia dictorum trium cognitione habitâ poteſt deinde haberi diſpoſitio ſyllogiſtica neceſſaria ad demonſtrationem, & illâ non habitâ non poteſt, quo pacto enim prudenter quis poteſt diſponere de rebus ſibi omnino non præcognitis? Ut igitur tria hæc, quæ neceſſaria ſunt ad conſtitutionem demonſtrationis rectè diſponantur præcognoſcenda neceſſariò ſunt ante ipſam actualem eorum in ſyllogiſmo diſpoſitionem.

349 Neq; quis dicat, ſeu quòd præmiſſæ duæ ſint, adeoqué quatuor eſſe præcognita. Nam duæ licet ſint illæ, concurrunt tamen per modum unius ad concluſionem, ſicqué unicum tantùm conſtituunt præcognitum; ſeu quòd medius terminus videatur eſſe diſtinctum præcognitum à præmiſſis ipſis, ſicut ſunt diſtincta ſubjectum, & prædicatum, licèt & hæc in illis præcognoſcantur. Nam hæc ideo ſunt duo diſtincta præcognita, quia cognoſcuntur non tantum in præmiſſis, ut ille, ſed etiam extra illas, nimirum in concluſione.

350 Ratio alterius partis Dicti (quod ſic eſt intelligendum ut de ſubjecto, & prædicato concluſionis, ac medio termino præcognoſcantur in quolibet ſyllogiſmo, quid nominis, & quid rei ſaltem in confuſo, aliter adduci non poſſent in diſputationem; vana enim omnino eſt omnis quæſtio, niſi quis nomina intelligat; & inſuper de ſubjecto præcognoſcendum eſt, an ſit, & quid ſit; quod enim nullo modo eſt, ſeu quod in nullo ſtatu participat rationem entis, nullam poteſt habere paſſionem, ſeu proprietatem, quæ de ſubjecto prædicetur: cujus quidditas, ſeu definitio medium eſt, per quod de illo ejus dicuntur paſſiones, quæ duo tamen de prædicato cognoſcere non eſt neceſſe, quia ſcilicet quod concluditur per demonſtrationem, ante illam non debet cognoſci, concluditur autem per demõſtrationem ipſam quòd prædicatum paſſio ſubjecti ſit, & quid ſit, nam prædicatum ſeu paſſionem eſſe & paſſionem, ſeu prædicatum ineſſe ſubjecto ſaltem aptitudinaliter, id verò concluditur per ipſam demonſtrationem, ut conſtat) Ratio inquam dicti eſt, quia his duabus præcognitionibus poſitis, nihil deeſt intellectui quo minùs inferat concluſionem, cùm præter has aliud nihil excogitabile ſit quod ab ipſo ad id referatur.

351 Dicet fortè aliquis deeſſe unam præcognitionem unius ex tribus præcognitis, cùm enim hæc tria ſint, tres quoque præcognitiones eſſe debent. Sed contra eſt, quia præcognitiones ſolùm multiplicantur ex modis univerſalibus præcognoſcendi, qui ſunt tantùm duo, præcognita verò ex numero eorum, quæ præ requiruntur ad aſſenſum concluſionis.

352 Nevé quis replicet Ariſtotelem paſſim in re quavis rectè cognoſcenda præſcribere, ut inquiratur, an ſit, quid ſit, & qualis ſit, & propter quid ſit, adeoquè quatuor eſſe præcognitiones: nam rursùs eſt contra, quod qualis, & propter quid ſit, ſolum habeatur per diſcurſum, adeoquè cognoſcantur per præmiſſas in concluſione, non autem in præmiſſis ante illam, unde nec præcognitiones, nec præcognita eſſe queunt.

Logicæ demonſtrationis potiſſimæ, Præmiſſæ.

353 QUia hanc Ariſtoteles per cauſam materialem definivit, ſeu potius per multas conditiones materiam ipſius perficientes; ideo certum evadit, Primò Demonſtrationem eſſe neceſſariò ſyllogiſmum, nam requirit neceſſariò ſufficientem, & adæquatam cauſam connexionis extremorum in concluſione, quæ haberi nequit niſi per ſolum ſyllogiſmum, cùm reliquæ argumentationis ſpecies, utpote imperfectæ, hãc medij cum extremis coñexionẽ formaliter, & adæquatè nõ oſtendant. Secundò & ſyllogiſmũ quidem in prima Figura, nam in hac tantùm concluditur evidenter, cùm reliquæ, ut id præſtent, ad primam reduci debeant. Tertiò ſyllogiſmum in primo modo dictæ primæ figuræ; demonſtratio enim potiſſima eſt univerſalium, ita quidem, ut prædicatum affirmetur in concluſione, quod non niſi in primo modo reperitur. Quartò præmiſſas demonſtrationis eſſe debere veras, nam ubi non eſt conformitas cognitionis cum objecto non poteſt eſſe rectitudo, & veritas ad demonſtrativam concluſionem neceſſaria, hæc enim ex præmiſſarum veritate oritur.

354 Quòd ſi ex falſis præmiſſis ſequatur aliquando verum conſequens, per hoc tamen minimè ſequitur eſſe veram conſequentiam; imò etſi hæc ex falſa una præmiſſa ſubinde ſequatur, ut contingit in reductione ad impoſſibile,

bile, talis tamen demonstratio potissima similiter non est, sed solùm cum addito.

355 Quintò: easdem præmissas debere esse primas & immediatas vel formaliter, & quæ non probentur per aliud medium, quales sunt axiomata, dignitates, Maximæ, Pronuntiata, & quæcumq; alia principia à priori indemonstrabilia; vel saltem virtualiter & reductivè tales; si enim irresolubiles sint immediatè usque ad prima, & immediata principia, prout contingit in plurimis demonstrationibus, præsertim Mathematicis, intellectus tunc potest totaliter in veritate quiescere, quod ad perfectam demonstrationem est opus.

356 Sextò: easdem debere esse universales, quia prima passio naturæ multiplicabilis demonstari in illa debet de subjecto adæquato, quale est natura universalis, ideoqué si conclusio esse debet de subjecto universali, etiam ambæ præmissæ debebunt esse universales, cùm illa non sequatur, nisi ex utraque prçmissa uuiversali.

357 Septimò: easdem debere esse principia secundum quod ipsum; quia cùm in demonstratione perfectissima ex essentia demonstretur prima passio, debet in præmissis tam subjectum, quàm prædicatum conclusionis connecti cum essentia, hæc autem connexio haberi non potest, nisi secundum quod ipsum, seu secundum propriam, & ultimam ejus differentiam, sic risibile dicitur de homine, quia convenit homini secundum rationalitatem, quæ est ultima hominis differentia. Demum præmissæ esse debent causa conclusionis, non solùm simpliciter, ut suprà diximus, sed etiam quia medius terminus, qui ponitur in præmissis demonstrationis potissimæ est causa metaphysica passionis, quæ infertur in conclusione.

358 Neque quis dicat id verificari non posse in demonstratione Quia; nam imprimis hoc contra nos non facit, cùm hactenus egerimus de demonstratione propter quid. Et deinde falsum est hoc ultimum non reperiri in demonstratione Quia, potest enim dupliciter causa hoc loco sumi, primò pro causa essendi, secundò pro causa cognoscendi: prior ratio causæ non reperitur in demonstratione Quia; secùs secunda, nam & in demonstratione ista reperitur motivum in præmissis, per quod intellectus illativè venit in notitiam alterius sibi ignoti: ad quam rationem causæ sufficit connexio cum alio, undecumque illa proveniat; quia ergo effectus est connexus cum sua causa, proprietas cum principio, &c. valet existentia effectûs ad inferendam existentiam causæ, quod fit in demonstratione Quia, seu à posteriori.

359 Sed hæc de requisitis ex parte præmissarum dicta sint satis; quæ tamen non ita omnimodè esse necessaria arbitramur, ut defectu alicujus, vel etiam plurium ex ipsis nulla possit dari propriè dicta à priori demonstratio: plurimæ namque defacto dantur, quæ pro talibus propriè habentur à Philosophis, & Mathematicis omnibus, licèt ijs aliqua ex dictis desint requisita; tametsi verum omnino sit, quòd quò pauciora defuerint, plura adfuerint, eò perfectiores futuræ sint demonstrationes.

Logicæ Demonstrationis Certitudo, & Evidentia in præmissis & conclusione inter se collata.

360 CIrca hæc existimamus præmissas demonstrationis evidentiâ potiori pollere conclusione, & è contrà conclusionem antecellere in certitudine præmissis. Ratio quæ nobis id suadet est, quòd evidentia, ut mox dicetur, in perceptione objecti adeo clara est, ut vi suâ non sinat locum ulli dubitationi formali circa oppositum, licèt claritas & evidentia objectiva suscipiat magis & minùs; præmissæ autem cùm sint cognitiones immediatæ, & se ipsis notæ, erunt etiam formaliter evidentiores, & clariores conclusione; non tamen certiores eâdem, quia perfecta certitudo consistit formaliter in exclusione omnis formidinis tam formalis, quàm objectivæ, & consequenter non admittit magis & minùs: conclusio igitur demonstrativa cùm certissima sit certior erit præmissis, licèt fortè non evidentior.

361 Hoc patet maximè in Mathematicis demonstrationibus, vi quarum tam certus est Mathematicus de ultima propositione cujuslibet libri Euclidis, ac de prima primi libri, quod nullatenus contingere posset, si opposita nostræ sententia vera esset: pro qua tamen cum nostra concilianda multum facit placitum ingenioſi cujusdam recentioris existimantis præmissas etiam certiores dici posse ipsâ conclusione appretiativè, quatenus scilicet, si de alterutris esset dubitandum, intellectus dubitaret potiùs de conclusione, quàm de præmissis, propter subordinationem conclusionis respectu præmissarum, cum quo tamen adhuc stat, quòd conclusio sit reipsâ certior præmissis.

362 Nec obsunt quædam instantiæ, quæ ab aliquibus contra hoc adferuntur ex Theologia desumptæ, conclusio enim deducta ex duabus, vel saltem ex una præmissa de fide, non est in rigore demonstrativa, cùm sit tantùm conclusio Theologica, certissima quidem, sed non evidens.

Logicæ Demonstrationi non subsunt Definitiones substantiarum, secùs Accidentium.

363 SUadetur hoc inde, quòd ea quæ conveniunt subjecto primo, & per se, & sunt prima

ratio cur eidem & inſint cœtera, connaturaliter cognoſcantur primò, & per ſe, ac ratione ſui, & intuitu nullius prioris alterius: ſic definitio quidditativa hominis convenit ſubſtantiæ hominis ratione ſui, & non ratione alterius, eſtquè prima ratio cur tali ſubſtantiæ inſint proprietates, quæ eidem conveniunt. Cognitio autem talis, per quam aliquid cognoſcitur convenire ſubjecto ratione ſui, eſt per ſe nota, & ſi ſit, uti eſt, etiam ratio cognoſcendi cur alio ſubjecto inſint, eſt principium demonſtrationis; adeoqué propoſitiones in quibus definitiones ſubſtantiarum prædicantur de ſubſtantijs ſunt connaturaliter per ſe notæ, & conſequenter principia demonſtrationis, atque hoc ipſo indemonſtrabiles.

364 E contrà de definitionibus accidentium tenendum eſſe ſuadet ipſa accidentis ut ſic definitio, quâ dicitur eſſentialiter eſſe entis ens, de cujus eſſentia eſt ineſſe ſubſtantiæ, & per quam connaturaliter cognoſcitur eidem ineſſe, non ratione ſui, ſed ratione eſſentiæ ſubſtantiæ, propter quam eſt, & ineſt; cùm igitur cognitio, quâ aliquid cognoſcitur ineſſe alteri per cauſam ſit æquivalenter concluſio, & effectus quidam demonſtrationis, taliſqué cognitio ſit quidditativa accidentis definitio, hæc erit connaturaliter demonſtrationis effectus.

365 Unde obiter infertur malè à quibuſdam pro objecto attributionis Logicæ aſſignari demonſtrationem, cùm & ipſa alterius modi ſciendi ſubſerviat cognitioni; cujus ulteriorem non aſſignamus hìc rationem, nè circulum committamus regrediendo ad priora, tametſi in Logicis demonſtrationibus perquàm utilis ſæpe ſit.

Logicus regreſſus, ſeu circulus materialis.

366 IN quo poſtquam ab effectibus probavimus cauſam, regredimur ad probandum effectum per cauſam; qui circulus definiri ſolet, quòd ſit regreſſus mentis à conſequenti, ad antecedens; ad quem regreſſum neceſſarium ſemper eſt, ut veritas objectiva conſequentis ſit intellectui aliunde nota, & non dependenter ab antecedente.

367 Utilitas verò talis circuli oſtenditur ab Ariſtotele in libro 2. Poſteriorum, ubi docet eandem propoſitionem poſſe dupliciter cognoſci, vel ſcilicet per notiora naturâ, vel per notiora nobis: ex quibus rectè inferimus eundem effectum, qui in prima demonſtratione cognoſcitur immediatè per experientiam aliquam independenter à ſua cauſa, poſſe in ſecunda abſq; ullo vitio dependenter à cauſa demonſtrari; ſic demonſtrare ſolemus per eclypſim lunarem, interpoſitionem terræ, & quærendo deinde cauſam talis interpoſitionis invenimus eam eſſe ſphœricitatem, & motum ſpiraliter circularem ſydereorum corporum, per quem rurſus demonſtratur terræ interpoſitio, & per hanc ipſa eclypſis.

368 Similiter quando eſſentia cauſæ non eſt per ſe nota cognoſcenti, eò quòd non benè illam penetret, ſi poſtea in illius demonſtrativam notitiam deveniat per effectum, eandemqué conſiderans attentiùs cognoſcet per ſe, tum verò regreditur, & per illam ex hac ſecunda attentiori indagine notam, effectum demonſtrat.

369 Neque obeſt, quòd videatur implicare, ut idem reſpectu ejuſdem jam ſit minùs, jam magìs notum: hoc etiam verum eſt reſpectu ejuſdem, non autem reſpectu diverſi temporis, diverſarumqué circumſtantiarum; quando enim cauſa per effectum demonſtratur, effectus notior eſt; deinde verò per demonſtrationem à priori, vel per meliorem ejuſdem cauſæ penetrationem, & cum poſſumus à cauſa notiori regredi ad probandum effectum minùs notum reſpectu talis cognitionis.

Logicæ Demonſtrationis effectus.

370 IMmediatus Logicæ demonſtrationis effectus, ac finis velut proximus eſt ſcientia, quam dari præter authoritatem omnium ſanioris mentis Philoſophorum, ſuadet imprimis experientia ipſa genuina veritatis mater, quâ conſtat plures ſcientificas cognitiones nos habere non ſolùm practicas, ut dum quis novit taliter movendum eſſe calamum, ut inter ſcribendū apti lectioni efformentur characteres: ſed etiam ſpeculativas, ut quando novimus aquam fluere deorſum, quia eſt gravis.

371 Deinde ſuadet id ipſum ipſa naturalis ſciendi cupiditas, juxta illud; omnis homo naturaliter ſcire deſiderat, quæ nè fruſtranea ſit, neceſſariò illa, ad quā indita ea eſt, nobis à natura dari debet ſcientia. Quod ulterius patet inde, quia dantur principia certiſſima, & lumine naturæ nota, ex quibus per evidentem diſcurſum deducuntur aliæ propoſitiones certæ, evidentes, & neceſſariæ, ut conſtat clariſſimè in diſciplinis mathematicis: imò qui ſcientiam negant omnem, hoc ipſo ſcientiam dari admittunt, nam dum dicunt nullius rei ſcientiam dari; vel hoc ſciunt, vel non, ſi hoc non ſciunt, quomodo ergo affirmant? ſi verò ſciunt, ergo habent alicujus rei ſcientiam.

372 Et hinc veteres illi, ut ait Ariſtoteles, potuerunt quidem verbotenus dicere, quòd nihil ſciretur, nullatenus autem potuerunt ita ſentire, nam inter ambulandum, ſi ſponte non ruebant in foveam, putabant profectò non ſimiliter eſſe bonum, & non bonum ruere, ſed determinatè ſciebant eſſe bonum non ruere, adeoqué aliquid neceſſariò ſciebant.

373 Neque obeſt, quòd res omnes creatæ variabiles

riabiles sint, & perpetuæ mutationi obnoxiæ. Ut enim detur de re aliqua scientia, nõ est opus ut illa simpliciter se habere aliter non possit, sed satis est, si ex suppositione aliter se habere nequeat, & consequenter sit causa necessaria, & adæquata suarum proprietatum, easqué necessariò exigat, quando existit, in quo sensu res quælibet etiam contingens dici potest necessaria, quia ex suppositione quòd existat, non potest non existere.

374 Neque rursus obest, quòd sensus, à quibus ortum habet, ut suprà diximus, omnis nostra cognitio, sæpe fallantur; si enim sensus sint integri, & proprio objecto debitè applicati, ut etiam ibidem ostensum manet, nunquam circa illud decipiuntur. Quòd si quandoqué fallantur circa sensibilia communia, error tamẽ ille facilè corrigi potest, vel per alios sensus, vel naturali lumine intellectûs, cùm præsertim intellectus, quamvis sensuum speciebus excitetur ad cognitionem rerum, non tamen ex sensuum judicio, sed ex innato suo lumine assentitur multis veritatibus certis, & evidentibus, uti alibi fusiùs ostendemus.

Logicæ Demonstrationis Partus scientia de novo producitur, & non est sola reminiscentia.

375 HOc manifestè persuadet, tum sacra authoritas erroris damnans asserentes animas rationales ante corpora fuisse creatas, & in eo statu habuisse scientiam eorum, quorum cùm per immersionem in corpora fuerint oblitæ, paulatim deinde reminiscantur; tum evidens ratio fundata in experientia, quâ constat, quòd nunquam aliquis reminiscatur se sciviss̃e id quod primò addiscit; cùm alioquin de essentia actûs rememorativi sit, ut repræsentet intellectui priorem cognitionem, quam aliquando habuit circa tale objectum.

376 Tum demum, quia sequeretur, quòd qui à nativitate caruit aliquo sensu, haberet scientiam eorum, quæ tali sensu percipiuntur, adeoquè cœcus à nativitate habere posset perfectionem omnem cognitionis distinctivæ de coloribus, quam quivis perspicacissimus videns habere potest.

377 Dicet fortasse quispiam ad hanc sequelam, cœco deesse phantasmata; sed nihil dicit, quia si cœcus à nativitate habuisset aliquando perfectam scientiam de coloribus, sed tantum hic & nunc illorum non recordaretur ob defectum phantasmatum; posset saltem per sensibilia unius sensûs excitari, ut veniret in memoriam sensibilium alterius sensûs, sicuti ex visione sacchari venimus in notitiam, & recordamur dulcedinis, quam alias in saccharo sumus experti.

378 Nec plus dicunt illi, qui ajunt scientiam, quæ est in Magistro, non esse qualitatem activam, & consequenter non posse producere scientiam in Discipulo, adeoquè eam acquirere hic debet per solam reminiscentiam. Nam licet scientia Magistri activa qualitas non sit, eam tamen explicando verbis, ac signis, applicat objectum per se notum intellectui audientis, quod sic applicatum causat in audiente scientiam, & cognitionem sui; unde Magister non est causa immediata scientiæ in Discipulo, sed solùm est causa applicans objectum, quod vi suâ propriâ causat, manifestando se potentiæ, sui notitiam, prout jam suprà explicuimus.

379 Neque demum aliquid plus probat experientia illa, quam quidam adferunt de puero, qui interrogatus à Socrate circa principia Mathematica sibi priùs ignota, adeò appositè respondit, ut ostenderet eorum antea se habuisse notitiam; Hoc enim non accidit ex eo, quòd recordaretur oblitorum, sed quia à cognitionibus præhabitis per interrogationes gradatim à notioribus ad minùs nota, & à facilioribus ad difficiliora procedens, quasi manuductus fuit ad aliarum rerum propter affinitatẽ, quam habebant objecta priorũ cognitionum cum objectis posteriorum, notitiam. Quod patet ex eo, quia si non ordinatè, etiam ingenioſus puer interrogetur, sed ab uno objecto immediatè fiat transitus ad aliud disparatum, nullo modo sciat respondere. Quare non immeritò doctus quidam recentior negantem dari scientiam asserit similem esse illi, qui negabat dari motum, adeoquè contrà id illi esse probandum eâ ratione, quâ alter probavit motum dari. Jam ex

Logicâ Demonstratione parta scientia Definitur, & Dividitur.

380 DEfinitionem ejus dedit Aristoteles, quam unanimiter omnes recipiunt, nimirum, scientiam esse cognitionem certam, & evidentem per causam, quæ non contingit aliter se habere. In quo sensu accepta dividitur, prout etiam suprà insinuavi, in speculativam, & Practicam. Illa est, quæ ex natura sua non ordinatur ad regulandam operationem quam repræsentat. Practica verò è contra est ex natura sua ordinata essentialiter ad regulandas operationes circa quas versatur. Quemadmodum enim intellectus, quatenus veritatem contemplatur dicitur speculativus, ita quatenus inservit ad operandum dicitur practicus, ut ex notione praxis suprà datâ liquet.

381 Unde scientia practica per hoc distinguitur primò à quacumque speculativa, siquidem nulla est assignabilis Speculativa quæ per se, & ex natura sua ordinetur ad regulandam, & dirigendam operationem, quam repræsentat, & aliunde inductione constat, omni cognitioni practi-

practicæ hoc ipſum convenire; omnis enim cognitio practica vel eſt Syndereſis, hoc eſt primum aliquod principium circa honeſtam, vel inhoneſtam operationem; vel Prudentia, vel Ars; cuicumque autem ex his convenit eſſe regulativam operationis, quam repræſentat; Syndereſis enim dictat colendum eſſe DEUM, diligendos parentes, fugiendum malum &c. Prudentia verò ſublevandam eſſe hìc & nunc miſeriam pauperis, afflictionem afflicto non addendam &c. Ars denique hoc vel illo modo librandos eſſe artus, geſtuſque componendos, atque ad corridendum ridenti docet ut Placentinus quis ſit, non Veronenſis.

382 Porro utraque ſic diviſa Scientia in Actualem, & Habitualem ſubdividitur; nomine illius venit actus certus, & evidens per veram demonſtrationem deductus ex præmiſſis; Habitualis verò, facilitas quædam ex ſcientiæ actualis frequentatione acquiſita intellectum inclinans, & coadjuvans ad ſimiles actus eliciendos, uti paulò poſt fuſiùs oſtendetur. Interea, ut ſtatuamus de quibuſnam detur entibus

Logicè conſiderata Actualis ſcientia.

383 HAnc dari non ſolùm de entibus realibus, neceſſarijs, & per ſe, ſed etiam de contingentibus, & merè per accidens; imò & de ipſis non entibus; ac entibus impoſſibilibus, nobis eſt probabilius, & Doctrinæ Ariſtotelicæ conformius; & id quidem non ſolùm ſub ratione univerſali, ſed etiam ſub ratione particulari, & ſingulari; atque adeò de ſingularibus quà talibus non modo non implicat perfecta ſcientia, verùm etiam de facto datur. Hoc multiplex dictum non difficulter ſuadetur, & quidem quoad primam ejus partem ſatis conſtat ex paulò ante dictis.

384 Quoad ſecundam verò inde liquet, tum quòd nemo ſapientum negaverit de illis in DEO dari ſcientiam, DEUS enim per eſſentiam ſuam, quia omniſcius eſt, illa eodem modo comprehendit quo ſunt; tum quòd Angeli, & plures ingenioſiores viri ſaltem diſtinctè eadem benè norint: tum quòd experientia etiam rudium agnoſcentium bovem mugire, latrare canem, cucurrire gallum &c. id ſatis teſtatum faciat: tum demum qnòd ipſe Ariſtoteles aſſignans ſcientiæ practicæ proprietates ait, tres illas eſſe, quarum primam ponit, ut ſit de objecto contingenti, quia ipſa eſt regulativa operationis exiſtentis in noſtra poteſtate, quæ ſine dubio contingens quid eſt, & merè per accidens.

385 Quoad tertium etiam patet, nam de non entibus, & entibus impoſſibilibus formari poſſunt ſyllogiſmi certi & evidentes, ut ſatis notum eſt diſputantibus de rationis entibus, privationibus, negationibns, non ſecùs, imò fortè accuratiùs, quàm de ipſis entibus realibus, & poſitivis. Quòd ſi Ariſtoteles videatur ſæpius contrarium aſſerere, intelligendus eſt loqui non dari de illis ſcientiam ſecundum aliquam exiſtentiam poſitivam, quam non habent, vel ſecundum proprias ſpecies, quibus quia carent, per illas cognoſci non poſſunt, ut alibi dicemus.

386 Quoad quartam, præter indubitatam Ariſtotelis authoritatem, tradentis quatuor modos directos primæ figuræ ſcientificè concludentes; in duobus, quorum concluſio eſt ſingularis, & ex præmiſſa ſingulari: Ratio eſt, tum quia de ſingularibus quà talibus haberi poſſunt propoſitiones æternæ, quas vocant, veritatis, quales ſunt, petrus habet naturam individuam ſubſtantialiter numero diſtinctam à natura pauli: item petrus eſt hoc individuum humanæ naturæ &c. ex proprietatibus autem quibuſvis æternç veritatis poſſunt aliæ per evidentem conſequentiam deduci, ut patet. Tum quia præcipuæ demonſtrationes metaphyſicæ ſunt de DEO, qui eſt entitas ſingulariſſima; Tum quia Angelus habet perfectiſſimam ſcientiam de hoc numero homine, de hoc numero motu locali, de hoc numero mundo, & hoc ideo, quia procedit cognoſcendo ſingularia iſta, modo evidenti & ſcientifico. Tum demum quia & Aſtronomiæ benè peritus evidenter demonſtrat ex principijs ſingularibus futuram eclypſim ſecundum omnes individuas circumſtantias ejuſdem, & hoc propter evidentiam quam habet circa tale ſingulare objectum. Et in phyſicis benè verſatus evidenter deducit per cauſam, quæ non contingit aliter ſe habere, ſingulare hoc compoſitum reſultans ex unione reali hujus formæ rationalis cum hac materia prima eſſe hunc hominem individuum, ejuſdemq; individuã exiſtentiam.

387 Rationes, quæ contra hæc adferuntur, ſolvuntur facilè dicendo, eas probare ſolùm, vel ſcientiam de ſingularibus eſſe valdè difficilem acquiſitu, ob quam difficultatem tollendam excogitata ſint univerſalia, vel non poſſe dari de omnibus ſingularibus collectivè ſumptis ſcientiam, non autem de ijſdem ſeorſim, & diſtributivè acceptis: vel demum quòd non poſſit ſyllogiſmus ſcientificus totus conſtare ex meris ſingularibus, quamvis in ſyllogiſmis expoſitorijs, qui tertius quidam modus ſunt, negatam demonſtrandi conſequentiam, contrarium pateat, ut oſtenditur in Summulis.

Logica evidentia, & Certitudo actualis ſcientiæ.

388 VIdetur dicendum Certitudinem, & Evidentiam, à quibus cognitio ſcientifica dicitur certa, & evidens, non eſſe inter ſe omnino idem, ſed evidentiam eſſe claritatem quandam, ratione cujus cognoſcitiva potẽtia apertè, &

tè, & dilucidè cognoscit, ac quasi intuetur objectum, quod se illi communicat cognoscendum: ad certitudinem esse rationem talem, quâ intellectus informatus ita adhæret firmiter veritati, ut ab illa nullatenus possit divelli. Utraque rursus subdividitur in Moralem, Physicam, & Logicam, seu Metaphysicam: Moralis est, quando actus est talis, ut neque absolutè, neque naturaliter implicet objectum se aliter habere, sed solùm prudenti hominum judicio censetur sic esse: sic censetur moraliter certum, quòd in actu alearum non semper ijdem numeri centies prodeant, quod tamen nec physicè, nec metaphysicè repugnat.

389 Physica verò illa dicitur, quando actus est talis, ut repugnet absque miraculo objectum ita non esse, non autem repugnat absolutè: talis certitudo est, dum judicamus lumen esse in meridie, quia licèt de absoluta potentia possit conservari, vel produci hæc mea visio dependens à tali specie sine existentia luminis, hoc tamen naturaliter fieri non potest. Logica demum seu Metaphysica est illa, vi cujus actus adeò est certus, ac evidens, ut neque absolutè pro tunc possit objectum aliter se habere, & de hac potissimùm præsens procedit quæstio, in quonam consistat

Logica Certitudo scientiæ.

390 EAm non consistere in sola adhæsione firma intellectûs circa objectum, censemus esse certum; nomine enim actûs certi illum intelligimus, qui simul necessariò est verus; nam hoc ipso quòd dicamus hoc est certum, simul intelligimus esse verum, adeoqué firma adhæsio intellectûs circa objectum non sufficit ad hoc, ut certitudo habeatur, alioquin Turca, Judæus, & Hæreticus firmissimè, & pertinaciter adhærentes suo errori actum certum haberent, quod est omnino falsum.

391 Proinde putamus probabiliùs certitudinem importare firmam quidem adhæsionem ex parte intellectûs, & necessitatem veritatis objecti. Cujus probabilitatis ratio habetur ex inductione eorum actuum, qui nemine refragante habentur pro certissimis, quales sunt actus fidei, visio beatifica, actus formaliter veri, alijqué his similes; ad quorum certitudinem nullum aliud assignari potest requisitum. Certitudo proinde dicit essentialiter necessitatem, ut sit objectum, quo modo affirmatur, in ea scilicet ratione, in qua est certitudo; unde si illa sit Logica, datur logica necessitas, ut objectum ita sit logicè: si physica, physicè necessariò taliter habere se debet objectum, prout per actum repræsentatur.

Logica Evidentia scientiæ.

392 EVidens cognitio talis est, per quam objectum convincit intellectum, eumqué determinat ad assensum, vel dissensum. Quod intelligendum est de necessitate adæquata orta ex ipso objecto, & cognitione circa ipsum versante, ita ut præciso quocumque alio vel imperio voluntatis, vel influxu, qui non sit objectivus, adhuc intellectus victus necessitetur ad non dissentiendum objecto. Ratio autem, quæ suadet, ut hoc requiramus ad evidentiam propriè talem constituendam, est tum quia in his unica reperitur distinctio evidentiam inter, & inevidentiam; actus enim inevidens intellectum non necessitat, præscindendo ab omni imperio voluntatis, vel alia quacumque causa, quæ non influat ex parte objecti: tum præterea quia assignabile non est aliud prædicatum magis notum evidentiæ, quàm sit jam assignatum.

393 Porro ad scientiam in rigore talem necessariò requiri tam evidentiam, quàm Certitudinem jam explicatam, constat tum ex ipsa definitione scientiæ, vi cujus essentialiter sciens debet non posse dubitare de re, quam scientificè cognoscit, eò quòd sic cognoscat illius causam necessariam sive absolutè, sive ex suppositione talem; tum quia si scientia non haberet evidentiam & certitudinem, posset formidare, & sic ea esset opinio, quod cùm admitti nequeat, ideo certum & evidens esse debet actũ scientificum esse certum, & evidentem modo jam dicto. An autem ex suppositione, quòd humanus intellectus habere possit plures simul actus, simulqué judicare, seu plures propositiones objectivas, seu eandem, sed secundum diversa motiva, an inquam sit talis incompossibilitas inter

Logicè acceptam scientiam, Opinionem, & fidem actualem.

394 REspectu ejusdem intellectûs, ejusdemqué objecti terminativi, ut idem intellectus non possit scire, credere, & opinari eandem propositionem objectivam veram esse? In qua controversia pars negativa nobis videtur longè probabilior, ac proinde putamus non posse in eodem intellectu, eodem tempore simul stare actum scientiæ, & actum opinionis circa idem objectum tam materiale, quàm formale, stantibus ijsdem motivis, sive deinde actus opinionis junctus sit formidini actuali, sive virtuali, sive etiam radicali.

395 Priusquam adferamus argumenta id nobis suadentia, prænotare quædam libeat pro notitia terminorum, quibus protulimus positam conclusionem; Et in primis motivum Scientiæ esse id, quod est essentialiter connexum cum veritate objecti; Motivum verò Fidei est connexio veracitatis alicujus loquentis cum veritate objecti, quod motivum semper est

obſcurum & inevidens ; Motivum demum Opinionis eſt, quod habet connexionem cum veritate objectiva ſolùm probabili & incerta. Et quia incertitudo iſta ſeu formido vel actualis eſt, hoc eſt actuale judicium, quòd res poſſit aliter ſe habere actu : vel virtualis, hoc eſt talis, quæ ratione modi percipiendi concluſionem aliquã adeò debilis eſt, ut ex vi talis actûs poſſit oriri ſecundum judicium, in quo conſiſtat actualis formido vel radicalis, hoc eſt talis actus, qui ratione motivi probabilis ita aſſentitur concluſioni, ut ex vi ejuſmodi aſſensûs poſſit aliter ſe habere, non ſimpliciter, ſed ſolùm quantum eſt ex vi objectiva talis motivi probabilis : ideo

396 His poſitis, argumentum ſuadens non poſſe ſtare ſimul eodem tempore in eodem intellectu actum ſcientiæ, & actum opinionis cum formidine actuali circa idẽ omnino adæquatum objectum, eſt, quòd opinio cum actuali formidine, ſit actuale judicium, quòd res poſſit aliter ſe habere; actus verò ſcientiæ ſit judicium, quòd res non poſſit aliter ſe habere; quæ duo judicia ſimul eſſe nequeunt, cum ſint contradictoria, ut conſtat.

397 Quòd etiam ſtare non poſſit cum opinione includente formidinem virtualem, patet; tum quia intellectus non ſolùm judicare ſimul non poteſt, quòd res poſſit, & non poſſit aliter ſe habere, ſed nequè poteſt ad hæc duo judicia eſſe determinatus, ſicut eſſet ſi cum ſcientifico actu haberet etiam opinionem virtualiter formidoloſam : tum etiam quia formido virtualis in ordine ad excludendam ab intellectu certitudinem ſcientificam, ſeu judicium, quòd res non poſſit aliter ſe habere, æquivalet formidini actuali ; non ſecùs quàm certitudo virtualis, quam habet actus ſcientificus, qui ſimpliciter fertur in objectum abſquè ulla reflexione & advertentia, in ordine ad excludendum ab intellectu formidinem, æquivalet certitudini actuali ; vel ſicut virtualis volitio mediorum, quam continet intentio efficax finis in ordine ad excludendum è voluntate eorundem nolitionem, æquivalet expreſſæ eorum volitioni. Cùm igitur non poſſit ſimul conſiſtere opinio cum actuali formidine, & Scientia, nec poterit hæc cum opinione virtualiter formidante conſiſtere, quia hæc illi æquivalet.

398 Quòd denique nec ſtare poſſit actus ſcientificus cum actu opinionis habentis ſolam formidinem radicalem, probatur ; tum quia actus opinativus etiam cum ſola formidine radicali eſt talis actus, qui eſtò non importaret actualem formidinem, quâ intellectus actu dubitaret, an objectum aliter poſſet ſe habere, non tamen adhæret, neque aſſentitur tali objecto cum ea firmitate, validaqué adhæſione, quâ adhæret actus ſcientificus ; nam ſi ſupponeretur adhærere vi actûs ſcientifici, jam alter non eſſet opinativus : cùm enim intellectus moveatur ad aſſenſum majorem, quam qui haberi poſſit dependenter à ſolo motivo opinativo, erit actus importans firmitatem propriam actûs ſcientifici. Cùm ergo intellectus ſit potentia neceſſaria, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis agit quantum poteſt producendo effectum, quem poteſt perfectiſſimum, & quando elicit actum ſcientificum adſint omnia hæc requiſita ad talem actum eliciendum, neceſſariò illum eliciet, non elicito alio actu cum adhæſione, & firmitate minori, quæ propria eſt actûs opinativi etiam radicali tantùm formidini juncti.

399 Tum præterea quia aſſenſus innitens tantùm motivo fallibili, non ſolùm radicaliter, ſed etiam actu ipſo implicitè formidat, & dubitat de fallibilitate, ad hoc enim ut non dubitet, debet eſſe certus non certitudine tantùm formali, ſed etiam objectivâ, eſſentialiter requiſitâ ad actum ſcientificum, uti ex dictis ſuprà patet. adeoquè ſicut actus innitens motivo infallibili quâ tali, certus eſt non radicaliter tantùm, ſed etiam actualiter, ita ſimiliter actus innitens motivo fallibili quà tali, etſi clarè non appareat ejus fallibilitas, re ipsâ tamen & actualiter implicitè formidabit ; cum actuali verò illa formidine nequit ſtare actus ſcientificus, ut oſtenſum eſt, ergo.

400 Nequè faceſſunt difficultatem, quædam, quæ contra hoc opponi ſolent, deſumpta, vel ex habitibus talium actuum compatientibus ſe ſimul in eodem intellectu. Nam habitus ſolùm inclinant ad actus ſucceſſivè eliciendos, & propterea non ſe excludunt ſicut actus ipſi, quod patet à paritate de materia, quæ habet potentiam ſimul ad omnes formas, quas tamen non niſi ſucceſſivè habere poteſt, eò quòd ſe iſtæ naturaliter non compatiantur ſimul in eodem ſubjecto : tum etiam in aſſenſu, & diſſenſu, amore & odio, quæ ſimul ſunt ſimultate potentiæ, non verò ſimultate actûs. Vel ex anima, quæ una eademqué diſcurrit in capite, non verò in pede. Hoc enim tantùm fit ratione partialium ubicationum, per quarum unam affigitur capiti, per alteram pedi, quæ ubicationes non poſſunt habere locũ reſpectu actuum ſcientifici, & opinativi, eorumvè formalium motivorum, quæ ſe immediatè, & neceſſariò tollunt.

401 Vel ex modo tendendi actuum talium in ipſum objectum. Nam in primis hic modus tendendi inexplicabilis eſt ; & deinde, quia ſi dicatur quòd ſit ipſa adhæſio, ut dicere debent talis modi patroni, hoc ipſo major illa adhæſio intellectûs non habebitur niſi ex vi motivi ſcientifici, nullo habito reſpectu ad motivum opinativum : non ſecùs, quàm dum duæ faces una major, altera minor, illuminant eodem tempore idem objectum, etſi poſſent de eo-

dem

dem objecto dari duæ visiones distinctæ, non tamen posset oculus elicere simul de eodem objecto unam visionem magis claram dependenter à face clariori ; & aliam obscuriorem dependenter à face minùs clara ; sic pariter si simul repræsentetur idem objectum intellectui veluti illuminativum à motivo scientifico clariori, & à motivo opinativo minùs claro, non poterit intellectus elicere unum actum habentem minorem firmitatem dependenter à motivo opinativo, & alium cum firmitate majori dependenter à motivo scientifico. A- 405 lioquin certè salvari possent simul assensus & dissensus in intellectu, & amor ac odium in voluntate respectu ejusdem objecti, quia scilicet dici posset, quòd amaretur tale objectum, ut terminat amorem, & est motivum ejusdem, 406 & odio haberetur secundum quod terminat odium, & est motivum odij, non secùs quàm ab Adversarijs dicatur, quòd possit dari actus scientificus respectu motivi scientifici à quo terminatur, & actus opinativus respectu motivi opinativi.

402 Quæ autem diximus de scientia, & opinione, à fortiori dicenda sunt etiã de Scientia & Fide, seu humana, seu Divina ; tum propter allatas jam rationes, tum quia quivis facilè experitur, se nullius authoritate moveri posse ad assentiendum quòd habeat oculos, vel manus, quas videt, & scit se habere ; imò ridiculè quis mihi persuadere conaretur, ad sibi cre- 407 dendum seriò affirmanti, quòd habeam oculos, vel manus, in quo sine dubio aliud non persuaderet, quàm quòd illudere mihi vellet, vel fingere seriò jocosam aliquam recreationem, nec omnino ex animo loqui.

403 Tum demum quia, licèt non formidet actu, qui credit Deo, assentitur tamen veritati revelatæ ad instar formidantis ; sicut namqué Deum cognoscimus ad modũ creaturarum in hac vita, etsi non affirmemus Deum esse creaturam, ita non potest intellectus assentiri nisi ad instar formidantis veritati revelatæ, cùm illi assentiatur propter motivum obscurè apparens, ut notũ est, & eruditè ac solidè ostendit L'esparza in suo Tractatu de Fide, Romæ recenter impresso : assensum autem ad instar formidantis compati secum non potest assensus certus, & evidens, qualis est scientificus, cùm intellectus, qui hoc præditus est, non solùm non formidat quatenus evidenter cognoscit, sed habet præterea modum cognoscendi oppositum modo cognoscendi proprio formidantis ; cognoscit siquidem objectum suum evidenter, vi cujus evidentiæ intellectus convictus conquiescit in veritate illa tanquam in suo centro ; cùm evidentia superet omnes difficultates, quas Fides difficulter evincit.

404 Nec obstat, quòd defacto sapientes credant Deum esse, & simul idipsum sciant. Nam quoties illi se applicant ad eliciendum actum fidei retinent memoriam ad summum confusam, quâ recordantur eadem mysteria esse valde rationabilia, rapiente scilicet animum motivo præstantiori, & alliciente uniformitatem attentionis ; adeoqué dum sapiens convertit sese ad fidem, sequé committit Divinæ illustrationi, avocat animum à memoria suarum demonstrationum, creditqué credenda omnia, non secùs ac quiscumque rudis, sicqué simul non elicit actum scientiæ & fidei.

Quâ ratione etiam responderemus ad instantiam de scientia experimentali, & Fide, quam de Christo nato habuit Beatissima Virgo, nisi hæc & hujusmodi instantiæ fori essent Theologici.

406 Nec obstat iterum, quòd in eodem intellectu possint simul stare duo actus scientifici, quorum unus sit à priori, & à causa, alter à posteriori, & ab effectu, ut patet dum quis assentitur huic propositioni ; ignis est levis, & quia est calidus, & quia movetur sursum. Disparitas namq; lata est, quia dum assentior huic propositioni ignis est levis, coalescũt illæ duæ causales in unum motivum, vi cujus approbo solam hanc majorẽ universalem : impossibile est ut sit falsum id, quod hæc motiva probant esse verum, quod non reperitur in actibus scientiæ, & Fidei, seu Opinionis, quorum motiva se invicem destruunt. Atque ex his ampliùs

407 Dicimus possibilem non esse actum, qui simul sit scientiæ, & Opinionis, vel Fidei. Ratio est, tum quia hoc ipso quòd actus ille esset Scientificus, intellectus ab illo necessitaretur, & eò ipso, quòd esset Opinionis, nõ necessitaretur : cùm enim præmissæ scientificæ sint causæ necessariæ & sufficientes conclusionis scientificæ ; & præmissæ probabiles conclusionis probabilis ; singulæ suas conclusiones semper causabunt : tum quia licèt intellectus posset habere plures actus, circa diversas conclusiones ex motivis scientiæ, & opinionis, defacto tamen habere non potest unum actum ex diversis motivis circa plures conclusiones : Ideoqué nec unum circa eandem conclusionem ex diversis motivis ; eodem enim modo quo posset habere unum actum ex diversis motivis circa unam, posset etiam habere unum actum circa diversas ; siquidem sicut una conclusio determinat sibi unum actum, ita & unum motivum unum actum sibi determinat.

408 Nec obstat, quòd ex duabus præmissis unica sequatur conclusio. Nam singulæ præmissæ non sunt ex se causa sufficiens conclusionis, sicut duæ præmissæ scientificæ, & duæ probabiles causa sunt sufficiens, & adæquata suarum conclusionum.

409 Nec obstat iterum, quòd voluntas possit aliquando per unicum actum velle recreationem propter plura motiva. Nam hoc solùm tunc

tunc contingit, quando plura illa motiva per modum unius confusè proponuntur voluntati, prout colligitur ex eo, quòd qui hoc modo optat recreationem, non recordetur plerumquè ſingulorum motivorum in particulari.

410 Nec obſtat inſuper, quod ex nuce, & perſico oriatur nuciprunum, ex equa & aſino mulus, adeoquè etiam poſſit ex motivis ſcientiæ & opinionis oriri idem actus. Diſparitas namquè eſt, quod ex inſitione unius arboris, vel conventione equæ, & aſini, ſingulorum qualitates ita refringantur, ut non remaneant ampliùs cauſa ſufficiens ad ſingulos effectus producendos; ſecùs accidit præmiſſis ſcientificis, & probabilibus, quæ manent ſemper ſufficientes ad cauſandum ſuas concluſiones.

411 Nec demum quòd duo equi ſimul cauſent unam tractionem, licèt quilibet ſeorſim ſit ſufficiens ad currum trahendum, ergo pariter motivum ſcientiæ & opinionis cauſare poterunt eundem actum. Diſparitas ſiquidem eſt in eo, quòd duo equi cùm ſint cauſæ ejuſdem rationis in trahendo per conjunctionem coaleſcere poſſint in unam cauſam validioré, non ſecùs quàm coaleſcant duo luminoſa ſimul poſita: verùm ſcientificum, & opinativum motivum cùm ſint diverſæ & oppoſitæ rationis coaleſcere nequeunt in unum; ſed ſemper remanent duo motiva, ideoquè duæ cauſæ ſufficientes ad ſuas concluſiones.

Logicæ Demonſtrationis effectus alter, ſeu Scientia Habitualis.

412 SCientiam Actualem conſequitur Habitualis, quæ ex frequentatis actibus ſcientificis in nobis generatur, ideoquè effectus eſt demonſtrationis tantùm mediatus. Quam dari ſatis conſtat experientiâ, quâ conſtat nos poſt actuum frequentationem, & frequentem diſcurrendi & diſputandi uſum circa materias aliquas acquirere facilitatem quandam, quâ adjuti, & facilè aſſentimur concluſionibus ſcientificis, & abſque difficultate actus ſimiles illis, à quibus illa orta eſt, elicimus.

413 Et hinc rectè illa definitur, quòd ſit qualificativa quædam facilitas, & promptitudo ex actualis ſcientiæ frequentatione acquiſita intellectum inclinans & coadjuvans ad ſimiles actus eliciendos. Cujus definitionis ſufficientia & ex ipſa patet habitualis ſcientiæ notione jam inſinuata, & ex ipſa notitia terminorum ejuſdem.

414 Dicitur ſiquidem qualificativa promptitudo, & facilitas nempe operandi, & aſſentiendi alicui objecto, ex eo, quòd circa illud ſæpe operati ſimus. Ratio autē epitheti illius, qualificativa, patebit ex dicendis in Ethicophyſica, ubi oſtendemus habitus ipſos tam intellectûs, quàm voluntatis eſſe eſſentialiter qualitates ab ipſis ſpeciebus impreſſis contradiſtinctas. Dicitur præterea ex frequentatione actualis ſcientiæ, per quod excluduntur habitus infuſi, qui aliundè hominibus Divinâ dexterâ liberaliſſimè largiente communicantur, dicitur demum inclinans intellectum ad actus ſimiles eliciendos, tum ut denotetur illius diſtinctio ab habitibus aliarū potentiarum, tum ut oſtendatur finis ad quem ea eſt à natura comparata.

415 De illius diviſione quædam jam inſinuavimus ſuprà in Prolegomenis ad univerſam Philoſophiam, plura dicemus in Ethicophyſica, ubi de habitibus intellectûs, & voluntatis proprius eſt agendi locus. Interea in ultimo hoc Logicæ effectu, ut tantiſper quieſcamus, finē hîc facimus Parti Primæ noſtræ quinque partitæ Philoſophiæ.

PHILOSOPHIÆ QUINQUE-PARTITÆ PARS ALTERA Seu PHYSICA.

PHYSICÆ QVIDDITAS.

416 Receptâ jam Philosophorum consuetudine post pertractatam, quantum præsenti nostro instituto sat erat, primam Philosophiæ partem, seu Logicam, aggredimur Physicam, seu naturalem Philosophiam, sic dictam, tum à voce Græca φύσις, quæ Naturam Latinis significat; tum ex eo quòd intellectus noster hâc adjutus scientiâ, entia naturalia faciliùs speculetur, quöad eorum naturam, principia, passiones, proprietates, accidentia, cæteraq;, quæ Ens naturale præcedunt, comitantur, consequuntur.

417 Et hinc illam, usitatâ jam definitione, uni- 419
co tantum immutato termino, ob rationes mox adferendas, esse dicimus: Scientiam contemplatricem veritatis circa ens naturale, ut naturale est. Per quam definitionem, & indicatur illam genuinam esse partem Philosophiæ, uti suprà ostendimus, eò quòd Philosophia uuiversìm sit scientia veritatis contemplatrix; & contradistinguitur ab alijs ejusdem partibus; licèt enim aliæ etiam scientiæ agant de ente naturali, nulla tamen sub hac formali ratione, seu restrictione naturæ, à qua propterea, uti diximus, hæc scientia Physicæ nomen est sortita.

Physicæ Qualitas universim.

418 Illam esse ex genere habituum intelle- 420
ctualium, & contineri specialiter sub habitu scientiæ nobis esse debet indubitatum; licèt Recentiorum nonnulli ad habitum, etiam opinionis eam revocari contendant: contra quos pro nobis ratio efficax militat illa, quòd, nequè negari possit, re ipsâ habitum Physicæ esse simpliciter scientificum; propositiones enim negativæ, in quibus negatur prædicatum de subjecto dicuntur, & sunt malignantis naturæ, simpliciterq; prolatæ negãt de toto, deq; omni ejus parte statim id, quod excludunt à subjecto, adeòq; hæc propositio simpliciter prolata: habitus Physicæ non est scientificus; negat de toto subjecto, & de omni ejus parte id, quod excludit à Subjecto, scilicet prædicatum scientificum; & per consequens nec secundum se totam, nec secundum ullam sui partem, habitus Physicæ esset scientificus: quæ consecutio est contra ipsos Adversarios, qui ajunt, partim illam esse scientificam, & partim opinativam.

Cujus rationis prima propositio elucescit inde, quòd propositiones negativæ non attribuantur toti, nisi omnes ejus partes seorsim habeant ejusdem rei negationem, uti exemplo liquet hominis, qui non dicitur immortalis, vel invulnerabilis simpliciter, sed cum addito, secundum animam, quia scilicet nec omnes ejus partes seorsim, nec totus simul, habet negationem mortalitatis, vel vulnerabilitatis; similiter, quia hoc prædicatum, *non scientificus*, negat simpliciter Physicam quoad ullam sui partem scientificam esse, quod etiam per illos est falsum, ideo illud illi tribui absolutè nequit, adeoqué nec negari poterit ullatenus habitum Physicæ absolutè esse scientificum.

Accedit huic alia compar ratio, quòd Physica per evidentes demonstrationes tam à priori, quàm etiam posteriori ostendat plurima: Sic demonstrat omne corpus esse mobile, eò quòd habeat naturam, quæ est princi-

pium motûs, & quietis in eo, in quo eſt primò & per ſe, & non ſecundum accidens: omne corpus eſſe diviſibile, quia eſt continuum ſeu quantum: omne mixtum corruptibile eſſe, quia conſtat contrarijs, & habet materiam capacem aliarum formarum; hominem eſſe capacem diſcursûs, quia informatur animâ rationali, brutorum formas interire cum corpore, quia educuntur ex potentia materiæ; plantas augmentari, quia habent vitam; aliaqué plurima his ſimilia, de quibus ſuas infert demonſtrativas concluſiones, nullam habentes admixtam formidinem.

421 Nequè obſtat, quòd multa tractentur in Phyſica, merè probabiliter, ut patet ex diverſitate opinionum circa eadem: quæ adeò multiplex non eſſet, ſi cognitio rerum naturalium certa eſſet, & evidens. Quamvis enim verum ſit, quòd non omnia, de quibus agit Phyſica certa ſint, & evidentia; hæc tamen numero & excellentiæ gradu ſuperantur ab ijs, quæ certò & evidenter cognitioni Phyſicæ ſeſe manifeſtant, unde ſi ex paucioribus quibuſdam probabilibus, & ex diverſitate circa ea opinantium, qualitas habituum deſumi deberet, nec Metaphyſica, nec Mathematica, nec alia ulla daretur ſcientia.

422 Nec obſtat adhuc, quòd ſcientia Phyſica innitatur cognitionibus ſenſitivis fallaciæ obnoxijs, ut conſtat ex cognitione ſenſitiva de baculo integro, fracto in aqua apparente, de coloribus in iride, & collo columbæ, de exilitate apparentis diſci Solaris &c. Nam etſi hæc vera ſint, attamen quia cognitio intellectualis Phyſica formaliter non innititur cognitioni ſenſitivæ, ſed ſolùm dependet ab illa originaliter, & initiativè, ideo errorem illum corrigit intellectus, ut potentia perfectior, inſtructus præſertim alijs experientijs, cæterorumqué ſenſuum perfectioribus cognitionibus; non ſecùs, quàm apprehenſionem, quâ Angelus ad modum elegantis Juvenis, & tenebræ ad inſtar diffuſæ per aërem nigredinis apprehenduntur, corrigat per ſubſequentem cognitionem, quâ Angelum Ens ſpirituale, & tenebras carentiam lucis eſſe percipit.

423 Nequè demum obeſt, quòd multa ſint, de quibus agit Phyſica, entia per accidens, de quibus non videtur juxta mentem Ariſtotelis dari poſſe ſcientia; Nam Ariſtoteles ſolùm intelligendus eſt, non dari ſcientiam de entibus per accidens, quæ caſualiter, & fortuitò accidunt, juxta illud ejuſdem: quod eſt à fortuña, non eſt Scientiæ; non verò de ente per accidens ſumpto in ratione compoſitionis aggregativæ; de hoc enim dari ſcientiam conſtat tum ex dictis ſuprà numero , tum ex eo, quòd Ethica multa de Republica, Polemica de exercitu, Architectonica de ædificijs, Muſica de numero ſonoro, Geometria de Triangulis, Metaphyſica de Ente per accidens plurima evidenter demonſtret.

Phyſicæ Qualitas ſpeciatim.

424 PHyſica dicenda nè ſit ſcientia ſpeculativa, an practica, vel partim ſpeculativa, & partim practica, controvertunt quidam Neoterici. In qua controverſia nobis videtur tenendum juxta dicta num. 7. illam eſſe purè ſpeculativam. Id ſuadetur ex eo, quòd Phyſica primariò, ſimpliciter, & per ſe ſiſtat in ſola cognitione veritatis, quâ habitâ velut in fine ſuo ultimo conquieſcit, eam ulteriùs ex fine ſuo intrinſeco ad opus aliquod non dirigendo; prout conſtat inde, quòd cognitio, quam Phyſicus habet de corpore mixto corruptibili, non conducat ad corruptionem corporis, ſicut cognitio quâ ſolem mobilem, & terram ſtabilem, ac firmam cognoſco, nihil conducit ad motus ſolis, vel terræ ſtabilitatem, ut conſtat.

425 Nequè obeſt, quòd Medica, Chymica, Statica, Machinica, cæteræqué hujuſmodi mediæ ſcientiæ ſint partes Phyſicæ, & tamen per ſe practicæ; Nam Medica tradit præcepta de corpore ſanando, Chymica de alteratione, tincturâ, & tranſmutatione metallorum; Statica de admirandis operibus per artem factibilibus in terra, aquâ, aëre, & igne &c. In primis enim dupliciter dictæ Facultates conſiderari poſſunt, primò prout ſimpliciter verſantur circa ſpeciem certorum corporum ita, ut eorum tantùm principia, proprietates, & paſſiones conſiderent: Secundò prout circa eadem corpora verſantur modo operabili per actus practicos ex ſpeculativis veritatibus deductos: primo modo ſumptæ ſunt ſcientiæ purè ſpeculativæ, & partes Phyſicæ. Secundo verò modo acceptæ ſunt practicæ, & nullatenus Phyſicæ partes, utpote per actus omnino à Phyſicis diverſos comparatæ.

426 Nequè hæc acceptio ulli mira videbitur, qui ſcit certum eſſe apud Mathematicos dari Arithmeticam, Muſicam, Geometriam, Speculativam aliam, aliam Practicam. Et deinde dici poteſt vel has ſcientias eſſe â Phyſica diverſas, ut patet ex vulgato illo: qui deſinit eſſe Phyſicus, incipit eſſe Medicus: vel certè eas eſſe probabiliter ſubalternatas Phyſicæ; corpus enim ſanabile, vel tranſmutabile, vel mobile per Artem, non eſt pars ſubjectiva corporis naturalis, ſed illi ſolùm addit differentiam accidentalem, quia cùm in his operationibus, quæ fiunt per artem, ut rectè docet Doctor Angelicus, Ars ſit miniſtra naturæ,

ræ, necessarium erit ex proprietatibus rerum naturalium, ex quarum virtute oriuntur artificiales illi effectus, artis auxilio deducere præcepta, & operationes ipsius artis tendentis in tale corpus tali differentiâ accidentali à Physicæ Objecto distinctum.

427 Neque rursus obest, quòd Physica per se explicet modum quo fit nix, fulmen, grando, cæteraqué Meteora, adeoq; hoc ipso videatur practica saltem secundum hanc sui partem. Nam non satis est ad hoc, ut cognitio aliqua practica sit, explicet modum, quo aliquid est factibile, sed opus insuper est, ut factibile illud, respectu talis cognoscentis factibile sit, & propterea supra num. 32. dixi, cognitionem de modo movendi corpora cœlestia, creandi mundum &c. non esse practicam, quia potentiam ad illum motum, & ad illam creationem, nos qui eam cognoscimus, non habemus; cùm igitur nec sit in potestate nostra causare nives, fulmina, grandinem, ideò, etsi modum quo fiant talia meteora cognoscamus, cognitio tamen talis practica non erit, sed tantùm speculativa.

428 Nevé quis replicet Physicam in animasticis agere de intellectionibus, volitionibus, cæterisqué operationibus sensitivis animæ, quæ omnes ab ipso Physico sunt operabiles, adeoqué juxta datam responsionem Physica saltem secundum partem animasticam practica erit. Nam contra est, quia Physica agit de intellectionibus, reliquisqué animæ operationibus, ut sunt actus vitales secundum eorum entitatem, non verò quatenus illi sunt hoc vel illo modo, in his, illisvé circumstantijs eliciendi; cùm Physicæ non sit dare modum, quo tales operationes fieri debeant, siquidem spectat ad Logicam, modum eliciendi operationes intellectûs præscribere: voluntatis ad Ethicam, oculi ad opticam, auris ad artem consoni & dissoni &c.

429 Nec obest demum quòd finis habitûs Physicæ sit opus intellectûs, cognitio nempe vera. Hoc enim si quid probaret, probaret etiam nullum dari habitum speculativum, siquidem nullus dabilis est, qui non habeat pro fine aliquem actum intellectualem, qui sine dubio est opus mentis. Adeoquè ut practicus sit, præter hoc, quòd habeat opus intellectuale pro fine, debet, ut dictum est, præscribere regulas, & præcepta de tali opere faciendo, ijsqué dirigere potentiam ad ejusdem operationem; quod cùm non præstet Physica respectu actûs, quo contemplatur veritatem, ideò practica nullo modo dici potest, tametsi etiam aliquæ ejus cognitiones dirigerentur ad praxim, hoc enim fieret non ex fine intrinseco ipsius scientiæ, sed ex fine extrinseco scientis, prorsusque per accidens.

Physicæ scientiæ Unitas.

430 UNA non est, sed multifariam diversa Authorum opinio circa Physicæ scientiæ unitatem: aliqui namquè Physicum habitum indivisibilem esse asserunt qualitatem, persuasi argumento desumpto ab anima rationali, quæ cùm una sit, eaquè indivisibilis in quolibet homine, diversissimarum tamen inter se operationum est productiva; quod idem dicendum de quolibet habitu totali scientifico opinantur. Verùm hæc illorum opinio minimè subsistit, siquidem lata est disparitas animam inter, & habitum; illa enim simul tota producitur, hic verò acquiritur successivè, & per actuum successivè elicitorum frequentationem, prout satis constat experientiâ: quivis enim ex Neo-Physicis experitur se ad Physicæ initium facilè discurrere de hujus scientiæ quidditate, qualitate, & objecto, difficillimè verò de principijs, & causis entis naturalis, & longè difficilius de hujus proprietatibus, de quibus sub finem Physicæ Auscultationis facilè discurret: quod est infallibile judicium, habitum Physicum successivè acquiri; quod autem successivè acquiritur, indivisibile quid unum non est, ut patet.

431 Alij arbitrantur habitum Physicæ unum esse unitate, seu unione continuationis, ita ut habitus præteritus continuetur cum præsenti, & paulò post acquirendo, non secùs quàm partes quantitatis, vel qualitatum gradus inter se tali unione continuativâ uniantur. Sed & hæc sententia non arridet, tum quia absquè necessitate multiplicare cogitur innumeras uniones; tum quia ex ea sequeretur compositio extensiva entis propriè spiritualis, qualis est intellectualis habitus: adeoquè à nobis rejicitur meritò.

432 ALij dicunt habitum Physicum esse unum unitate quâdam morali, & ordinis, nullatenus verò unitate Physicâ. Verùm quia hoc placitum necessariò inducit illam, quam vitare vult, Physicam unionem, ideò minimè placet; patet assumptum, quia talis unitas moralis, sicut reliqua omnia moralia, necessariò fundari deberet in aliqua unitate Physica, alioquin dici posset, quòd idem homo non esset unus, idemquè puer & senex Physicè, sed solùm moraliter; fluvius Mura successivè labens unus tantùm moraliter; sicquè successiva omnia una tantùm dici unitate morali non Physicâ; quod admittere haud dubiè repugnat communi sensui hominum, & fortè etiam rectæ rationi. Unde

433 Probabiliùs nobis videtur dicendum habitum

tum Physicæ unum esse unitate aggregationis; quod dictum nobis suadet diversitas partialium objectorum, quæ Physicus considerat: quorum quodvis suam habet peculiarem difficultatem in sui coguoscibilitate, adeoq; necessariò dari debent plures partiales habi- 436
tus coädjuvantes intellectum ad partiales has difficultates facilè superandas; quòd si verò hæ partiales facilitates non faciant aliquam aggregativam compositionem Physicam inter se, non apparet quo modo habitus totalis habere possit aliquam unitatem, cùm unitas ex parte subjecti reperiatur in omnibus habitibus intellectûs, & ejusdem potentijs, adeoq; sola hæc unitas Physicæ aggregationis attribui debet totali habitui Physicæ.

434 Nec obest, quòd habitus virtutum tam moralium, quàm supernaturalium non habeant hujusmodi unitatem aggregationis: nam si loquamur de habitibus virtutum acquisitarum, eodem modo dicimus illos eandē habere unitatem aggregationis, cùm successivè per frequentatos actus acquirantur. Quales verò sint habitus à DEO gratiosè infusi, 437
ne falcem Philosophicam in Theologicam messem temerè immittamus, decidendum Theologis relinquimus. Nequè ex ijs paritas ad naturales, & acquisitos fieri potest; tum quia illi ab his toto genere differunt, adeoq; nullum à pari argumentum urgens inde potest desumi, ut ipsis Rhetoricæ studiosis est manifestum, scientibus paria illa tantùm esse, quæ sub eodem genere continentur: tum quia acquisiti successivè, infusi simultaneè acquiruntur: tum demum quia nullus effectus esse potest suâ causâ perfectior; esset autem habitus actibus, à quibus producitur perfectior, si indivisibile quid esset

Physicæ scientiæ Objectum Materiale.

435 HOC esse omne Ens reale naturale in suppositione distributiva sumptum, quatenus per formale est proximè determinabile, & adæquabile Physicæ considerationi, præter authoritatem Peripatheticam, nobis probat ratio, quâ constat, quòd omnis entis realis naturalis distributivè sumpti principia, proprietates, & passiones considerentur à Physicâ; quidquid enim ab hac considerabitur, vel est materia, & forma, quæ sunt intrinseca principia connaturaliter Entis naturalis: vel sunt causæ efficientes, & finales, ad quas revocantur etiam Intelligentiæ, & primus Mo- 438
tor; vel sunt corpora, seu quæ dicuntur simplicia, ut Elementa; vel mixta, ut animata, & inanima, quæ sunt partes subjectivæ Entis naturalis; vel sunt accidentia, ut quantitas, motus, locus, tempus, aliaquè, quæ proprietates ejusdem sunt, utpote necessariò consequentes illud: adeoq; cùm hæc omnia sint considerationis Physicæ, quatenus hæc versatur circa Ens naturale; meritò illud assignatur universim pro ipsius objecto materiali.

Neq; obest, quòd sic sumptum Ens naturale videatur excedere latitudinem Physicæ considerationis, cùm complectatur etiam Intelligentias, & substantias à materia separatas. Nam & hæ in suo ordine sunt entia realia naturalia, & principium motûs tum localis, tum alterativi per receptionem accidentium in se, & tamen juxta communem, non spectant ad considerationem Physicam. Contra enim est, quia cum probabilissima sententia Recentiorum Theologorum sentio, substantiam spiritualem esse alicujus diffusionis localis capacem; nam si ex aliquo capite hæc illi repugnaret, maximè esset ob indivisibilitatem ejusdem; at ex hac peti nequit, quia constat animam nostram indivisibilem esse, & nihilominùs talis localis diffusionis capacem, ac per se principium.

Accedit, quòd eadem spiritualis substantia sit capax motûs merè passivi ab extrinseco, sicut & quietis involuntariæ in se productæ, à perfectiori v. g. Angelo. Cùm enim hic possit præsentiam localem in extrinseco corpore, eamquè corporalem producere, magis videtur proportionatum, ut producat aliam in spiritu sibi magis simili: Superioritas enim in natura videtur adferre aliquam potestatem in inferiores, non moralem tantùm, quia hæc in natura non fundatur, ergò Physicam, quæ intelligi non potest absquè vi coäctiva, & coërcitiva, quâ reluctans prematur: hujus autem potestatis pars infima est loco motiva, major verò afflictiva: Sic Necromantici, qui dæmones potentiores habent, aliorum machinationes evertunt; Physicè nimirum uno Dæmone alterum coërcente: Sic Dæmones animas damnatorum haud dubiè invitos ad Tartara asportant. &c. Adeoquè intelligentiæ, & substantiæ spirituales re ipsâ capaces sunt motûs, & quietis Physicæ in se, & consequenter sub hac ratione continentur intra objectum Physicæ per se. DEUS verò, ut primus motor, primaquè Causa rerum naturalium, reductivè solùm ad genus causæ Physicæ efficientis spectat; quo etiam in sensu dici possunt Angeli ad illam spectare, quatenus corporum cœlestium sunt motores.

Nequè quis replicet Angelorum motus non posse esse sensibiles, quod tamen requiritur, ut aliquid spectet directè ad objectum Physicæ, uti constat ex Aristotele. Nam inprimis ajo, ly sensibile non reperiri in textibus Aristotelicis græcè exaratis, adeoquè ad ma-

majorem tantùm explicationem à quibusdam ejus Latinis interpretibus fuisse superadditam. Deinde datô non concessô, quòd etiam in ipso Aristotele reperiretur ly sensibile, tamen adhuc Angeli, & anima principium sunt talis motûs, uti patet in obsessis & assumptis corporibus; in motu item siderum, imò & in eo, quòd juxta doctrinam sapientissimi cujusdam Neötherici Professoris Theologi, Angeli possint, & ad se invicem, & hominibus etiam, loqui per signa materialia, adeoquè Physicè sensibilia, à se producta, quo in casu nemo negaverit Angelos non esse principium motûs sensibilis, adeoq; propriè, & per se spectare ad objectum materiale Physicæ.

Physicæ objectum Formale.

439 NON ineptè, hoc esse ipsum naturale ut naturale quis asseveraverit, si respexerit vel communem Recentiorum consensum, vel rationem, quâ id sat evidenter ostenditur: nam sub hac ratione formali omnia de quibus Physica agit, ab ea considerantur; cùm enim idem ens à Metaphysica, Mathematica, & Physica consideretur, necessariò assignari debet ratio aliqua formalis, sub quâ sit merè considerationis Physicæ; hæc autem alia esse nequit, quàm naturalitas, seu, quod idem est, naturale, quâ naturale: nam hæc ratio ita restringit, & adæquat objectum materiale Physicæ considerationi, ut sub ea ad nullam aliam scientiam extendi valeat; quod præstare nequit alia ulla formalitas, nisi de medio tollere velimus ipsam essentiam scientiæ Physicæ, ac dicere, quòd ea esset scientia solùm de accidentibus.

440 Nec obest placito nostro, quòd naturale, qnà naturale non significet expressè, & formaliter formalem rationem, sub qua considerantur omnia, quæ spectant ad scientiam Physicam; cùm expressè, & formaliter significet solùm habens naturam; quod licèt re ipsâ sit idem, ac habens principium motûs & quietis, formaliter tamen per illud hoc non exprimitur. Verùm hæc objectio facilè solvitur, si advertatur, quòd ea potius sit Grammaticalis, quàm Philosophica; nequè enim Philosophis opus est, ut objectum formale exprimat omnes passiones, sed sufficit, si eas sub aliquo communi nomine significet, quamvis implicitè, & confusè, alioquin plura objecta formalia assignanda forent in quavis scientia.

441 Porrò cùm ratio cognoscendi duplex sit, una quæ est medium, quâ intellectus ducitur ad alia per illationem cognoscenda; alia quæ est tanquam forma constituens objectum, ita ut materiale nequeat à tali scientia, nisi sub hac ratione, attingi, idcircò motus, seu mobilitas dici quidem poterit ratio cognoscendi per illationem omnia de quibus agitur in Physica, non tamen esse ratio restringens, & adæquans materiale Physicæ considerationi. Imò cùm considerentur in Physica plurima, quatenus sunt principium quietis; vel hoc ipso ex capite nequit mobilitas dici objectum formale Physicæ, cùm per illam cognosci nequeat objectum materiale, ut quiescibile.

Physicæ objectum adæquatum.

442 EX Materiali, & Formali jam assignatis objectis consurgens, facilè constat quodnam sit totale, & adæquatum Physicæ scientiæ objectum, nempe Ens reale naturale quâ naturale. Cujus ratio potissima est, quòd cùm scientia Physica speculativa sit, ejus objectum adæquatum esse debeat illud, ad cujus notitiam consequendam omnia quæ in illa tractantur ultimò reducuntur; cùm igitur ad perfectam cognitionem Entis naturalis quâ naturalis omnia, quæ tractantur in Physica reducantur ultimò, ut patet inductione, consequenter illius totale, & adæquatum objectum erit jam assignatum, prout comprehendit Ens reale Naturale quâ tale, spirituale scilicet & Materiale, Corruptibile & Incorruptibile, simplex, ac Mixtum, Animatum & Inanime &c.

443 Cur autem potiùs sub ratione Entis naturalis quâ talis, quàm sub ratione substantiæ vel corporis à nobis assignetur hoc objectum adæquatum Physicæ; Ratio potior est, quia formaliter & Metaphysicè loquendo (nam in sensu Physico & reali idem hæ omnes formalitates sunt) non est per se notum primò, quòd omne quod movetur sit corpus; antiqui enim Philosophi, quos non pauci, nec indocti Recentiores sequuntur, docebant atomos sensibiliter moveri, & tamen negabant esse corpora, eò quòd indivisibilia essent. Quare cùm objectum scientiæ tale esse debeat ut de eo dubitari nequeat, eò quòd ipsi conveniat communissima passio, quæ esse solet regula & mensura talis objecti, & hæc communissima passio Physici objecti sit motus, ut unanimiter omnes concedunt, qui convertibilis non est cum corpore, ut ex jam dictis constat, & magis patet inde, quòd non videatur saltem repugnare, ut aliquid quod corpus non est, mobile tamen sit, vel è contra quod corpus est ex principijs suis intrinsecis, immobile tamen sit, prout multi defacto existimant esse Empyreum Cœlum; consequens est ut sub alia formali ratione quàm corporis objectum adæquatum Physicæ assignari debeat.

444 Accedit, tum quòd nomine corporis communiter intelligatur id, quod eſt extenſum, & quantum; audito enim nomine corporis, nemo eſt qui non intelligat aliquid habens magnitudinem, & molem quantitativam; quin ipſe Ariſtoteles lib. 1. de Cœlis explicat corpus per eſſe diviſibile; & Theologi communiter ex eo probant DEUM non eſſe corporeum, quia nec quantus eſt, nec trinæ dimenſionis capax: tum etiam, quia aſſignando objectum adæquatum Phyſicæ ſub ratione corporis ab eo excluditur nobiliſſima pars ejuſdem objecti, quales ſunt Angeli, & animæ rationales, quæ ſub ratione corporis nec formaliter, nec reductivè, niſi coactiſſimè, comprehendi poſſunt.

445 Neq; quis dicat ſe aſſignare pro objecto Phyſicæ corpus, quatenus eſt ſubſtantia naturalis compoſita ex materia & forma. Nam contra eſt, quia imprimis peto ab ipſo, cur potiùs non aſſignet in terminis formalibus ipſam talem ſubſtantiam? deinde talis inſtantia non facit ad ſtatum quæſtionis de qua agimus: quærimus enim ſub qua formalitate melius aſſignetur objectum Phyſicæ? dum ergo dicitur ſub formalitate corporis quatenus eſt ſubſtantia naturalis compoſita; non reſpondetur ad rhombum, cùm formalitas corporis, non ſit formalitas ſubſtantiæ naturalis compoſitæ. Imò cùm ſubſtantia etiam materialis ſimplex non implicet, ut infrà dicemus, & qualem eſſe de facto multi exiſtimant ſubſtantiam cœleſtem, quæ ſine dubio ſenſibilis motûs eſſet capax, clarum evadit, quòd nec ſub formalitate corporis, nec ſubſtantiæ naturalis compoſitæ, ſed aptiùs ſub formalitate entis naturalis quâ naturalis objectum Phyſicæ aſſignetur.

Phyſici objecti ſeu Naturalis entis diviſio.

446 ENS reale naturale, quod dari in natura adeo certum eſt, ut non niſi injurius in naturam, imò in ſeipſum negare poſſit, ut infrà ſuo loco, in particulari magis oſtendetur, prout contradiſtinctum eſt ab artificiali, & ſupernaturali, dividitur, receptà jam à Philoſophis diviſione, in ſpirituale, & Materiale, ſeu Corporeum. Cujus ſufficientia, contra quoſdam Recentiores, patet, tum Authoritate Sacri Concilij Lateranenſis capitulo firmiter de Summa Trinit: ubi omne ens à DEO conditum in duas oppoſitas claſſes diſtribuit, in Spirituale ſcilicet & Corporeum: tum etiam quia per Neöthericos illos Materia prima, quam dari & ipſi non negant, hoc ipſo, quòd perceptibilis ſenſu non ſit immediatè, partim materialis eſſet, partim ſpiritualis, & viciſſim, anima rationalis partim ſpiritualis, partim materialis foret. Sequela ex ipſorum principijs ſequitur evidenter quoad utramque partem; illi namq; docent, ad hoc, ut aliquod ens ſit purè materiale, præter cæteras conditiones requirere, ut in ſe ſit ſenſibus perceptibile; quale quid non eſſe materiam conſtat ex communi Peripatheticorum contra Chymicos contrarium aſſerentes.

447 Præterea ut incorruptibile ſit, & ingenerabile, quod convenire primæ materiæ nemo eſt, qui ignoret; inſuper ut independens ſit, ab alio corpore in genere cauſæ materialis, quod principaliſſimè eidem materiæ competit. Quia verò & habet alias conditiones ad ens materiale ab ipſis requiſitas, nimirum eſſe principium corruptionis ſubſtantialis; eſſe carens ratione, & libero arbitrio; eſſequé integraliter extenſum, ac diviſibile; Sequitur manifeſtè materiam primam partim eſſe quid materiale, partim ſpirituale eſſentialiter, quod inauditum eſt hactenus in Philoſophia.

448 Altera pars ſequelæ etiam ex ijſdem eorum principijs oſtenditur; nam illud per illos non eſt ens ſpirituale, cui convenit aliqua conditio entis materialis è ſex ſuprà enumeratis; aliquas autem ex illis convenire animæ rationali conſtat inde, quia ipſi convenit eſſe principium operationum ſenſitivarum, & vegetativarum, verè materialium, in corpore, quod informat, cùm ipſæ nullatenus ſint operationes intellectûs & voluntatis, uti Recentior quiſpiam in manuſcriptis ſuis exiſtimat: competit præterea rationali animæ eſſe ſubjectum accidentium corruptibilium, imò, quæ in ipſa formaliter corrumpuntur, quales ſunt ſpecies intentionales, & actus intellectivæ memoriæ, imò ipſius intellectûs & voluntatis: hæ autem ſunt conditiones, & proprietates entis materialis, juxta eorundem Neötericorum ſententiam, ergo benè ex illa ſequitur animam rationalem partim ſpiritualem, partim materialem eſſe; quam abſurdam, & eroneam ſequelam, ne admittamus, fateri neceſſariò debemus, adæquatè dividi ens omne naturale in ſpirituale & Materiale, nullumq; realiter dari defacto, vel etiam dabile juxta præſentem rerum ordinem, aliud membrum ejuſdem dividens.

Phyſici Entis ſpiritualis Quidditas.

449 VT magis pateat eſſentia entis materialis, juxta Ariſtotelicum illud: contraria juxta ſe poſita eluceſcunt magis; paucis hic eſſentiam, ſeu quidditatem entis naturalis ponimus, acturi deinde fuſiùs de eodem ſuo loco, & tempore. Dicimus proinde entis ſpiritualis naturalis eſſentiam in eo adæquatè con-

consistere; quòd sit Ens finitum, per se stans, facultate intellectivâ & volitivâ, ac loco motivâ circumscriptum præcisè, atq; per hoc simplex, indivisibile, partiumq; tam essentialium, quàm integrantium expers.

450 Cujus definitionis quidditativæ, ratio est; tum quia naturaliter novimus DEI essentiam constitui, formaliter in simplici substantiâ intellectuali infinitâ consistere, uti suppono cum comuni Theologorum in Iª D. Thom: parte, ergo etiam creata natura spiritualis consistet in eo, quòd sit tale Ens per se, finitum, limitatum, partibus carens, adeoq; simplex, & indivisibile, potens intelligere, velle, ac se, aliaq; movere, quibus generalibus prædicatis tota ejus essentia constituatur: Neq; aliter una talis creatura spiritualis ab aliâ distinguetur, quàm penes ipsum posse intelligere, velle, & movere varijs differentijs contractum. Hæc consequentia eluceſcit inde, quòd omnipotentiæ Divinæ naturali lumine nobis notæ objectum aliud nec est, nec esse potest, quàm ratio aliqua in DEO reperta affecta finitate & limitatione, ut certâ indu- 453
ctione patet, per res omnes creatas factâ; adeoqué cùm hæc ratio essentialis ens per se stans, finitum, & limitatum, simplex, ac indivisibile, potens intelligere, velle & se aliaqué movere, maneat omnipotentiæ Divinæ objectum merè positivum, nullamq; includat repugnantiam, optimè constituetur pro essentiali & quidditativo conceptu entis naturalis spiritualis creati.

451 Quod ipsum elucidatur magis intellectuali experientiâ, quâ docemur, quòd si per actus reflexos in illo separemus omnia, quæ ad operationes intellectuales, volitivas, & motivas conducunt, deprehendimus aliud non manere, quàm actuale principium materialibus organis non egens (etsi aliunde ijs ad alia uti possit) intelligendi, volendi, locoq; se & alia movendi. Quæ omnia constabunt magis ex essentiali conceptu Entis materialis naturalis 454
mox statuendo: & ex ijs quæ infrà dicemus de essentia animæ rationalis & intelligentiarum. Interea, ut ad aliud membrum datæ divisionis, de quo potissimum Physica agit, deveniamus, dicimus quòd

Physici entis materialis Quidditas, & Essentia.

452 ESsentialiter consistat in hoc, quòd sit Ens per se stans, partibus simul existentibus extra se invicem positis constans, ac per hoc divisibile, & juxta naturalem suam exigentiam naturaliter diffusum, atq; extensum per positionem partium extra partes. In quo signanter est additum, ly naturaliter, ad hoc, ut abstrahamus ab ijs quæ de potentiâ absolutâ fiunt, fieriq; possunt. Cujus quidditatis sufficientiæ, ut omittam tam sacram, quàm Philosophicam Authoritatem, Ratio est, quia omnia entia materialia, quæ defacto existunt, & ex quorum notitia, ac experientia in cognitionem, & notitiam entis materialis devenimus, ita comparata esse videmus, ut integraliter divisibilia, & formaliter extensa sint; omnes enim Sapientes auditâ notione nominis entis materialis in genericâ suâ ratione concipiunt ens per se stans, extensum, & partibus constans: in eo siquidem nôrunt debere consistere essentiam entis materialis, quod est principium realium proprietatum, & passionum, quæ eidem conveniunt, quale principium esse debet id, quod naturaliter divisibile est, & per positionem partium extra partes diffusum, & extensum. Quod patet ex ipsis proprietatibus tali enti convenientibus, quæ sunt impenetrabilitas, mobilitas, & sensibilitas, quæq; connaturaliter exigunt provenire ex principio extenso, & diffuso.

453 Id ostenditur inductione, quia partes naturâ suâ extensæ, & extra se invicem positæ naturaliter necessariò secum trahunt impenetrabilitatem; naturalis enim extrapositio infert mutuam partium extra se positarum penetrationem non esse naturalem; cùm nulla sit determinatio in partibus, ex quibus constat, vi cujus una alteram ingrediatur, & penetret potiùs, quàm hæc illam; cùm enim pars quævis suas etiam partes habeat, si diceretur, quòd pars A ingenti aliquâ vi pressa posset ingredi, & penetrare partem B, deberet etiam dici, quòd pars ipsius A, aliam A ejusdem partē ingressa esset, quod tamen dici non potest, cùm sit contra rationem, & experientiam, adeoq; dici debet, quòd nulla aliam ingredi, & penetrare possit, ac consequenter quælibet à qualibet sit impenetrabilis virtute corporeâ, & materiali.

454 Ostenditur deinde id ipsum quoad mobilitatem necessariò provenientem ab ipso ente materiali, quia hoc indifferens est, ut terminis suis contiguum fiat alijs, & alijs entibus materialibus itidem terminatis; quod cùm continuâ successione fieri debeat; per consequens necesse est, ut moveatur sitq; principium suæ mobilitatis.

455 Ostenditur etiam quoad sensibilitatem ipsam: tale enim Ens materiale varijs modis fit sensibile: imprimis namquè palpabile est, seu tangibile, cùm instructum sit suis qualitatibus tangibilibus; in quod si animal aliquod impingat, hoc afficietur illius allapsu, aut pressione aliquâ, idquè diversimodè, prout pressio varia erit. Deinde est visibile, quia

lumen

lumen ad illud varijs modis reflecti & refringi poteſt, adeoq; lumine ſic affectum & imbutum ſub qualibet colorum differentia percipi. Idem quoq; eſt audibile cùm ſonorum ſit, adeoq; motæ ejus partes certâ concuſſione tremorem in aëre cauſabunt, qui tympanum, ſeu organum auditûs feriet; ſive id deinde ad auditionem ſufficiat, ſive ſonus ſit qualitas aliqua ſuperaddita, de quo ſuo loco dicemus. Cùm igitur oſtenſum maneat has omnes proprietates provenire neceſſariò ex ente materiali, optimè concludimus illius quidditativam eſſentiam conſiſtere in conceptu jam aſſignato.

456 Nec obeſt 1° quòd nullus quidditativus conceptus eſſentialiter poſſit conſiſtere, aut conſtitui, per effectus ſuarum proprietatum, uti huic accidit, cùm extenſio, & diviſibilitas partium ſint effectus quidam quantitatis. Nam alia eſt extenſio, ſeu diviſibilitas partium entitativa, alia ſitualis, & in ordine ad locum; hæc effectus quidam quantitatis, & per hunc non conſtituitur, nec conſtitui poteſt Ens materiale; ſecùs per illam; ens enim materiale ſubſtantiale prius naturâ habet eſſe, quàm recipiat in ſe quantitatem, adeoq; prius naturâ intelligi debet, ut habens totam ſuam entitatem, in qua recipiat totam quantitatem, ita ut pars quælibet entitativa correſpondeat paſſivè cuilibet parti quantitativæ recipiendæ; adeoq; hanc paſſivam entitativam partium diſtinctionem habere nequit ab ipſa quantitate, & conſequenter nec entitativam diviſibilitatem, & extenſionem.

457 Neq; obeſt 2° quòd ſi quantitas non conferret effectum formalem extenſi, & diviſibilis enti materiali, illa ſuperflua foret: nam quantitatis effectus, quem tribuit illa Enti materiali eſt, ut illud ſit aptum habere extenſionem, & diviſibilitatem, non entitativam, ſed quantitativam in ordine ad locum, ita, ut ex natura talis accidentis, quod in ſe recipit, ut proprietatem ſuam fiat ens materiale formaliter aptum ad occupandum diviſibilem locum diviſibiliter, ut amplius ſuo loco dicetur.

458 Neq; obeſt 3° quòd eſſe extenſum, & diviſibile ſecundum partes extra partes eodem tempore poſſit etiam convenire Enti ſpirituali: Nam non repugnat in hoc Auditorio ſic diſpoſitas eſſe centum animas, vel Angelos, quorum quilibet aliam partem ſpacij occupet, ita ut ſpatium occupatum ab uno, ſit immediatè contiguum ſpatio occupato ab altero: vel etiam, non implicat eundem numero Angelum, ita in hoc Auditorio collocari, ut unâ parte ſuæ ubicationis occcupet unam partem ſpatij, aliâ aliam, per quam ubicationem haud dubiè extenſivè locum occuparet Angelus. Sed contrà eſt, quia licèt ſupernaturaliter, & miraculosè poſſet convenire diviſibilitas extenſiva ſecundum partes extra partes eodem tempore rei ſpirituali; non tamen id conveniret illi ſecundum intrinſecam ejus exigentiam, ſed potiùs præter, imò contra illam, ab aliquo valentiori agente ipſi inferente violentiam: in quo tamen caſu, adhuc diviſibilitas extenſiva propria entis materialis Angelo non conveniret; illa namq; talis eſt, ut quælibet pars ſit etiam ſecundum partes incluſas diviſibilis extenſivè; quod non reperiretur in data hypotheſi, cùm tunc ſe res haberet non aliter, quàm aggregatum quoddã v. g. ex centum Angelis, cujus ſingulæ partes, ſeu Angeli denuo ſeparari ab invicem poſſent.

459 Unde (& eſt Reſponſio ad aliam à non implicantia inſtantiam) etſi Angelus ſucceſſivè poſſit occupare majus, majuſq; ſpatium, id tamen non facit per ubicationem aliquam includentem partes, ſed per plures ubicationes, quarum una alteram non includeret, non ſecùs quàm ubicatio, quâ defacto rationalis anima informans corpus affigitur pedi, non includatur in ubicatione illa, quâ affigitur capiti: unde ex his ubicationibus, non conſurgit aliquod totum indiviſibile, ſed aggregatum quoddam ex partibus certis, ac determinatis, non ſecùs, quàm ſuprà ex pluribus partialibus habitibus conſurgere unum totalem diximus. Quod verum eſt, etiam datô pro nunc, non conceſsô, hujuſmodi ubicationes eſſent purè ſpirituales, tunc enim reſpectu illarum, intenſiva, ſeu diſcreta ſolùm, quæ enti ſpirituali, ut ſic, non repugnat diviſibilitas; non verò extenſiva & continuativa Enti tantum materiali propria, reperiretur.

460 Nec demum obſtat, quòd defacto calor, vel frigus, vel aliæ qualitates materiales intenſionis capaces, dum intenduntur non exigant extendi, imò potius è contra petant connaturaliter eſſe in eadem parte, ſeu jam poſitivè, ſeu negativè indiviſibili, ſubjecti, cùm omne, quod eſt, connaturaliter poſtulet ſui conſervationem. Sed quia ad hanc inſtantiam multiplex patet reſponſio, juxta diverſitatem ſententiarum, quæ in quæſtione de intenſione qualitatum explicantur, ideo hic illa parum faceſſit negotij; juxta tamen communem, quam & nos ſequemur opinionem, dicimus, quòd licèt qualitas intenſibilis ſecundum gradus ejus, qui ſunt in eadem parte ſubjecti non exigat determinatè extendi, exigat tamen indeterminatè, & ſub disjunctione, vel ſcilicet ſecundum has, vel ſecundum illas; Cujus exigentiæ ratio patet à paritate aliorum entium habentium talem indeterminatam, & disjunctivè acceptam exigentiam: ſic materia pri-

prima exigit habere formas indeterminatè, & disjunctivè acceptas. Sic anima rationalis exigit actionem creativam non hanc determinatam, verùm hanc vel illam indeterminatè: Sic similiter qualitates materiales intensibiles hoc ipso, quòd materiales sint, exigent saltem indeterminatè vel hanc, vel illam extensionem.

Physici Entis Materialis compositio Integralis.

461 SUpponendo cum communi, & certissima Physicorum sententia, duplicem dari in Physicis substantialem compositionem, unam scilicet ex partibus integrantibus, alteram verò ex partibus constitutivis intrinsecis, & essentialibus. Dicimus sensibili experientiâ notum certumq; esse ens omne naturale materiale, quod in mundo hoc visibili reperitur integraliter, & continuè esse compositum. Cujus asserti ratio patet universalissimâ inductione, quâ constat, nullum prorsus esse assignabile, saltem defacto, in natura quod non possit in partes dissecari, ac dividi.

462 Quod verum esse censemus non solùm de sublunaribus, sed etiam de superlunaribus corporibus, quæ circa nos moventur: imperceptibile siquidem est, quo pacto una eorum pars continua succederet alteri per motum spiraliter circularem, nisi partibus integrantibus constare dicantur.

463 Nec obest quòd non videatur assignabilis implicantia ratione cujus nequeat dici possibile esse ens materiale integraliter simplex, præsertim cùm paulò post dicturi simus possibile fore Ens materiale essentialiter simplex; quod si illud admittatur, non videtur esse ratio, quare defacto inter multitudinem entium materialium aliquod non reperiatur simplex integraliter, siquidem indivisibilia, etiam à non paucis, quantitativa admittantur, quod si verè; debet esse ex parte Subjecti passivum aliud indivisibile receptivum, talis indivisibilis quanti, quod receptivum aliud non esset, quàm ens materiale substantiale indivisibile. Sed contrà est, quia constat ex dato suprà conceptu quidditativo materialis Entis, in cujus notitiam devenimus à posteriori, quòd Ens omne materiale essentialiter exigat extensum esse, & divisibile in partes extra partes: neq; in hoc petimus principium, ut quidam obtrudunt, inprimis enim iucumbit Adversarijs probare non implicantiam, seu, quod idem in terminis est, possibilitatem talis Entis materialis integraliter indivisibilis; quam possibilitatem nos negamus, fundati in dato conceptu entis materialis, in quo non petimus principium, quia possemus & nos eodem, quo illi jure assumere, & dicere non implicat homo irrationalis; quam non implicantiam negant illi, & meritò; quòd si petamus ab illis implicantiam, aliam nec dant, nec dare possunt, quàm quòd conceptus irrationalis destruat hominis essentiam, quam consistere essentialiter in animali rationali, à posteriori colligimus. Adeoq; sicuti illi absq; petitione principij putant se sufficientem objectæ instantiæ dare implicantiam, ita & nos pari ratione eandem assignamus; quia non minùs de essentia entis materialis est extensio, & divisibilitas, quam impossibile est haberi absq; compositione integrali; quàm sit de essentia hominis esse animal rationale. Ad id quod addebatur de indivisibilibus quantitativis, supponimus, quod infrà suo loco ostendemus, nec dari, nec ulla esse dabilia.

464 Neq; obstat rursus, quòd, si ens materiale naturale necessariò constaret partibus integrantibus, illud non unum per se, sed unum per accidens esset; siquidem compositio per se ablatâ quâcunq; parte, eadem non manet, ablatâ autem quacunq; parte integrante, adhuc manet eadem compositio. Sed contrà, quia inprimis ablato corde, vel capite homini, manetne idem humanum compositum? Deinde quia partes singulæ integrantes varijs usibus compositi subserviunt, ad quos usus modo plus materiæ, modo minus requiritur; hinc fit quòd partes istæ necessariò requisitæ ad usus compositi uniantur inter se unitate quâdam essentialis integrationis, non secùs quàm partes aquæ fluminis Muræ constituant per se fluvium illum in esse fluvij integraliter.

Physici Entis Materialis compositio Essentialis.

465 OMne Ens naturale materiale defacto compositum esse ex partibus essentialibus Physicis realiter distinctis, præter authoritatem communem *Peripatheticorum* suadet nobis ratio fundata in experientia eorum, quæ videmus fieri in entibus naturalibus corporeis; Sic in homine sunt accidentia materialia æquè, ac in alijs entibus materialibus, adeoq; includi in eo debet ens aliquod materiale substantiale, quod subjectum sit talium accidentium; experientiâ insuper constat in eodem homine dari alia accidentia, nimirum operationes, & actus intelligẽdi, volendi, &c. quæ oriri nequeunt ex principio materiali, cùm alioquin, & alia materialia entia prædita forent ijsdem: adeoq; oriri debent ex alio principio substantiali, & per consequens concedi debet ens naturale humanum, compositum esse essentialiter ex duabus partibus substantialibus.

466 Quod ipſum dici debere de alijs etiam materialibus entibus ſubſtantialibus oſtenditur inde, quia illa duo principia ſubſtantialia ſubſtantialiter uniuntur in homine ad componendam integram unam ſubſtantialem naturam, adeoq; pars materialis ſubſtantialis, quæ eſt in homine, eſt eſſentialiter incompleta; cùm igitur hæc pars materialis ſit ejuſdem rationis cum parte materiali ſubſtantiali aliorum entium naturalium, imò ſæpe ſucceſſivè eadem numero quæ eſt ſub forma hominis, poteſt, imò debet neceſſariò deſtructo hominis compoſito, eſſe ſub alia ſubſtantiali forma, neq; enim poteſt materia eſſe connaturaliter abſq; forma ſubſtantiali, ut infrà patebit; in alijs ergo entibus materialibus principium materiale debet etiam habere aliquam formam ſubſtantialem, cum qua unum ens naturale ſubſtantiale completum conſtituat.

467 Ex quibus ritè concludimus, omne ens naturale materiale eſſe compoſitum eſſentialiter defacto ex partibus Phyſicis eſſentialibus realiter diſtinctis; uti manifeſtè apparet in ſeparatione unius partis ab altera, cùm nulla ſit forma ſubſtantialis disjunctivè accepta, ſine qua non poſſit exiſtere materia entium naturalium, prout ex ipſa ſerie generationum & corruptionum naturalium evidenter colligitur.

468 Neq; obſtat quòd omne quod fit ex aliquo præſuppoſito ſubjecto, illiq; inhæret, ſit forma accidentalis ejuſdem. Nam verum eſt, quòd omne quod fit ex præſuppoſito ſubjecto, illiq; inhæret, ut ſubjecto tantum inhæſionis, ſit forma accidentalis; falſum tamen eſt, quòd id quod fit ex tali ſubjecto, illiq; inhæret, non ut ſubjecto inhæſionis, ſed ut ſubjecto informationis, ſit quid accidentale: forma enim ſubſtantialis materialis fit, & eſt in materia, ut pars intrinſeca, & eſſentialis totius compoſiti per ſe ſubſiſtentis, ſive jam ſit immediatum principium ſubſiſtendi, ſive non, de quo alibi; at accidentalis forma, non eſt in ſubjecto tanquam pars intrinſeca compoſiti, vel totius ſubſtantialis, cùm non pertineat ullo modo, nec pertinere poſſit, ad intrinſecam, & eſſentialem conſtitutionem ſubſtantiæ.

469 Nec obſtat rurſus, quòd materia videatur ſe habere velut vehiculum, & ſuſtentaculum quoddam formæ, quæ eſt tota quidditas entis materialis, juxta Ariſtotelicum illud: forma eſt, quod quid erat eſſe rei: cui authoritati adſtipulatur ratio; tum quia entia materialia diſtinguuntur ab invicem, non per materiam, ſed per ſolas ſuas formas; tum quia ſi materia eſſet pars conſtitutiva entis materialis, etiam pars materiæ eſſet pars eſſentialis ejuſdem, adeoquè pars integralis v. g. pes, vel digitus eſſet pars conſtitutiva, quod falſum eſt, quia alioquin canis tripes non haberet totam canis eſſentiam, & conſequenter canis non eſſet. Tum demum, quia ſi materia in communi eſſet de eſſentia entis materialis in communi, etiam in ſpecie de eſſentia talis entis, eſſet talis ſpecifica materia, & in individuo eſſet hæc individua materia; quod dici non poſſe patet inde, quia variatâ totâ materiâ, per continuam nutritionem ſemper manet idem numero homo; & in reſurrectione mortuorum, quamvis animæ non dabitur eadem numero materia, quam ante habuit, erit tamen idem numero homo.

470 Ad hanc multiplicem objectionem non difficilis eſt, ut primo intuitu apparet, reſponſio; Ad authoritatem enim Ariſtotelis dicimus aliud nihil illâ probari, quàm quòd forma ſit ratio, & ultimum determinativum conſtituens Phyſicam rei eſſentiam, non ſecùs quàm in compoſitis Metaphyſicis differentia eſt pars determinativa, & contractiva generis ad talem ſpeciem.

471 Ad rationem primam dicimus falſum eſſe, quòd in omnibus materialibus eadem Phyſicè ſit materia; nequé enim hac in parte confundi debet modus loquendi Metaphyſicus, cum Phyſico, & reali ſenſu, uti perperam Adverſarij faciunt; ſiquidem Metaphyſicè loquendo non eſt inconveniens, imò eſt neceſſarium, ut variæ eſſentiæ ſpecie differentes in fundamento materiali, ſeu in ratione generica conveniant; cùm igitur ſpecies, & genera, prout à nobis concipiuntur, Phyſicè non ſint, conſequenter, ut dixi, perperam, ab uno ſenſu ad alterum, fit tranſitus. Adeoq; Phyſicè, & realiter loquendo tam per ſuam formam equus v. g. & leo diſtinguuntur ab invicem, cùm nihil commune habeant realiter, & independenter à noſtris conceptibus.

472 Ad 2^m^ rationem pariter dicimus, non omnes partes materiæ eſſe eſſentiales, quia non omnes ſunt neceſſariæ collectivè acceptæ, ut forma poſſit complere, & conſtituere cum materia unum compoſitum, adeoqué materia disjunctivè ſumpta eſt ad hoc eſſentialiter requiſita, diciturqué pars eſſentialis, alia verò dicitur eſſe tantùm de integritate, & complemento rei: ſic tripes canis eſſentialiter canis eſt, licèt ob quarti pedis defectum ſit integraliter mancus.

473 Ad ultimam ſimiliter reſpondemus, ſubſtantiam materialem, ut ſit, & dicatur Phyſicè eadem numero, requirere non ſolùm eandem numero formam, ſed etiam eandem numero materiam diſtributivè, ut dixi, acceptam, ajoqué fore hanc unitatem tantò perfectiorem in tota ſubſtantia completa,

quan-

quantò ea perfectior fuerit in utroque principio tam materiali, quàm formali, cùm unitas totius ex unitate partium consurgat. Et quia eadem est Physica proportio rei singularis ad sua principia singularia, quæ logicæ rei specificæ ad sua principia communia, ideo sicut species in communi principia habet determinata in specie, ita singularis res Physicè habere debet propria principia in individuo, & in particulari. Ex quo rectè Theologi in Tertiam Partem, docent ad unitatem resurrectionis ejusdem hominis spectare, ut ejus anima eidem numero corpori, seu materiæ, saltem primigeniæ, rursus uniatur. De quo pluribus infrà: Interea examinare placet, An

Physicum aliquod ens materiale essentialiter simplex sit possibile?

474 IN quâ quæstione sequimur partem affirmãtem, quam probabiliorem esse suadet ratio illa; quòd sicut in tota latitudine entis spiritualis datur defacto substantia spiritualis completa, & incompleta, ita videtur probabile posse etiam in tota latitudine entis materialis dari aliquod essentialiter completum, simplex tamen, sicut defacto datur aliquod incompletum formâ substantiali indigens ad sui completionem. Quæ enim potest esse ratio cur duplex ille modus essendi entis spiritualis defacto detur, & de possibili saltem non sit dabile aliquod, ratione cujus idem possibiliter conveniat enti materiali in tota sua latitudine accepto? Cùm præsertim Deus possit producere entia materialia perfectiora, & perfectiora syncategorematicè infinita; inter quæ non est cur negetur aliquod possibile tantæ perfectionis, ut æquivaleat composito alicui materiali, quod ex materia, & forma lapidis, vel plumbi consurgit. Accedit quòd sicut materia completur per formam, quam suscipit, ita natura compleatur per subsistentiam, quam terminat; licèt autem defacto omnis natura creata, per subsistentiam à se realiter distinctam, uti ex dicendis suppono, compleatur, non potest tamen dici, quòd implicet creatura subsistens per se ipsam, & incapax subsistentiæ à se distinctæ, ergo etiam, tametsi ens omne materiale defacto compleatur per formam substantialem à se distinctam (de quo tamen multi, nec indocti, dubitant existimantes Cœlum Empyreum defacto esse corpus essentialiter simplicissimum) adhuc possibile erit corpus completum per se ipsum, & formæ à se distinctæ omnino incapax,

475 Neque obstat, quod omne corpus sit impenetrabile à quantitate, quæ est proprietas materiæ; hæc autem debet compleri per substantialem formam; adeoquè tale corpus esset, & non esset simplex. Imprimis enim impenetrabilitas entitativa non est effectus quãtitatis, ut suprà ostendimus. Deinde absque inconvenienti admitti potest, quòd corpus illud simplex non esset habiturum quantitatem, imò nec materiam ejusdem speciei, cum illa quæ defacto datur; ac proindè cum careret quantitate, quæ est materiæ primæ defacto existentis proprietas, careret etiam effectu illo, quem quantitas materiæ defacto existenti tribuit. Nec obstat præterea quòd implicet ens materiale, quod capax non sit alicujus formæ accidentalis, implicabit igitur & tale, quod incapax sit formæ substantialis. Imprimis enim antecedens est valde dubium, cùm tantùm assumatur, non probetur ab adversarijs. Deinde idem spiculum retorquetur in eosdẽ: implicat spiritus creatus, qui formæ accidentalis capax non sit, ergo etiam implicabit spiritus creatus, qui formæ substantialis sit incapax. Dispar ratio, quâ adversarij inoffensi hoc telum excipient, eadem nè nos ab ipsis jactum lædat, præcavebit. Nec obstat insuper, quòd tale ens esset, & non esset operativum; esset, quia si entia materialia composita operativa sunt, quantò magis illud esset, quod excluderet omnem imperfectionem compositionis? Non esset, quia ejus operationes, vel forent vitales, & immanentes, & hoc non; nam illud vitale non esset, cùm nec per actum completum viveret, cùm non esset Angelus; nec per incompletum, cùm non haberet formam substantialem: vel essent transeuntes; quod etiam dici nequit; quia cùm esset ens illud independens à materia, operaretur etiam independenter ab illa & consequenter creativum esset, quod admitti non posse constat. Verùm contra est, tum quia dici potest ens illud non fore operativum, cùm non necessariò ad omne esse sequatur propriè operari; sufficeret proindè nè omnino foret otiosum si sustentaret aliquid ad instar materiæ, merè passivè se habendo: tum etiam quia admitti absque incommodo potest, tale ens fore vivens; cùm enim in se contineret eminenter perfectionem compositi materialis, cur dici non posset perfectiori quodam modo vivere, quàm ipsum aliquod materiale compositum? Posset etiam operari transeunter dependenter tamen à subjecto extrinseco, cùm inter modum essendi, & operandi non intercedat proportio illa arithmetica, quam quidam sibi imaginantur; ut clarè

patet in Angelo, qui cùm in eſſendo ſit omnino independens à ſubjecto, in operando tamen tranſeunter ab hoc dependet, uti conſtat ex motu, quo ille movet ſydera &c. Neque per hoc tamen Angelus aliquis tale ens eſſet, aut ſimile Angelo; quia iſte præterquam quòd ſit ens completum, habet ſibi etiam eſſentialiter annexum eſſentiale prædicatum ſpirituallis, quo illud careret; vi cujus carentiæ intra latitudinem entis materialis completi contineretur; utpote integraliter extenſum, habenſquè partes, extra partes. Sed ut ab abſolutè poſſibili ad ens actuale materiale regrediamur, dicimus, quod

Phyſici entis materialis de facto exiſtentis intrinſeca dari principia ſit neceſſe.

476 COnvincunt ad hoc aſſerendum, intellectum bene diſpoſitum, ipſæ tranſmutationes, ſeu productiones, & corruptiones rerum; quando enim ipſæ per naturalium agentium actiones tranſmutantur non accidentaliter tantùm, ut cùm aqua in vaporem, vel glaciem mutatur, ſed etiam ſubſtantialiter, ut cùm lignum comburitur, & fit ignis; arguunt evidenter conſtare ſe duabus ſaltem partibus, quarum una in tali tranſmutatione maneat, alterâ pereunte, non ſecùs quàm ex partibus conſtare ſe denotent compoſita tam accidentalia, quàm artificialia: Nam ſi lignum dum comburitur, & fit ignis, ſui aliquid non tranſmitteret igni, nec lignum dici poſſet mutari in ignem, nec ignis fieret ſecundum aliquid tantùm ſui de novo, ſed ſecundum ſe totum; adeoquè ex nihilo, quod repugnat viribus Agentis creati; nec utiles eſſent diſpoſitiones, quibus antecedenter lignum diſponitur, ut igniatur; nec remanerent in igne ipſo quantitas, calor, cœteraquè accidentia, quæ in ligno ignibili priùs reperiebantur; cùm accidentia de ſubjecto in ſubjectum migrare connaturaliter nequeant. Quòd autem eadem maneant accidentia patet ad oculum in quolibet cadavere, in quo pleraquè, quæ in vivo erant accidentia reperiuntur.

477 Neque dici, ut quidam opinantur, poteſt, quòd talis mutatio ſit tantùm tranſitio quantitatis, & reliquorum accidentium ab una ſubſtantia in aliam ad eum modum, quo in Conſecratione panis, & vini accidit; in qua quantitas tranſit à ſubſtantia panis ad ſubſtantiam Corporis Chriſti. Tum quia hæc mutatio naturalis non eſt, ſed ſupra omnes vires naturæ, & miraculoſa tranſubſtantiatio; tum quia accidentia cùm diſpoſitiones ſint, ad unam ſpeciem entis, eſſe nequeunt indifferentia ad entia omnia, & conſequenter nec naturaliter tranſire de uno in aliud; tum denique quia agens naturale unam ſubſtantiam totaliter deſtruere non poteſt, & aliam totaliter de novo producere; illam enim annihilaret, crearet iſtam, quod eſt ſolius DEI proprium, ut ſuo loco demonſtrabitur; adeoquè phyſicâ evidentiâ manet certum, dari principia intrinſeca entis materialis naturalis, quod aſſeruimus.

Phyſicorum Principiorum varia notio.

478 PHyſicè ſumptum principium dicitur ſubinde id, quod eſt cujuſquè rei initium: ſic unitas dicitur principium numerorum, alpha litterarum: ſubinde vocatur id unde commodiùs aliquid agere, & operari incipimus; quæ acceptio locum præcipuè habet in addiſcendis ſcientijs, in tractandis negotijs &c. inde enim cuilibet eſt incipiendum, unde optimè ſuccedat illi id, quod intendit: ſubinde & magis propriè dicitur id, ex quo primùm inexiſtente fit aliquid: ſic ſecundum Ariſtotelem Cor dicitur vitæ principium, ſecundum Galenum Jecur, ſecundum recentiores Medicos, & Philoſophos, Cerebrum; quarum opinionum ſufficiens eſt fundamentum ex eo, quòd cùm anima cognoſcatur per motum, & ſenſum, hinc Ariſtoteles motum reſpiciens docet in vivente primum generari cor, unde pendet motus vitalis: Galenus verò æſtimans vim vegetativam ex qua fit accretio, & augmentatio, dixit vitæ principium reſidere in jecore, à quo embrio habet creſcere, & augeri, & conſequenter jecur primùm generari in animãtibus omnibus, avibus exceptis, in quibus oculos ait priùs generari, quod colligit ab experientia facta in ovis ruptis, dum gallina illis incubat. Recentiores verò Medici cum Philoſophis attendentes ad ſenſum, dicunt primò cerebrum generari in quo, ut ſuo loco oſtendemus, ſenſus reſidet, ubi etiam quàm fundata ſint hæc placita amplius examinabimus. Principium inſuper ſumi ſubinde ſolet pro eo, quo res primò fit, eo non inexiſtente in re, quæ fit ab ipſo; quo modo parens dicitur principiare filium &c. Proprijſſimè demum, & ad rem de qua agimus accommodatè, ſumitur pro eo, quod eſt principium intrinſecum phyſicæ mutationis, ſeu natura-

turalis substantialis compositionis, sive jam in fieri illa sumatur, sive in facto esse; & in hac proprijssima principij physici acceptione quæstionem promoventes, inquirimus ulterius, quænam sit

Physicorum entis naturalis materialis Principiorum quidditas?

479 ARistoteles libro 1. Acroamaticorum definiens jam dicta principia, dixit; principia esse illa, quæ non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, sed ex his omnia: quam ut rectè adaptent solis intrinsecis principijs, diversas, ac varias excogitârunt explicationes hactenus illius Interpretes. Et difficultas tota oritur ratione illius particulæ ex toties repetitæ, ob quam plurimæ excitantur controversiæ, & ferè pleræque, aut de nomine, aut tantùm Dialecticæ. Nobis autem, quia in Physicis propositum non est immorari in tricis, seu Grammaticalibus, seu Dialecticis, existimamus universam litem dirimi posse, si accipiatur dicta particula semper eodem modo, prout scilicet est nota principij intrinseci, seu partis componentis. Taliter enim hæc tria principia ingrediuntur intrinsecè ens naturale in fieri, ut sint de intrinseco, & essentiali conceptu cujuscunque entis naturalis in fieri, ita ut neq; ex alijs, neque ex alterutris, tanquam ex principio intrinseco componantur, aut fiant; nam hæc tria, quia prima, simplicia sunt, & consequenter neque ex alijs, neque ex alterutris componi possunt.

480 Neque obstat, quòd forma materialis fiat & producatur de novo ex materia tanquam ex principio, & subjecto intrinseco. Nam etsi hoc verum sit, falsum tamen est, quòd sint ex se invicem in eodem genere; forma enim ex materia fit in genere principij materialis, ipsa verò principiat in ratione principij formalis. Nec obest rursus, quòd Materia & Forma materialis componantur, ut suprà diximus ex suis partibus entitativis, quibus intrinsecè constant. Nam componuntur ex partibus suis entitativis integraliter, cùm è contra principient ens naturale tanquam principia, & partes ejusdem essentiales; ideoquè principiantur in genere principij intrinseci diversi ab eo, in quo principiant: Similiter Materia & Forma, componuntur ex genere & differentia, quæ quia sunt tantùm partes Metaphysicæ, hinc principiant illæ, utpote partes Physicæ, in diverso genere ab eo in quo principiantur, ut constat. Nec obest demum (ut multa alia solutu faciliora omittamus) quòd cuidam non videatur posse explicari, quo pacto data definitio præcisè sumpta conveniat singulis principijs; nam si conveniat principijs particularibus v. g. materiæ, & formæ Petri, falsum est, quòd fiant ex materia & forma Petri: de sola materia item dici non potest (quod idem applicat formæ, & privationi seorsim sumptis) quòd sit ex alterutris, alterutrum enim supponit plura; atque ob eandem rationem dici nequit, quòd sit ex se. Verùm paucis, ut nos expediamus ab his Sophisticis pedicis, dicimꝰ definitionem illam sumendam esse in suppositione distributiva, ita, ut omnia quæ fiunt ex omnibus principijs, in specie, & numero, fiant ex singulis etiam in specie, & numero: sic Ens materiale in cõmuni, seu indefinitè sumptum, ut suppositio distributiva exigit, est ex privatione, materia, & forma indefinitè sumptis: in suppositione verò personali, seu particulari acceptum, ex materia & forma, ac privatione tali. Adeoquè licèt dici non possit de qualibet numero materia, & forma, aut privatione, quòd omnia sint ex illis, dici tamen potest de quacunque distributivè accepta: in quo, intellectis terminis, esse non potest aliqua difficultas, cui vel ex dictis in Logica, vel ex dicendis in Metaphysica facilè nequeat responderi,

Physici Entis naturalis intrinseca principia in unico salvari non possunt.

481 QUod verum est specialiter respectu quorundam, qui antiquos sectati Philosophos, nè ulla tandem sententia sit absque Patrono, statuunt unicum illud ingenerabile & incorruptibile, perquè raritatem, & densitatem in varias formabile figuras. Ratio, ut præteream authoritatem omnium rectè Philosophantium, est: quia tale principium necessariò esset vel substantiale, vel accidentale, etsi alius essendi modus nullus sit assignabilis: si primum? ergo esset vel corporeum, vel incorporeum: non corporeum, quia hoc ipso entitativè esset multiplex; cùm essentia entis corporei hanc entitativam multiplicitatem ex essentiali suo conceptu inferat, ut patet ex dictis. Non etiam incorporeum, hoc enim ipso discretè multiplicabile esset in plura, non secùs, quàm dicemus multiplicabilem naturam entis universalis, per abstractiones nostras

ſtras talem ; cùm illud unum per ipſos connaturaliter ſit diverſimodè formabile in varia entia nobis apparentia. Multò minùs dici poteſt illud eſſe accidentale aliquid, nam hoc ipſo infert entium multiplicitatem, cùm accidens eſſentialiter ſit Ens in alio, ſeu entis ens. Totum cui innituntur, præſertim Recentiores (nam rationes antiquorum ab Ariſtotele ſufficienter annullatæ fuerunt) fundamentum eſt, quòd materia prima per Ariſtotelem, & Peripatheticos ingenerabilis ſit & incorruptibilis, adeoquè una in omnibus. Ex quo inferunt illam eſſe re ipsâ illud unicum principium, licèt aliter ab Interpretibus Ariſtotelis diverſis formalitatibus rei veritas obveletur. At, quàm infirmæ baſi innitantur, ſatis cuique conſtat, qui vel notionem materiæ primæ Ariſtotelicæ habet: hanc namquè entitativè, & numericè non eſſe unam, ignorat nemo, qui evidenti experientiâ ſcit, materiam Petri viventis non eſſe eandem numero materiam canis, vel equi mortui.

482 Falluntur autem in illo, ut errorem ſuum agnoſcentes, melius deinceps ſentiant de Ariſtotelicis, quòd ab his non dicatur una materia aliter, quàm unitate Logicâ aut Metaphyſica: quòd ſi etiam ſubinde Ariſtotelici dicant unam Phyſicè, hoc dicere intelligendi ſunt, quòd per privationem formarum talis ſit, quia nempe in ea non ſunt formæ diverſæ, quæ illam numero diverſificent, non ſecùs, ac plures partes aquæ dicantur una aqua, & plures gradus caloris in eodem ſubjecto, & loco, dicantur unus calor, ideo, quia habent privationem ubicationum, quibus ſi ponerentur illi gradus, vel partes aquæ ſeparatim in pluribus locis, poſſent dici, & eſſe plures aquæ, & plures calores. Verùm, ne opinio, quantumvis inanis, ſuo tamen pondere fatiſcens, pluribus à nobis refutetur, in Philoſophica Schola, in qua nemo non ſcit ſe phantaſma non eſſe; ideo ut alterius, è diametro huic oppoſitæ, veritatem examinemus, ſtatuentis cum Democrito, aliiſquè pro principijs entis naturalis materialis atomos, ſeu corpuſcula innumera, diciriſtia, quæ ab hac opinione multum labefactantur) primò: conſtitutio, ſeu productio humani compoſiti, quòd cùm conſtituatur eſſentialiter partialiter animâ rationali, haberi nequit per ſolam hujuſmodi corpuſculorum aggregationem.

484 Deinde non minùs certum id fit ex ſubſtantiali generatione animantium merè materialium, in quibus illa partium varietas, illa operationum, & organorum diverſitas, & ſubordinatio ac directio ad unum, eundemquè finem, nullatenus per mera corpuſcula diverſimodè permixta ſalvari poteſt: qualitercunquè enim componantur granula arenæ, aut farinæ ſimul, nunquam reſultare poterit vel principium viſionis, vel ambulationis, &c. Inſuper bos v. g. dum cultro tranſverberatur, vel confringitur ipſi malleo ſincipitis nervus præcipuus, momento principium omnium operationum perdit, & tamen non apparet ulla ferè corpuſculorum defiguratio, ex qua haberi poſſent effectus adeo repente diverſi.

485 Præterea, quando pulvis tormentarius applicato exiguo fomite ſuccenditur, maximoquè impetu disijcit validiſſima quæque obſtacula, & in auras evibrat arces, propugnacula, ipſiſquè aggeſtos terreos montes, deberet totus ille ignis delituiſſe prius in pulvereis granulis, ad eum ferè modum, quo in grano triticeo deliteſcit farina; hoc autem eſt incredibile, & omnino improbabile, eò quòd cùm incluſus ignis habeat tantam inclinationem ſurſum aſcendendi, ſeſequè dilatandi, ut elevet, & perrumpat omnia obſtacula, quî quæſo fieri poteſt, ut latens in ſacculo, vel ligneo vaſculo, non perrumpat telaceum, aut ligneum illud continens, & foras erumpat? niſi fors quis dicat ignem leonis imitari naturam, qui ferreis, æneiſquè clathris detineri ſe non patitur, patitur tamen ligneos, cannabinoſquè carceres.

486 Et demum, ut multa, quæ ingenioſiſſimi Neotherici contra hanc corpuſculorum diverſimodè figurabilium inventionem validiſſima adferunt argumenta, deſumpta à vegetantibus, & ſentientibus; quæ ex varia corpuſculorum combinatione nullatenus conſurgere poſſunt, illa videtur ratio efficax contra atomiſtas, quòd nullam adferant ratio-

Phyſicum Ens materiale non poſſe habere pro ſui principijs mera corpuſcula.

483 ID oſtendit evidenter (ut omittam Myſteria Fidei, præſertim in Venerabili Eucha-

rationem, vi cujus suam sententiam vel reddant probabilem.

487 Nam quòd dicant, v. g. nos debere in rebus Physicis sequi sensum: hoc quidem verum est, sed ita ut non tantùm judicemus, quod sensus judicat, sed etiam ut addentes judicio sensuum alia principia per intellectum nota, inferamus etiam veritates, quas sensus non percipit; alioquin nec DEUM, nec Angelos, nec rationalem animam, nec bonorum præmia, nec supplicia malorum, quæ sensibus non subjacent, dignoscere quiremus; sicq; deterioris conditionis humana natura esset brutali, quæ naturalibus instinctibus acta, etiam quæ sensibus non percipiuntur, ut est prolem alere, conservare, pugnare pro eadem, quod à Juris peritis naturæ instinctus dicitur, percipit.

488 Quòd etiam dicant 2° ex Aristot. ex nihilo nihil fieri, nihil urget: nam quid si, quispiam cum P. Christophoro Clavio, & Francisco Vieta celeberrimis Mathematicis, neget universaliter verum esse illud axioma? certè uterq; in sua Algebra, non solum ex nihilo, sed etiam minùs nihilo in numeris numerantibus; qui haud dubiè sunt discreta quantitas, numerum verum, ac realem produci demonstrant. Sed datâ pro nunc veritate axiomatis, in sensu ab Aristotelicis accepti, sequiturné propterea, quod licèt ex nihilo Subjecti à naturali agente nihil fieri possit; non possit tamen ab eodem fieri aliquid ex nihilo sui?

489 Accedit quòd suis se armis conficiant Atomistæ; cùm enim per aliam, & aliam corpusculorum dispositionem, ac motum, qui priùs non erat res fiant, necessariò admittere debent hanc dispositionem, & motum distinctum ab ipsis corpusculis, utpote qui priùs in ijs non erat, de novo fieri.

490. Multò minùs nos impugnant argumento, quod desumunt ab arte factis, quæ per diversam dispositionem artificiosè componibilium, diversa consurgunt arte facta. Nam & hâc ratione contra se pugnant, dum dicunt, & meritò; DEUM, & naturam longè sapientiùs, & perfectiùs, quàm ars ipsa operetur, sua opera operari, adeoq; & perfectiores effectus, & perfectiorem modum in ijs producendis quàm ars ipsa, sibi vendicant; cùm præsertim ars imitatrix, & simia sit naturæ, quæ nunquã assequitur operibus suis illius perfectionem; nisi velimus dicere, quòd statua lapidea equi æquè vivat, currat, ac excipiendo sessori sit apta, ac ipse vivens equus. Sed ne in minutulis hisce corpusculis, quæ & sensum, & rationem ob exilitatem fugiunt, diutiùs versemur, utq; omittamus alias antiquorum præsertim ante Aristotelem Philosophorum, ab eo satis falsi convictas, de principijs entis naturalis jam obsoletas sententias. Dicimus contra alios Neothericos

Physica Entis naturalis principia prima non sunt quatuor elementa.

491 SIve jam elementa maneant formaliter inmixto, sive è contra; utrumq; enim admittatur, parum facit ad præsentem quæstionem; tum quia illa nec dici, nec esse possunt prima Entis naturalis principia, quæ ex alijs sunt essentialiter composita; cujusmodi esse elementa constat vel ex eo, quòd ipsa sint entia substantialiter & per se, ut fatentur Adversarij; generabilia item, & corruptibilia, hoc ipso quòd habeant qualitates contrarias per quas in se agunt, & ab invicem patiuntur, ex qua mutua actione eorum, & passione mixta generantur, ut communiter concedunt omnes, magisq; infra suo loco patebit. Ulteriùs

Physica Entis naturalis principia nec esse possunt

492 TRia illa quæ communis Chymicorum Schola assignat, salem, hoc est partem quandam solidam, ac fixam, quæ vi nullâ ullius sublunaris agentis sit resolubilis; sulphur, cujus nomine intelligunt partem spirituosam, subtilem, vividam, activam, formalem, quæ in entibus omnibus seu vitâ carentibus, seu illâ præditis, uti ajunt, nec malè reperitur: & Mercurium, per quem ipsis venit pars humida, viscosa, & tenax, quâ res omnes continuantur, atq; inter se cohærent, quamq; dicunt esse veram Physicam unionem, ac naturæ gluten, vi cujus pars vivida, & spiritosa, quæ in corruptione, & resolutione abit in auras, cum parte fixa & consistente conjungitur.

493 Verùm quomodocunq; hæc sua illi principia explicent, non subsistere posse videtur eorum sententia universim: tum quia hæc nec sunt, nec esse possunt prima & simplicia, de quibus tantùm præsens procedit quæstio, cùm & illa ipsa sint entia materialia, adeoq; materiâ & formâ constantia, siquidem in illas sunt absolutè resolubilia, quod experientiâ convincitur, cùm quomodocunq; elambicentur, adhuc ulterius semper magis resolvi, & attenuari possint.

494 Tum quia hæc opinio nimium tribuit sensui, sensuumq; experientiæ, ac proinde minimè evadit absurda illa, quæ ab experimentali præcisè Philosophiâ derivari possunt: tum quia in re coincidit, cum sententia jam pridem ab Aristotele explosa, eorum, qui terram, aërem, & aquam pro principijs rerum naturalium adstruebant; tum insuper quia ex

illa sequeretur omnia composita materialia esse entia per accidens; partes enim quæ humido illo glutine connecterentur, entia sunt completa, & ex natura sua inter se non unibilia, utpote secundum se nullam habentia inclinationem ad invicem; patet hoc inde, quòd per talem unitionem extrahantur è statu suo naturali, in quem omni conatu sese reducere iterum contendunt, ut ipsis Chymicorum constat experientijs.

495 Tum demum quia ex hac opinione clarè sequitur nullam dari formam materialem 498 substantialem; omnia namq; ex his mixta aliter se non haberent, quàm defacto lutum, nix, grando, aut glacies, quæ proprijs substantialibus formis carent, & id non alia de causa, quàm quia fiunt ex pulveribus terreis, quibus immiscentur aquei vapores, & aërei tenuiores spiritus, quo pacto cætera quoq; mixta omnia ex tribus illis principijs componerentur, uti & quidam ex Adversarijs admittunt, & necessariò sequitur, ex ipsa, quam dant, opinionis suæ explicatione. Ac proinde securiùs ut cum Aristot. philosophemur; dicimus

Physica entis naturalis principia in fieri esse, Materiam, Formam, & Privationem.

496 VEritas hujus asserti evidenter elucet ex ipsa essentia substantialis transmutationis; cùm enim illa sit transitus quidam rei de non esse ad esse, & omnis transitus tria essentialiter requirat, scilicet id quod transit, id ad quod, & id à quo fit transitus, benè sequitur ad mutationem substantialem tria solùm essentialiter requiri principia; scilicet primam rerum Materiam, quæ sit mutationis subjectum, Formam, quæ sit terminus ad quem, & Privationem, quæ sit terminus à quo; quæ principia suo modo etiam requiruntur, & sufficiunt ad quamlibet aliam mutationem, sive accidentalem, ut cùm aër, ex tenebroso fit lucidus, sive artificialem, ut cùm marmor ex rudi fit figuratum.

497 Quod ipsum confirmatur ulterius singula ex tribus seorsim spectando; quia transmutatio substantialis in quacunquè tandem acceptione sumatur, sive ut est generatio, sive ut conversio, sive ut eductio, semper est essentialiter transitus & mutatio, adeoquè inprimis requirit essentialiter materiam, & formam, cùm requirat essentialissimè subjectum, & terminum substantialem, qui ex illius potentia educitur, eò quòd implicet actionem aliquam dari absque termino. Quod etiam non minùs essentialiter requirat privationem, constat à priori ex eo, quòd transmutatio, quâ talis exigat necessariò rem, quæ mutatur, aliter se habere, quàm ante sese habuerit; adeoquè exigit essentialiter habere aliquid de novo, quod antea non habebat; cujus hoc ipso habebat privationem; idem enim formaliter est non habere formam, quam apta est habere; & habere illius privationem; ut constat ex terminis; transmutatio igitur substantialis in quantum essentialiter est mutatio, essentialiter exigit privationem in subjecto, formæ illius, quam in illud inducit, ut terminum à quo.

Nec obstat 1° id quod objiciunt docti quidam Recentiores excludentes privationem ex ratione principij in fieri, quia intrinsecè nullum Ens positivum fieri possit ex aliquo privato, adeoquè admittunt solùm in transmutatione privationem ut requisitum. Nam id gratis opponunt, tum quia ipsimet alibi docent de essentia omnis motûs naturalis esse habere subjectum quod movetur, terminum à quo, & terminum ad quem movetur: tum quia positis his tribus intrinsecè & formaliter habetur mutatio, & his non positis non habetur; sicut igitur impossibile est ut habeatur motus localis absquè his tribus, sic repugnat ut habeatur motus transmutationis substantialis absquè ijsdem intrinsecè habitis; necesse proinde est, ut, licèt pars constitutiva intrinseca alicujus entis positivi in facto esse, esse non possit principium privativum; sit tamen, & ingrediatur constitutionem entis substantis transmutationi in fieri, ut terminus à quo, eò quòd nullatenus vel concipi possit transmutatio, quatenus motus est, à non esse formæ, ad esse formæ in subjecto.

499 Nec obest 2° id quod alij obicijunt actionem nimirum Agentis esse etiam principium in fieri, cùm absquè illa haberi non possit res in esse transmutationis: hoc est in genere causæ efficientis, non autem formalis, alioquin non tantùm actio, sed ipsa etiam causa efficiens, DEUS, causa finalis, duratio, ubicatio, aliaqué plurima assignari deberent principia entis naturalis in fieri, cùm eadem ratio, si quid probat pro actione, probet etiam, ut cuilibet patet, pro jam enumeratis. Cùm igitur illi refugiant pluralitatem tot principiorum, desistere pariter debent à sua instantia.

500 Nec plus probant alij, qui formam expulsam referre conantur in numerum intrinsecorum principiorum: tum quia, quod fieri non repugnat, si educeretur aliqua forma ex materia existente Divinitùs spoliata omni forma, re ipsâ ibi daretur vera mutatio in materia à non esse formæ ad esse formæ, & tamen nulla interveniret forma expellenda;

tum

tum quia Divinitùs possunt plures formæ simul esse, & educi ex eadem materia, in quo casu vera esset generatio talium formarum, tametsi priores nullatenus desinerent à sua informatione: ex quo patet non nisi per accidens expulsionem formæ antiquæ intervenire ad transmutationem.

501 Nequé felicius se fatigant alij; seu qui privationem à ratione intrinseci principij in fieri excludunt, ex eo quòd nec quando est, nec quando non est, principiare possit; quia dum est mutatio non est: dum est mutatio est forma, & non est privatio. Nam privatio principiat, ut ex dicendis infrà patebit magis, quando primò non est, & immediatè ante fuit; cùm principiet, ut terminus à quo privativus, qui talis tunc est, cùm primò ab eo incipit aliud; adeoquè quia fieri formæ incipit tunc primò, cùm primò non est privatio, hæc erit mutationis principium, dum primò non est, & immediatè antè fuit. Nec Replica eorum urget, quâ dicunt principium tunc esse debere, quando est principiatum; locum illa namquè habet in solis principijs positivè talibus, non autem in principijs universim, uti constat in principijs successivarum mutationum.

502 Seu qui formam pro principio non recognoverunt, eò quòd illa posterior sit ipsâ transmutatione, cujus est terminus; nam imprimis opus non est, ut forma prior sit prioritate executionis ipsâ transmutatione, sed sufficit si prior sit prioritate intentionis. Deinde ratio illa ruinoso innititur suppositio, cùm hic non agatur de principijs transmutationis præcisè sumptæ, sed de principijs entis subsstantis actuali transmutationi: deniquè quia ad hoc, ut generetur ens materiale completum in aliquo instanti, debent necessariò haberi & partes intrinsecæ ipsius, & præesse in una parte ex ipsis antecedenter privatio formæ, alioquin hæc fuisset antè, sicq; non fieret in tali instanti.

503 Seu demum qui materiam à ratione principij entis materialis in fieri extrudunt, eò quòd dentur mutationes absq; subjecto, quales sunt creatio, generatio vermium in speciebus Sacramentalibus, productio miraculosa qualitatum. Verum hæ mutationes naturales non sunt; creatio siquidem actio est soli Deo conveniens; per quam etiam dum vermes producuntur in Eucharisticis speciebus creat Deus de novo materiam, supernaturaliter supplendo defectum materialis causæ; in quo non est multiplicatio miraculorum absq; necessitate, cùm prius miraculum, quo substantia panis in consecratione annihilatur, hoc secundum secum necessarium trahat; uti patet ex transubstantiali conversione quæ fit dum Corpus Christi præexistens sub accidentibus panis, & vini transit in substantiam aliti &c.

Physica entis naturalis in facto esse principia tantùm duo sunt Materia, & Forma.

504 HÆC namq; duo in facto esse ens naturale intrinsecè, essentialiter, & ut quòd constituunt: certum namq; est ex dictis, quòd una materia sufficiat in genere principij materialis uni composito, & una forma substantialis uni materiæ, cùm naturaliter in una materia nequeat esse nisi unica forma; consequenter hæc duo principia simul juncta, & intimè unita constituunt essentialiter, imò sunt ipsum compositum in facto esse præcisis quibuscunquè alijs.

505 Nec obest quòd unio sit tertia entitas realiter modaliter distincta ab ipsis principijs duobus, quæ simul unit, & quidem necessariò requisita ac essentialiter ad ipsum esse compositi. Quantumvis enim id verum sit, non tamen tertium erit illa principium; tum quia, ut suprà insinuavi, pertinet ad rationem formalem, tanquam id per quod materia, & forma naturale compositum principiant; ex principijs autem, & ratione principiandi non constituuntur duo principia, sed unum; Sicut ex agente, & actione non fiunt duæ, sed una causa; tum quia signanter addidi ly *ut quod*, ad hoc ut excluderentur illa, quæ solùm, ut quo ad compositum requiruntur. Id quod alij opponunt in simili de subsistentia, nihil urget; tum quia & subsistentia est ratio formalis tantùm ut quo terminativa naturæ; tum quia non ad compositum, sed ad suppositum constituendum subsistentia conducit.

506 Quòd præterea quidam dicant materiæ, & formæ in facto esse non convenire definitionem principiorum ab Aristotele suprà assignatam, sicut hoc gratis assumunt, ita facilè negatur, ostenditurq; oppositum, & quidem absq; ulla æquivocatione; de his enim quatenus sunt prima principia entis naturalis in facto esse verificatur potissimùm, quòd neq; ex alijs, neq; ex alterutris in ipso facto esse fiant, seu constent; tanquam ex principio & parte componente, sicut è contrà omnia naturalia in suo esse ex illis tanquam ex principijs, & partibus essentialibus, & intrinsecis constituuntur. Porrò ut ex principijs ad causas Entis naturalis in facta suprà suppositione gradiamur, ad ipsas penitiùs cognoscendas ipsa nos manuducet.

Phy-

Physicæ Entis naturalis Causæ existentia, Notio, & Quidditas.

507 DAri Entis naturalis causas, nemo sanæ Philosophiæ Studiosus negare potest, quia earum existentia ita est evidens, sicut evidens est, quòd Sol producat lucem, ignis calorem, homo hominem; tum quia res omnes ita existunt, ut necessariò non existant; cùm solius DEI sit per essentiam existere; adeoqué cùm entia extra DEUM sic sint, ut possint non esse; hinc fit, quòd ad hoc ut sint, & existant debeant poni, & determinari ab aliquo; nihil namqué potest de non esse transferre ad esse, hoc autem transferens & ponens est, & dicitur causa.

508 Quod nomen, etsi à Rhetoribus, & Juris consultis diversimodè accipiatur; à Philosophis tamen usurpatur tantùm tripliciter, primò in lata quadam significatione, nempe pro omni eo, quod est quomodocunquè prius illo ad cujus esse, & fieri quomodolibet concurrit; quo in sensu nomen causæ attribuitur etiam principijs, conditionibus sine quibus non, dispositionibus, occasioni, & motivis excitantibus, aut determinantibus ad aliquid faciendum.

509 Secundo modo accipitur antonomasticè pro sola causa efficiente; Verùm utraq; acceptio impropria est; prima namquè peccat per excessum, secunda per defectum. Unde medio quodam modo propriè sumitur pro eo, quod influit esse in effectum, seu à quo realiter dependet effectus; in qua acceptione rectè sic definitur; Causa est principium dans esse alicui contingenti cum prioritate naturæ per influxum ex se defectibilem. Sufficientia hujus definitionis inde constat; quòd omni & soli causæ conveniat, ejusqué naturam, & quidditatem adæquatè explicet: prior hujus propositionis pars patet, tum ex ipsa notione terminorum, perpensa ad regulas bonæ definitionis; tum ex eo, quòd nullus sit dabilis influxus in effectum creatum, qui non sit ex se defectibilis, talis namquè influxus vel procedit immediatè à DEO, & sic potest deficere, cùm DEUS liberè operetur, adeoqué illum subtrahere possit: vel procedit à creatura, & hæc ipsa sicut in esse, & conservari, ita & in operari defectibilis est, ut constat.

510 Altera verò pars positæ suprà propositionis constat inde, quòd ad rationem causæ duo necessariò requirantur; quorum unum se tenet ex parte illius entitatis, quæ causa dicitur, & prioritas naturæ nuncupatur, vi cujus ita causa cum effectu connectitur, ut talis actualis connexio tolli, & deficere possit manente causæ entiate: alterum requisitum tenet se ex parte effectûs, vi cujus iste necessariò finitus esse debet, & limitatus: quod benè explicatur per ly defectibilem, illud enim quod defectibili influxu ponitur infinitum essentialiter esse nequit; cùm huic repugnet per locum intrinsecum, & formaliter omnis defectibilitas; quæ duæ conditiones necessariò requisitæ ad omnem in rigore causam optimè explicantur per datam definitionem, ut patet; adeoquè illâ benè explicatur natura, & quidditas causæ.

511 Nec obest quòd si per impossibile DEUS entitatem aliquam ad extrà necessariò, & non liberè produxisset, qualem erroneè Aristoteles existimavit esse hunc mundum, in tali hypothesi per locum intrinsecum DEUS esset talis entitatis causa, & talis entitas ejusdem effectus, & tamen defectibilis non esset. Datâ namquè disputandi gratiâ, pro nunc hypothesi, quam alibi fortè ostendam implicare; ajo talem creaturam esse indefectibilem indefectibilitate tantùm extrinsecâ, non verò intrinsecâ; cujus ratio est, quia defectibilitas intrinseca est de ratione constitutiva effectûs, quæ conveniret adhuc entitati illi; siquidem cùm ipsa DEUS non esset, consequenter quantum est de ratione intrinsecæ ipsius, potuisset, & non potuisset existere antecedenter, & intrinsecè; quamvis id non posset defectibilitate extrinseca, & ratione agentis illam necessariò producentis.

512 Nec obest rursus quòd si DEUS necessariò produceret aliquam creaturam ex suis intrinsecis principijs indefectibilem, cujusmodi multi putant esse visionem beatificam supra seipsam reflexivam, talis creatura esset intrinsecè indefectibilis, & tamen esset effectus propriè talis. Nam admissâ rursus, disputandi gratiâ suppositione, ajo illam adhuc fore effectum, & defectibilem simpliciter, non quidem quoad existentiam, sed in alijs generibus perfectionum; non secus quàm in sententia admittentium mundum fuisse ab æterno, sequatur solùm mundi durationem, & existentiam esse perfectam absolutè, non autem secundum omnia, quæ mundus in se contineret, nam haud dubiè eædem imperfectiones entitativè reperirentur in eo, etsi ab æterno extitisset, quæ defacto in tempore reperiuntur existente, unicâ exceptâ imperfectione existentiæ, & durationis.

513 Nec demum obest, quòd actio creativa identificetur cum ipso DEO, adeoquè influxus, quo DEUS in rem per creationem produ-

ductam, cujus est rigorosè causa, influit, indefectibilis sit. Talis namquè influxus non adæquatè, sed inadæquatè tantùm, DEO identificatur, unde secundum id, secundum quod non identificatur, defectibilis omnino est. Ratio autem responsionis hujus est, quia si influxus creativus soli DEO identificaretur adæquatè, solâ existente entitate DEI absquè ullo termino, hoc ipso DEUS esset actu creans, cùm ad esse actu creantem aliud non requiratur, quàm actualis creatio, quæ semper adæquatè fuisset, sicut DEUS ipse semper actu fuit, si esset DEO actu adæquatè identificata.

Physicæ causæ Quotuplicitas & Divisio.

514 MUltipliciter ab Authoribus Physica causa dividitur; nos omissis alijs pro nunc divisionibus, dicimus adæquatè dividi in Materialem, Formalem, Efficientem & Finalem, ita ut nulla sit dabilis, quæ ad aliquam ex istis non sit reducibilis. Ratio hanc divisionem nobis suadens est, tum diversus modus, quo singulæ concurrunt ad dandum esse effectui defectibili; cui omnis causa vel intrinseca est, vel extrinseca; si primum, vel est ejus pars perfectibilis, & sic est causa Materialis, vel pars perfectiva, & ea est causa Formalis: si secundum, vel est id primum à quo est effectus, & talis est causa efficiens, vel id cujus gratiâ fit effectus, & ea est Finalis; nequé præter istos, alius assignari potest causandi modus.

515 Tum etiam à paritate artefactorum, nam sicut, ut statua v. g. de novo fiat, & ponatur in esse statuæ, opus est imprimis, ut adsit marmor, quod est causa materialis circa quam artifex operatur: deinde requiritur artifex ipse, qui est causa efficiens ejusdem, atquè in marmor introducens solùm figuram, quæ est causa formalis statuæ; ultimò demum necessarium est lucrum, vel fama, vel alius quispiam finis, à quo artifex moveatur ad operandum; quibus præcisè positis statua sufficienter intelligitur suam habere existentiam, & quòd actu sit statua; sic similiter ut fiat de novo ignis, requiritur Agens aliquod à quo producatur; prima rerum materia, à qua creatum Agens juvetur ad ignis productionem, Forma ignis quæ ab agente de novo ex materia educatur, & fiat, simulquè cum eadem materia constituat ignem; ac deniquè nè Agens temerè operetur, necessariò respicere debet finem aliquem, à quo ipse determinatur ad operandum. Quibus quatuor positis effectus naturales sunt, & intelliguntur sufficienter actu ipso existere extra suas causas. Cui divisioni nihil obesse posse, patebit sufficientissimè ex infrà dicendis.

Physicæ Causæ à conditionibus Distinctio.

516 SIngulas causas ad actuale sui exercitium requirere aliquas conditiones, certum est non solum à posteriori apud quemvis, qui novit ignem nunquam agere nisi sublatis impedimentis, & debitè applicatum, ac approximatum; nequé Materiam informari à Forma, nisi illa prius sit debitè dispositа; nequé à Fine moveri voluntatem, nisi ab hâc prius ille cognoscatur; verùm etiam à priori ex ipsa finitate, ac limitatione causarum creatarum; ex qua oritur, ut sola virtus non sit sufficiens ad ponendas res naturales in existentia, sed necessariò aliquo indigeat auxilio aliquarum aliarum rerum, quæ appellantur conditiones, quales sunt approximatio causæ ad subjectum, debita applicatio, relatio transcendentalis causæ ad DEUM in essendo, negatio impedimentorum, distinctio causam inter, & effectum, vel adæquata, vel saltem inadæquata, duratio causæ &c. Quæ licèt causæ non sint, nihilominus absque ijs produci connaturaliter nequit effectus, imò absque aliquibus fortè nec divinitùs.

517 Hæ autem conditiones à causis distinguuntur, & differunt multipliciter; causa enim in virtute sua effectum continet, illumqué determinatè intendit, utpote habens cum ipso proportionem, atque illum inclinat, ut ignis ad calorem non ad frigus &c. quæ non habet ulla conditio: causa semper est quid positivum, conditiones verò etiam quid negativum: causa concurrit per se ad effectum, conditio tantùm per accidens: causa influit esse in effectum, quod non præstat conditio; causâ variatâ variatur effectus, non variatur autem variatâ conditione.

518 Nequé obest quòd non videatur posse discerni, quænam sit conditio, & quænam sit causa, cùm ad effectum naturaliter utraque requiratur: Nam ajo id non esse difficilè attendenti ad naturas rerum; si enim adsint plura æqualis virtutis de quibus constet, quòd possent talem effectum causare seipsis immediatè influendo, v. g. plures equi, potentes trahere eundem currum, tunc sentiendum est, singulos illos equos inadæquatè concurrere ad adæquatam tractionem

currûs, naturâ vel aurigâ attemperante hujuſmodi concurſum, ut ſimul omnes trahant. Si verò adſint aliqua de quibus aliunde conſtat, quòd nequeant cauſare talem effectum, v. g. clamor aurigæ, directio & impulſio equorum; tunc cenſendum eſt illas meras eſſe conditiones". In quo non video, cur ingenioſus aliàs Recentior, circa id magnoperè adlaboret; cùm ratio illa dubitandi, quâ ipſe movetur, quòd videlicet Sol in Superficie terræ diverſas formas ſubſtantiales generet, & diverſas in viſceribus terræ, ſalvetur facillimè abſque eo, quòd ullum influxum à conditionibus provenientem in tales effectus admittamus; cùm illæ tantum ſe habeant præcisè ad diverſimodè applicandam virtutem activam Solis Paſſo; quis enim admittat applicationem diſpoſitivam alicujus virtutis ad agendum eſſe ipſam virtutem activam? alioquin dicere quis poſſet, quòd apertio portæ, ſit cauſa, cur Petrus ingrediatur in Scholam, & commoda ſeſſio Petri in Schola ſit cauſa efficiens doctrinæ, quam ipſe acquirit; quod nemo admittet, niſi ignarus naturæ conditionum, quæ alia non eſt, quàm ponere Petrum in talibus circumſtantijs, in quibus ponere vel non ponere poſſit has vel illas operationes: Occaſione quarum meritò hic inquiritur, quomodo ſe habeat, & explicetur.

Phyſicæ cauſæ virtus.

519 EXiſtimant nonnulli virtutem propriam cauſæ rectè ſic explicari: quòd cauſa ſit quæ effectum exigit, conditio verò ſit circumſtantia in qua effectus exigitur. Verùm hoc non poſſe ſuſtineri, patet indè, quòd materia organizata exigat animam rationalem, nec tamen eſt cauſa animæ rationalis, ut nemo non concedit. Alij virtutem cauſæ dicunt benè explicari per quandam participationem Divinæ Omnipotentiæ, eò quòd in ordine ad dandum eſſe effectui ſe habeat proportionaliter, ac ſe habet Omnipotentia DEI reſpectu effectuum creatorum. Sed nequé ſic benè; tum quia virtus cauſarum ſecundarum explicatur ſic per virtutem Cauſæ Primæ, adeoquè virtus per virtutem; tum quia virtus cauſarum ſecundarum notior, utpote quæ per ſuas operationes immediatas; quas videmus ex illa prodire nobis innoteſcit, explicaretur per virtutem Cauſæ primæ nobis aliquomodo ignotiorem, utpote quam non videmus immediatè operantem, ſed ſolùm nobis innoteſcit per diſcurſum.

520 Meliùs proinde exiſtimamus virtutem propriam cujuſcunquè creatæ cauſæ explicâri per hoc, quòd ſit quid proportionali modo ſe habens ad virtutem, quam in nobis experimur in ordine ad motus, & actus, quos exercemus". Hæc ſiquidem explicatio eſt per aliquid nobis immediatâ experientiâ ita notum, ut ulterius non ſit explicabile; quivis namq; experitur in ſe virtutem ad exercendos motus locales, cognitiones, volitiones, &c. cùm autem hæc virtus maximè cadat ſub noſtram experientiam, benè poſſumus per proportionem ad iſtam explicare virtutem cujuſcunq; cauſæ Phiſicæ ſecundæ.

Cauſæ Phyſicæ exiſtentia, quî neceſſaria, ut cauſa cauſet.

521 QUod ad præſentis quæſtionis deciſionem attinet, cenſemus exiſtentiam cauſæ ad hoc, ut cauſa actu cauſet, ita eſſentialiter requiri, ut nec divinitùs aliquid cauſare poſſit, quin actu ſecundum ſe exiſtat; adeoquè exiſtentiam cauſæ non ſe habere ad cauſandum ut conditionem, ſed ut rationem formalem & eſſentialem. Præter authoritatem, & experientiam, quâ hoc clariſſimè probatur, quis enim unquam vidit extinctum ignem lucem producere, aut audivit gallum mortuum cucurientem? ratio evidens ſuppetit; id enim quod non exiſtit non habet eſſe, quod non habet eſſe, alteri eſſe dare nequit, juxta æquè verum, ac tritum illud: nemo dat quod non habet. Accedit, quòd ſicut res quæ paulò poſt exiſtet non poteſt operari, ut adverſarij concedunt, Sic nec illa quæ paulò ante extitit agere poterit, cùm tam non exiſtat nunc quod priùs extitit, quàm exiſtat nunc quod extiturum eſt. Alioquin dici etiam poſſet, & quòd idem priuſquam eſſet, eſſe poſſet ſuimetipſius cauſa; & quòd homo mortuus poſſet ſentire, ratiocinari, mereri, ac demereri; & quòd cauſæ materialis, & formalis cauſare poſſent compoſitum, quando non exiſtunt, quibus ſequelis legitimè Adverſariorum antecedens conſequentibus, nihil abſurdius dici poſſe exiſtimo.

522 Nec obeſt, quòd non ens poſſit eſſe cauſa entis, ut patet in Veritate actûs intellectualis, quæ ſæpè ſæpius cauſatur à non Ente. Contrà ſiquidem eſt, quia veritas formalis univerſim ſumpta non eſt adæquatè Ens poſitivum, ſed ſubinde partim poſitivum, partim negativum; cujus ratio eſt, quia concreta accidentalia, cujuſmodi eſt veritas, partim intrinſeca partim extrinſeca, non ſunt quid diſtinctum, ut ſupponunt Adverſarij, ab actu

ctu & objecto: quia verò supponunt semper pro eo, quod dicunt in recto, ideo dicuntur positiva, cùm actus pro quo supponit veritas in entitate sua sit positivus, quamvis secundum id quod dicit in obliquo sit aliquod non ens, vel etiam Ens impossibile.

523 Nec obest iterum quòd ens artificiale v. g. statua Mercurij, sit verum, & reale ens, & tamen formaliter constituitur juxta pleroſque recentiores talibus ubicationibus, & simul carentia aliarum ubicationum, quæ carentia simpliciter non est ens. Falsum namque est, quòd per carentiam ubicationum superfluarum, aut per meras ubicationes constituatur in esse statuæ, in quo constituitur per figuram, quæ est forma artificialis positiva realiter ab artifice introducta in tale subjectum.

524 Nec obest ampliùs, seu quòd ut unum corpus agat in aliud sufficiat contiguitas inter existentiam utriusque absque eo quòd in eodem loco se penetrent; seu quòd quævis entitas possit operari in loco à parte ante, & à parte post, adeoqué possit etiam operari in tempore utrinque immediato seu demum quòd gutta cavet lapidem non vi, sed sæpe cadendo, quo in casu guttæ, quæ præcesserunt, & amplius non existunt causant cavitatem in lapide.

525 Contra enim hanc triplicem objectionem est, & imprimis contra primam, & secundam, ratio dispar, quia res quæ ante immediatè existit, si modò non existat, modò tam est nihil, ac si non extitisset; unde modò non potest aliquid operari, non secùs ac si nunquam extitisset; defectus autem penetrationis agentis cum passo non tollit, quò minùs in agente includatur defacto virtus producendi, cùm non impediat continentiam effectûs in causa. Ad tertiam dico ultimam guttam eam esse, quæ introducit formam cavitatis in lapidem, priores verò solùm esse dispositivas subjecti ad introductionem talis formæ. Vel certè dici potest, & meliùs, quòd sicut forma cavitatis est divisibilis, ac successivè producitur, ita singulæ guttæ, dum cadunt, producant in lapide partem cavitatis suæ activitati correspondentem, non secùs quàm dum plures homines multis ictibus cedunt arborem, singuli habent effectum scissionis suis singulis ictibus correspondentem, licèt ultimò tandem attribuatur dejectio arboris.

Causæ Physicæ prioritas respectu effectûs.

526 CErtum circa hanc prioritatem nobis est imprimis, eam non esse prioritatem temporis, cùm plurimæ causæ sint, quæ eo ipso instanti reali temporis, in quo sunt, causent suos effectus; sic substantiæ omnes creatæ causant suas proprietates, Angeli suas intellectiones, Sol lucem eo ipso momento temporaneo, quo verum est de ijs dicere jam sunt.

527 Certum est præterea prioritatem causæ Physicæ non esse prioritatem originis, cùm ab ea distinguatur tanquam minus latè patens à magis latè patente; nam licèt ubi reperitur prioritas causæ reperiatur etiam prioritas originis, non tamen è contra, siquidem ex communi doctrina & sententia SS. PP. & Theologorum in Divinis datur prioritas originis, non causæ.

528 Certum amplius nobis est impossibile esse, ut aliquid habeat esse, & non à seipso, quin illud accipiat ab aliquo alio: sic ignis, quia habet esse, & illud à se non habet, necessariò illud habere debet ab alio.

529 Certum demum est repugnare, ut aliquid accipiat esse ab alio, quin illud aliud sit, potens dare illi tale esse; quod enim dat esse alteri, indubitatum est, quòd habeat virtutem, & potentiam dandi tale esse, quam virtutem repugnat, ut accipiat ab eo, cui dat esse. Unde clarè patet, prioritatem causæ necessariò importare defectum insufficientiæ ad essendum in illo, respectu cujus aliquid dicitur habere prioritatem causæ.

530 Et ob id nec datur, nec dari potest prioritas causæ in Divinis, quia personæ etiam procedentes ab alia, sunt identicè à se, sibique sufficiunt ad essendum; admittitur tamen respectu earundem prioritas, & posterioritas originis, per quam persona producens est origine prior productâ, ita tamen, ut talis prioritas non sit quæcunque prioritas, sed cum addito, prout abstrahit ab omni imperfectione & defectu insufficientiæ in eo, quod est origine posterius; quam imperfectionem, & defectum importat prioritas causæ, quæ quia communiter vocari solet prioritas naturæ, ex eo quòd sit secundum ordinem naturalem; ideò paucis inquirere libeat, quænam sit, & in quo consistat.

Physicæ prioritatis, quam naturæ dicunt, quidditas.

531 OMissis variorum de ea placitis, dicimus prioritatem naturæ in eo consistere, quòd causa, quæ dat esse effectui defectibili, ita origine sit prior effectu, ut in ipsa existentia causæ, non habeatur formaliter essentia effectûs actu existens quoad idem esse.

ſe. Argumentum id aſſerendi eſt, quòd per hoc prioritas cauſæ dantis effectui eſſe defectibile contradiſtinguatur à prioritate puræ originis, ſimulqué conveniat omnibus, quæ rationem Phyſicæ, & realis cauſæ participant, cùm ipſa ſit vera & realis prioritas, deturq; nemine cogitante; deinde fundatur in prioritate originis, à qua differt, quòd ex ipſa ſequatur effectus defectibilis; diſtincta pariter eſt tam à prioritate temporis, quàm à prioritate rationis, ſeu à ſubſiſtendi conſequentia, cùm per illam intelligatur realiter tota eſſentia, ſeu natura principij tunc habere rationem cauſæ, abſquè eo quòd intelligatur realiter actualis intrinſeca effectûs exiſtentia; ut cuiquè notionem habenti harum prioritatum conſtare poteſt: convenit item omni omnino Phyſicæ cauſæ reali, cùm quælibet ex illis ſit talis, quæ det eſſe defectibile ſuo effectui per defectibilem influxum, uti ex data ſuprà cauſæ definitione fit manifeſtum.

532 Nec obeſt quòd infrà dicemus idem poſſe eſſe cauſam ſuiipſius ſaltem quoad ſecundum eſſe, in quo caſu eſſentia effectûs haberetur formaliter actu exiſtens in ipſa exiſtentia cauſæ. Nam hæc inſtantia non urget, cùm addiderim ſignanter in concluſione, quoad idem eſſe, adeoqué licèt in dato caſu in exiſtentia cauſæ prioris naturâ habeatur ſpecificativè exiſtentia effectûs, nihilominus ea non habetur reſpectu ſecundi eſſe, quod ſufficit ad ſalvandam prioritatem naturæ; primum enim eſſe rei, ut dixi, involvit præter entitatem etiam formaliter primam actionem à ſe independentem; ſicut ſecundum eſſe præter ipſam entitatem involvit etiam actionem ſecundam dependentem à re ipſa, quæ à ſe cauſatur quoad eſſe ſecundum; ſicqué in primo eſſe non habetur formaliter adæquatè exiſtentia ſecundi eſſe.

Phyſica cauſa comparata cum ſuis effectibus.

533 COnferemus hoc loco ſolùm cauſam ſecundam cum effectu ſuo; nam in Metaphyſica aptior erit locus connexionem Cauſæ primæ cum creaturis examinandi; ubi de eſſentia entis abſoluti, & reſpectivi agemus. Ac proinde interea dicimus, quòd licèt probabile ſit, ob authoritatem plurimorum, eorumqué gravium Authorum cauſam creatam tranſcendentaliter referri ad effectum poſſibilem; longè tamen probabilius videri eandem cum effectu ſuo actuali tranſcendentaliter non eſſe connexam: à natura enim non eſt propter ipſum inſtituta primo & per ſe tanquam propter finem, & menſuram ſuæ perfectionis; uti patet univerſaliſſimâ inductione; & quidem in cauſis extrinſecis id certum eſſe videtur, quia ignis v. g. qui eſt cauſa efficiens caloris cùm ſit perfectior calore, & æquè perfectus, ac alius ignis, ad neutrum ordinari potuit, tanquam purum medium à natura, quæ imperfectiſſima tantùm ordinat ad magis perfectum. Deinde cauſa finalis, ut poſſit movere potentiam ad aliquem effectum non plus requirit, quàm ut non repugnet terminare aliquem actum appetitûs per modum motivi.

534 Tertiò quia cauſæ intrinſecæ ſi dicerent eſſentialem reſpectum ad actuale compoſitum, vel hoc haberent præcisè ex eo, quòd ſint præcisè cauſæ intrinſecæ, vel quia ſunt tales particulares cauſæ; primum dici non poteſt, nam quatuor aurei v. g. ſunt veræ cauſæ intrinſecæ numeri quaternarij, & tamen nullum eſt imaginabile fundamentum ponendi in illis aureis reſpectum aliquem eſſentialem ad numerum quaternarium: non etiam ſecundum; quia talem connexionem eſſentialem haberent quatenus ſunt conſtitutivæ talis totius, hæc autem conſtitutio non eſt eſſentialis reſpectus identificatus ipſis cauſis, cùm hæc conſtitutio aliud non ſit, quàm ipſa actualis cauſalitas cauſarum intrinſecarum, cum illis nullo modo identificata, ut infra oſtendetur.

535 Imò nequé cum effectu poſſibili ullo modo eſſentialiter connectitur cauſa creata; tum quia virtus cauſæ non magis connectitur cum effectu poſſibili, quàm objectum cum ſui cognitione, quia non magis effectu poſſibili indiget cauſa ad hoc ut ſit, quàm objectum cognitione; hoc autem implicante quacunqué cognitione idem maneret, ut conſtat, ergò etiam implicante quocunqué effectu entitativa virtus cauſæ non implicaret; adeoqué ſicut objectum non eſt ad cognitionem tranſcendentaliter, ſed eſt id ad quod eſt cognitio; ita virtus cauſæ non eſt ad effectum poſſibilem, ſed potius eſt id à quo eſt effectus.

536 Tum etiam quia imperceptibile videtur, quo pacto virtus entitativa cauſæ, quæ Phyſicè & realiter exiſtit poſſit dependere intrinſecè in ſuo eſſe ab effectu, qui non exiſtit, nec fortaſſe unquam extiturus eſt. Quinimò ſi entitas & virtus cauſæ eſſet eſſentialiter connexa cum poſſibili effectu, impoſſibile eſſet, ut hic effectus ponatur in rerum natura, abſquè eo quòd ipſe non eſſet eſſentialiter ab illa, cùm eſſentialiter eſſet determinatus ad illam, & viciſſim, adeoqué qui

hanc

hanc essentialem connexionem admittunt, contra propriam doctrinam, quam tradunt dum modos admittunt, loquuntur, cùm nullo sit opus modo, ubi est essentialis determinatio hujus causæ ad hunc effectum, nullaqué prorsus indifferentia, quæ omnino nulla est assignabilis admissâ hac essentiali connexione causam inter & effectum possibilem.

537 Tum demum tertiò, quia in tantùm causa haberet talem connexionem essentialem cum effectu possibili, in quantùm referretur ad ipsam entitatem effectûs actu exercibilem, vel ponibilem, quod dici non potest, quia si virtus productiva dicit essentialem ordinem ad aliquid, sine dubio dicet maximè ad illud, quod dicitur virtualiter in illa contentum, sed id quod est contentum in causa est ipse effectus producibilis, seu ponibilis, g° diceret relationem transcendentalem ad ipsam effectûs exercitam existentiam, quod multi Adversariorum nobiscum negant, & meritò ob rationes suprà adductas.

538 Nec obstat quòd virtus causæ cognosci à nobis nequeat absque effectu possibili; hoc enim oritur tantùm ex intellectûs nostri imperfectione, qui cùm virtutem causæ cognoscere non possit in seipsa, illam in suis effectibus cognoscit tanquam in signo. Quòd si intuitivam haberemus cognitionem virtutis causativæ, certum mihi est, quòd sicut in existentia causæ non est ipsa formalis existentia effectûs, ita etiam intuitivè cognosceremus virtutem intrinsecam causæ absolutam ab omni effectu. Ex quo tamen non sequitur virtutem causæ cum ipsis effectibus essentialiter connecti, sed potiùs effectus cum ipsa virtute causæ, cùm à tali connexione habeant, ut sint ejus causa cognoscendi.

539 Nec obstat rursus quòd si causa essentialiter connexa non esset cum effectu saltem possibili, effectus à priori per causam demonstrari non posset, quod est contra à nobis suprà dicta. Nam ad hoc ut effectus per causam demonstraretur sufficit necessaria connexio, quam quoad denominationem habet causa cum effectu, ex qua à posteriori cognita demonstrari potest sufficienter effectus possibilitas. Ubi observare libeat, quòd etiam in causis creatis distinguenda sit entitas, & perfectio causæ ab ipsa denominatione causæ; denominatio namqué præter entitatem causæ importat necessariò ipsam causalitatem; cùm igitur entitas & perfectio causæ realiter inadæquatè distinguatur à denominatione, non videtur esse ratio cur causa creata quoad entitatem, & perfectionem, absoluta omnino non sit, respectiva verò tantùm secundum denominationem, & secundum dici.

540 Quibus observatis facilè solventur multæ objectiones, quæ contra nostram fieri possunt conclusionem, desumptæ ex materia prima & forma, quæ dicuntur, & sunt entia incompleta, non in ratione entitativa materiæ, & formæ, sed in ratione solùm extrinseca, & denominationis; ad eum modum, quo in Metaphysica dicam, ubi agam de distinctione, quòd si Angelus esset impossibilis, homo non distingueretur ab Angelo quoad denominationem, sed solùm distingueretur ab Angelo quoad entitatem, quia hoc ipso quòd homo esset, haberet intrinsecam suam negabilitatem, vi cujus esset distinctus intrinsecè & entitativè ab omni eo, quod homo non esset; similiter materiâ deficiente omni possibili formâ, adhuc haberet intrinsecam suam entitatem, & perfectionem, cùm nulla forma sit causa materiæ entitativè acceptæ; siquidem illa à Deo solo creatur, independenter ab omni alio extrinseco concurrente ad talem creationem. Ex quibus sequitur, quòd

Physica causa in ratione causæ in actu primo Physico primò & per se

541 Constituatur per solam causæ absolutam entitatem: quod clarum fit vel ad ipsam solis lucem; sol namqué actu existens, antequam intelligatur & sit operans, intelligitur & est absolutè constitutus in actu primo Physico, in quo actu non constituitur, nec constitui potest per actionem, vel effectum possibilem, qui realiter non sunt; si enim per hoc constitueretur ens positivum intrinsecè, per realem negationem constitueretur; cùm causalitas, & effectus possibilis eodem planè modo se habeant respectu talis constituti, sicuti negationes; siquidem de utrisque simpliciter verum est dicere, non sunt.

542 Accedit, quòd causalitas, & effectus essentialiter oriatur ab entitate causæ, ut in actu primo constitutæ, implicat autem, ut oriatur à seipso, cùm implicet ut idem sit suimetipsius principium, & causa quoad primum esse, ut mox dicetur.

543 Nec obstat quòd sicut causa in actu secundo causans involvat essentialiter ipsam causalitatem, & effectum, ita in actu primo necessariò involvere debeat ipsam causalitatem, & effectum possibilem. Dispar siquidem ratio est, quòd causa in actu secundo, necessariò inferat aliquid plus, quàm in actu primo; infert namqué in illo actum com-

pletum, & quoad denominationem; quia involvit neceſſariò ipſum eſſe dativum, & acceptivum, reliquaſqué conditiones neceſſariò requiſitas ad actualem poſitionem effectûs.

544 Nec iterum obſtat, quòd implicante effectu cauſa illum producere nequeat; hæc enim impotentia non oritur ex ipſa entitativa virtute cauſæ intrinſeca, ſed ſolùm ab extrinſeco, ea ſiquidem eſt ex parte actûs primi potens dare eſſe effectui, cùm habeat omne id, quod intrinſecè ad id prærequiritur, ex parte cauſæ eſſentialiter; cui effectûs paſſiva poſſibilitas vel impoſſibilitas, omninò extrinſeca eſt, non ſecùs quàm actus ipſe ſecundus reduplicativè acceptus extrinſecus ſit ſaltem inadæquatè ipſi actui primo, quem præſupponit.

Phyſica una eademqué cauſa non poteſt exercere munus cauſæ materialis, & Formalis, formalis & efficientis reſpectu ejuſdem effectûs.

545 DIxi reſpectu ejuſdem, nam reſpectu diverſorum affirmativam qui tenent ſententiam, nullam pati poſſunt non ſolubilem facilè difficultatem. Ratio de cauſa materiali, & formali, eſt, quia cauſa formalis eſt ſemper actus ſubjecti à ſe diſtincti: & materialis è contrà eſt actûs à ſe diſtincti ſubjectum, adeoqué idem reſpectu ejuſdem non poteſt ſimul eſſe ſubjectum & actus: patet; nam eſſe cauſam materialem eſt eſſe quid determinabile, & eſſe cauſam formalem, eſt eſſe quid determinativum, quæ duæ rationes oppoſitæ nequeunt eidem convenire reſpectu ejuſdem. Ratio de cauſa efficiente & formali etiam facilè patet, quia cauſa efficiens formam efficit g° à forma effici nequit ſecundum idem, ſi enim effici poſſet, efficiens pariter eſſe poſſet cauſa ſuiipſius quoad idem eſſe.

Nec obſtat quòd ſaltem id non videatur
546 repugnare de abſoluta potentia. Repugnantia namqué exemplo mox eluceſcet; ſit forma ignis, quæ per divinam potentiam ſe ipſam producat, hæc licèt in tali caſu ſubiret rationem cauſæ efficientis implicaret tamen, ut exerceret rationem cauſæ formalis reſpectu ſuiipſius, cùm nulla cauſa formalis eſſe poſſit ſuiipſius forma, ſed neceſſariò eſt forma alicujus à ſe diſtincti. Imò nec univerſim loquendo verum eſt, quòd

Phyſicæ cauſæ poſſint ſibi invicem eſſe cauſæ.

547 VIdetur hoc clarè conſtare in ipſa materia, & forma, quæ nequeunt eſſe ſibi invicem cauſæ etiam in diverſo genere; nam ſi forma eſſet cauſa realis materiæ, ſequeretur materiam eſſe priorem ſeipsâ, quod implicat; patet tamen, quia materia priuſquam cauſet formam intelligitur exiſtere extra omnes ſuas cauſas, quarum una in data hypotheſi eſſet forma, adeoqué ante materiam præſupponeretur forma; præſupponerentur igitur, & quidem neceſſariò omnes cauſæ formæ, extra quas debet intelligi ipſa forma poſita, ſed una ex his cauſis formæ eſt ipſa materia, cùm nemo neget, quòd naturaliter loquendo forma materialis educatur ex potentia materiæ, præſupponeretur igitur materia realiter ante formam, atqué ſic ſi cauſaretur materia à forma, eadem ad ſeipſam præſupponeretur realiter, quod implicat.

548 Nec obeſt, quòd materia in ſuo genere, ſit cauſa materialis formæ, & viciſſim. Prius ſiquidem verum eſt, falſum poſterius: quia nempe materia à ſolo DEO creatur, ad quod nullum agens creatum concurrere poteſt.

549 Nec obeſt iterum, quòd cauſa finalis ſit propriè cauſa materiæ, & cur non pariter formalis? reſpondeo tum ob paulò ante dicta, tum quia non repugnat, imò neceſſe eſt eundem finem eſſe priorem in intentione, & poſteriorem in reali executione; Sic enim eſſe prius & poſterius eſt ſecundum quid tantùm, & reſpectu diverſorum. Verùm ut de materia, deq; alijs cauſis magis in particulari quædam ſcitu neceſſaria expediamus, ordiemur à materia ipſa, utpote quæ prioritate præſuppoſitionis ſibi primum inter reliquas locum vendicat; ea cùm dupliciter conſideretur à Phyſico, & ut principium eſt, & ut cauſa Phyſica, nos ne entia multiplicemus, eademqué ſæpiùs repetamus, indiſcriminatim illam conſiderabimus: & imprimis quidem

Phyſici materialis principij, & cauſæ exiſtentiam, & quidditatem Phyſicam.

550 HUjus nomine intelligimus ſubſtantiam aliquam formali Phyſico actu carentem, entitativo tamen prædítam, indifferentem ad omnes formas, non ſecùs ac ceram ad omnes figuras; permanentem in omnibus generationibus, entiaqué omnia naturalia, quæ ob ipſam materialia dicuntur, tanquam partem eſſentialem componentem,

551 Quam dari evidenter colligitur primò ex ſubſtantiali corporum tranſmutatione; inquieta enim variaqué illa, & ſemper conſtans rerum naturalium diſcordia, quâ mutuum ſibi interitum moliuntur, neceſſariò arguit aliquod primum ſubjectum permanens; ignis namq;

namq́; v. g. à ligno sibi applicato dispositiones ligni naturæ consentaneas expellit, & in eo siccitatem, calorem, aliasqué dispositiones contrarias causat, quod propter finem alium non fit, quàm ut ex materia prima ligni formam expellat, locoq́; ejus formam igneam introducat.

552 Si enim propter tale subjectum permanens non foret talis discordia inter res naturales, illa attribui deberet, vel quantitati, vel loco, vi cujus illæ se non compaterentur: non primum, quia sic transiret quantitas de subjecto in subjectum, quòd illi tribui nequit, cùm nec tribuatur formis substantialibus talis transitus, ut certum est contra Pythagoram, ejusq́; assecias transmigrationem animarum admittentes. Non etiam secundum, quia alioquin forma producta intenderet solum removere à loco præexistentem, in quantum per accidens ageret, quia illi spatium in quo maneret non supereſſet; non secùs quàm lapis, quando per impulsum eijcitur è loco, quem occupat, imprimit impulsum corpori immediato, ut sibi locum præstet; quod dici non potest contingere dum ex ligno v. g. fit ignis; advenienti namq́; formæ ignis, formæ ligni non locum solùm, sed subjectum ipsum cedit, ad hoc ut verè fiat, & dicatur lignum converti in ignem.

553 Ulteriùs demonstrant nobis tale subjectum dari in natura necessariò: primò humanum compositum ex anima rationali, & corpore organico essentialiter constans: secundò Ars ipsa Naturæ æmula nunquam quidquam producere potens nisi ex præsupposito subjecto. Tertiò alterationes, & mutationes accidentales, quas in nobis, & rebus omnibus experimur; quæ forent omnino inutiles, cùm finem propter quem primò fierent, nullum haberent. Quartò discordia ipsa rerum naturalium, quæ esset frustranea, cùm ablato subjecto nullus finis illius sit assignabilis, ut paulò antè est dictum. Quintò compositio ipsa substantialis entium, quæ maximè elucet in analysi, seu resolutione eorundem. Sextò demum imbecillitas, & impotentia agentium naturalium non potentium ex nihilo simpliciter quidquam producere, aut in nihilum redigere.

554 Nec obest, quòd in rebus Physicis debeamus saltem originaliter sequi judicium sensuum; per sensum autem non percipimus, quòd materia remaneat in mutationibus substantialibus, sicut in accidentalibus; in mutatione namqué artificiali, quâ ex asseribus fit pulpitum, manifestè remanent asseres &c. in mutationibus autem substantialibus quibus ex ligno fit ignis, ex ovo pullus, ex cadavere vermes, ex semine lactuca &c. neq́; lignum, neq́; ovum, neq́; cadaver, neq́; semen, neq́; aliud subjectum, quod priùs fuerit sentimus remanere.

555 Verùm quid sentiendum sit de judicio sensuum, etiam in rebus Physicis, jam suprà est dictum, adeoq́; licèt non remaneat materia secunda sensibilis nobis ob accidentia, per quæ sensibilis redditur, manere tamen ipsam materiam primam, ratione, quæ defectum sensuum corrigere, aut supplere debet, evincitur; non secùs quàm cùm cera ex quadrata fit rotunda, non remanet secundum esse quadrati, remanet verò secundum potentiam ut sit rotunda, & talis constituitur actu per rotunditatem succedentem quadraturæ; sic ignis dum fit ex ligno; materia ignibilis, quæ esse poterat & ignis, & non ignis remanet secundum potentiam, per quam ignis esse poterat, & constituitur actualiter ignea per formam ignis, quæ succedit formæ ligni; sicut igitur cera rotundabilis remanet, & transfiguratur ex una figura in aliam, sic materia ignibilis remanet & transformatur ex una forma substantiali in aliam.

556 Neq́; obest ampliùs, quòd Agens creatum possit facere, ut forma, quæ non erat sit, adeoq́; videtur & posse facere, ut subjectum quod non erat sit, cùm non videatur magis difficile factu unum, quàm alterum. Dispar namq́; est ratio, quia Agens naturale educit tantùm formam, quæ in subjecto erat virtualiter, à non esse actuali ad esse actuale, quod facere cum subjecto ipso nequit, nisi admittatur vel dari subjectum ad subjectum, & sic processus in infinitum; vel quòd faceret illud ex nihilo subjecti simpliciter, quod excedit vires creati agentis, cujus virtus ad hoc est restricta, ut solùm ex mobili faciat motum, ex figurabili figuratum, ex subjecto formam.

557 Neq́; demum obest, quòd *posito tali communi subjecto in natura, dici posset*, omnia entia naturalia posse in se invicem transmutari, adeoq́; Poëticas ab Ovidio excogitatas metamorphoses luxuriantis ingenij partus non esse, sed veros & reales naturæ effectus. Hoc etenim verum esse constat ex eo, quòd vel immediatè, vel mediatè fieri possint, & connaturaliter fiant hujusmodi transmutationes; sicut enim ex quocunq́; loco ire quis potest ad alium quemcunq́; locum eundo per spatia intermedia; ita ex quocunqué ente fieri potest transmutatio in quodvis aliud, non quidem immediatè semper, sed viâ debitâ ac naturali transeundo scilicet per mutationes medias: sic musca converti potest in oculum hominis, sed mediatè, si nempe comedatur à gallina, & ex illa fiat ovum, & ex ovo pullus, & hic comestus

mestus ab homine nutriat, & augeat illius oculum.

558 Idemq; dicendum de rebus alijs quibusvis, quæ ob subjectum commune ita constitutæ sunt, ut ex una fieri possit transitus ad aliam, vel immediatè, ut dixi, prout contingit in pulvere pyrio, qui in momento mutatur in ignem, & in vino, quod licèt repente convertatur in acetum, mediatè tamen tantùm redit ad esse vini; siquidem ad talem naturalem reditum, opus est ut aceto irrigetur vitis, quæ ipsum ad se attrahet, & mutabit in proprium succum, deinde in uvam, postea in mustum, & tandem rursus in vinum: quod ipsum verificatur in rebus quoq; moralibus, in quibus experientiâ constat, quòd boni & probi facilè corrumpantur à malis, qui posteà non minori difficultate redeunt ad bonitatem amissam, quàm acetum ad esse vini; & hinc fundamentum habet illud Theologicum axioma; Idololatras faciliùs ad fidem converti Christianam, quàm Mahometanos, & Turcas, quia horum impia secta ex Christianæ Fidei corruptione fuit orta. Ex quibus sequitur imprimis

Physicum Materiale Principium, seu Causam non esse ens aliquod Mathematicum, aut Metaphysicum, multò minùs ut quidam Aristotelis osores calumniantur, ens rationis.

559 Cùm enim illud esse ostenderimus substantiam incompletam, & determinabilem à forma, aptamqué cum illa facere ens unum per se à natura intentum, tanquam primum omnium operationum principium, finemq; ultimum omnium accidentium, rectè concluditur eam non esse ens aliquod Mathematicum; siquidem si tale ens esse deberet, esset pura quantitas, quod dici non potest; tum quia ex quantitate & forma substantiali fieri nequit ens aliquod per se, tum quia quantitas in Hostia consecrata remanet pereunte materiâ, adeoq; esse non potest primum formarum subjectum, cùm sit quid ad hoc consequens, & ab ipso realiter distinctum, ut suo loco dicetur.

560 Sed neq; esse potest ens quodpiam Metaphysicum, cùm hoc aliud non sit, quàm gradus quidam abstractæ substantiæ contractus Metaphysicæ ad esse corporis per differentiam corporeitatis, & potius in prædicamento substantiæ, qui gradus sic conceptus species est completa, qualis Physicè spectata nec est, nec esse potest materia.

561 Nec obstat quòd materia constet genere & differentiâ Metaphysicâ, cùm definiri possit; nam per talem differentiam non constituitur in esse corporis Metaphysici, sed in esse talis entis incompleti, quod juxta nostrum concipiendi modum in ipsa sua incompletione est quodammodo completum; cùm ex accidente, & substantia nonnisi ens accidentale possit consurgere.

562 Multò minùs ens aliquod Chymæricum, seu rationis, cùm in suis, quos assequi possumus, objectivis conceptibus nullam importet implicantiam, nullamq; vel ad apparentiam umbram contradictionis; prout constabit ex mox dandis ejusdem conceptibus definitivis. Sequitur deinde

Physicum hoc materiale principium nec esse posse ipsa quatuor elementa.

563 HOC suadet ipsa transmutatio cui subsunt ipsa elementa omnia in se invicem vel immediatè, vel mediatè transmutabilia, prout constat ex aqua, & igne, quæ mutantur in aërem, & vicissim. Cùm experientiâ constet quòd spiritus aërei in cavernis subterraneis inclusi in guttas aqueas resolvantur; certum est præterea, quòd in pluribus Provincijs aquæ solidentur in saxa, in arbores, in metalla: quòd glacies quæ substantialiter est aqua, convertatur in crystallum; quòd ex aqua concrescat lapis qui modico affrictu mox convertitur in ignem: quòd ex aqua superfusa in quibusdã regionibus terra statim ignescat; quòd ex ligno fiat terra, & è contrà, item quòd ex igne fiat carbo, & rursus ex carbone ignis &c. ex quibus certò colligitur elementa ipsa non posse esse primum subjectum, seu materiale principium substantialium transmutationum, cùm in nulla substantiali transmutatione illud pereat, sed maneat, quod non contingit in elementis in se invicem transmutabilibus.

564 Nequé obsunt Chymicorum experientiæ, ex quibus primò constat defacto Elementa multis corporibus esse permixta; secundò quòd cineres, quò magis accedunt ad terram eo minùs converti possint in ignem. Tertiò quòd aqua dum dicitur mutari in aërem non nisi accidentaliter differat à seipsa; si enim frigescat vapor ille aqueo-aëreus vel per applicationem ad aliquod corpus frigidũ, uti contingit tempore hyemali in vitreis fenestris, vel ob frigus aëris circumambientis, uti accidit in nubibus, rursus convertitur in aquam &c.

565 Nam hæ experientiæ non sunt adeo insolubiles, ut propter eas recedere debeamus à receptissima Aristotelis sententia. Prima enim etsi probet defacto multa alia corpora permixta esse elementis, non tamen probat, quòd quando ex aqua fit lapis, ex lapide ignis, aqua etiam ipsa, cui permixta sunt alia, non fuerit transmutata unà cum illis alijs in lapidem; cùm non tantùm ea quæ aquæ commix-

ta sunt, sed totum omnino commutetur in lapidem.

566 Altera nihil probat, cùm contrariâ experientiâ constet ex cineribus, & arena vitrum produci, ex quo exiguo cum labore potest facilè etiam ignis educi, sicq; cineres in ignem saltem mediatè transmutantur.

567 Tertia similiter vix quidquam probat, præterquam quòd dentur etiam transmutationes accidentales; quas dari sponte fatemur, non autem probat non transmutari aquam in aërem, & vicissim etiam substantialiter, ut contrariæ supra allatæ manifestè probant experientiæ.

Physicum materiale principium nec est, nec esse potest quinta, quam frustra Chymici inquirunt, essentia.

568 HAnc enim qui reperire tentârunt, seriò licèt, sed serò coacti tandem fuêre hactenus ingeminare illud: Oleum & operam perdidimus: & quid mirum? cùm enim verum sit nullum dari corpus Physicum simplex, præsertim in sublunari mundo (quidquid sit hoc loco de superlunaribus) necessariò essentia illa Physica, estò per varias elambicationes depuretur, quantùm humanitùs fieri potest, non tamen ita depurari poterit, ut non maneat essentialiter composita; cùm remaneat, uti ipsi fatentur Chymici, subjecta alicujus agentis activitati; hoc ipso namque quòd recipere possit in se actionem, debet in se habere materiam, quæ est subjectum primum uniuscujusque; adeoqué cùm hæc dari nequeat sine forma, suam habebit substantialem formam, & consequenter ex hac, propriaqué subjecti entitate composita erit, & si informabilis varijs formis alterativis accidentalibus, aliter se non habebit, quàm se habeat substantialiter composita cera respectu figurarũ, in quas per accidens transformari potest.

569 Proinde cùm prima materia, utpote substantia, & quidem omni actu formali Physico carens, sensibus ullis haud sit cognoscibilis primò & per se; imò nec ab ipso intellectu nostro, perfeitate immediationis; intellectus enim seu anima nostra in corpore existens, dependet, ut ex dictis suprà patet, in suis cognitionibus ab operationibus sensuum, qui cognoscere non possunt, nisi accidentia, superficietenus substantijs inhærentia; nihilominus per se, & secundum se conceptu proprio, & quidditativo quòd sit

Physica materia prima à nobis cognoscibilis.

570 COnstat tum ex eo, quòd sit simpliciter ens, utpote & terminus Divinæ Creationis, & pars cum alia comparte apta cõstituere totum unum per se; qualem esse materiam nemo non admittet, nisi qui erroneam in Philosophia Averrois sententiam suprà refutatam, sequi amat. Tum quia illius essentiam, & naturam explicare novimus per essentialem ejus definitionem; & quidem dupliciter, nempe positivè sic: est subjectum primum formabile formis omnium entium naturalium præsertim sublunarium, & constituibile in qualibet specie, ac individuo corporum; seu ut habet Aristoteles 1° Phys. est primum subjectum uniuscujusq; ex quo fit aliquid cùm insit non secundum accidens: & si aliquid corrumpitur in hoc abibit ultimum.

571 Quâ definitione, vocibus quidem diversâ, re autem unâ eâdemq;, ritè naturam materiæ explicari constat tum inde, quòd sicut limus, seu argilla est subjectum quod figurari potest quacunq; figurâ, & esse quodcunq; figuratum, ac cujuscunq; speciei, hominis, equi, leonis &c. triangularis item, quadratæ, pentagonæ, rotundæ &c. sic ipsa materia talis est, ut sit capax formari formâ substantiali cujuscunque compositi, & per illam constitui in specie, seu individuo cujuslibet entis naturalis; sic subesse potest formæ equi, deinde cadaveris, postea terræ, hinc graminis, & demùm rursus equi, ut constat ex supra explicatâ ratione substantialis transmutationis.

572 Ac propterea ab Aristotele dicitur subjectum, ut ostendat eam esse ens substantiale; licèt enim quantitas etiam dici possit subjectum accidentium communium, non tamen ea talis est, nisi cum addito, accidentale; ideoq; non primum, neq; substantiale, cùm alteri subjecto primo, & per se stanti innitatur. Fortè etiam quis dicere potest eam dici subjectum primum, ut distinguatur tum ab anima rationali, quæ licèt sit subjectum suarum intellectionũ, non tamen est primum subjectum, cùm supponat materiam pro suo primo subjecto receptionis & informationis.

573 Sicut & dici potest addi, ly primum, ad excludendam materiam secundam, & proximam; ly verò, cujusq;, denotat capacitatem, seu potentialitatem materiæ ad quascunque formas; additur ex quo fit aliquid, tum ut denotetur materiam primam esse veram & propriam causam formarum materialium, naturaliumq; compositorum. Tum ut excludantur extrinsecæ causæ, cùm propriè non dicantur res ex illis fieri; ex arculario enim non fit cathedra, sed ab arcularios: non ex fine, sed propter finem; non ex idæa, & exemplari, sed ad, & juxta idæam, ac exemplar, quod ipsum colligitur ex adnexis particulis, cùm insit, per quas & illæ, & privatio ipsa à ratione primi subjecti excluduntur, cùm illis denotetur materiam esse partem essentialem, & physicam

compoſiti ſubſtantialis, quod cum forma mediante unione intrinſecè conſtituit. Per reliqua additamenta, arcentur procul à ratione primi ſubjecti diſpoſitiones, & accidentia; refellitur temeritas Averrois aſſerentis materiam eſſe formæ vehiculum, & denotatur ipſa materiæ primæ incorruptibilitas, quæ eadem ſemper manet ſub quibuſcunq; tranſmutationibus.

574 Neq; ſolùm poſitivè hanc novimus eſſe, & explicare naturam materiæ, verùm & negativè, dicendo: materiam primam nequé eſſe quid, neq; quantum, neq; quale, nequé aliud quidpiam, quibus Ens determinatur, neq; eorum negationes: ſed id ex quo omnia.

575 Cujus explicationis definitivæ ſenſus eſt. Materiam eſſe primum, uti diximus, ſubjectum, per ſe non informatum phyſicâ aliquâ formâ, cùm ſecundum ſe neq; ſit aqua, nequé ignis, neq; equus, neq; homo &c. poſſit tamen eſſe per formam horum quidlibet: nequé eſt quantum, hoc eſt neq; palmare, nequé bipalmare, nec trigonum, nec quadratum, etſi poſſit per quantitatem palmarem palmaris, per figuram triangularem trigona conſtitui: neq; eſt etiam quale ſecundum ſe; cùm ſeipsâ nec alba ſit, nec nigra, ſed poteſt tamen per albedinem eſſe alba, per nigredinem nigra; nequé aliud quidpiam, per quod ens determinatur, hoc eſt nec modus ullus, nec forma, nec figura, nec accidens aliud, imò neq; horum negationes, cùm unamquamq; formam, & formæ cujuſvis negationem ſecundum ſe admittere non recuſet. Ex his porrò ulterius inquirimus, in quonam conſiſtat

Phyſicæ Materiæ primus & formalis conceptus.

576 ET reſpondemus videri probabilius conſiſtere formaliter in ipſa poſitiva potentialitate, vi cujus eſſe poteſt pars eſſentialis compoſiti perfectibilis per aliam compartem mediante unione. Per hunc enim intelligitur materia in ſuo eſſe abſoluto conſtituta, & fundamentaliter diſtincta ab omni eo quod materia non eſt, cùm per ipſum intelligatur habere ſuam entitatem, & prædicata eſſentialia intrinſeca, eſſequé independens à forma, quæ de ſe nec eſt, nec eſſe poteſt ordinata ad dandum materiæ entitativam perfectionem, nec cum hac realiter intrinſecè, & eſſentialiter connexa, ſed abſolutum principium omnium earum, quæ materiæ eſſentiam neceſſariò conſequuntur, proprietatum, ac paſſionũ.

577 Elucidatur id tum à paritate ipſius formæ, cujus primus formalis conceptus conſiſtit formaliter in ipſa actualitate, & perfectivitate compoſiti mediâ unione; tum ex natura ipſa dratium compoſiti: quod illæ componunt per communicationem, & dationem ſuæ propriæ entitatis, quam ipſi communicant mediâ unione, per quam fiunt entitates totius, & ceſſant juxta noſtrum intelligendi modum eſſe in ratione partis.

578 Cùm igitur materia, quæ per omnia ſua prædicata intrinſeca terminat in compoſito unionem ad formam, ſe totam, cum omnibus ſuis prædicatis toti exhibeat, & vice versâ forma per modum actualitatis eidem ſeſe tribuat, benè dicimus quòd materiæ primus formalis conceptus conſiſtat in ipſa potentialitate, utpote primâ radice, & principio omnium, quæ materiæ conveniunt, fundamentaliq; diſcretivo ejuſdem ab omni alio, quod materia non eſt. Atqué ex his rectè inferimus, & dicimus quòd ſit

Phyſica Materiæ entitas, etiam Phyſicè ab entitate, & exiſtentia Formæ diſtincta.

579 HOC ipſo namq; quòd ſeparari poſſit, imò defactò ſeparetur à forma, ut conſtat in diſſolutione humani compoſiti, cujus utraq; eſſentialis pars ab altera poſt ſeparationem exiſtit; cæteræq; formæ materiales ſaltèm divinitus exiſtere poſſunt ſeparatæ à materia; neceſſariò infertur veritas noſtræ illationis; & quidem non ſolum in veriori ſententia identificante exiſtentiam rei cum ipſa eſſentia & entitate rei; ſed etiam in opinione eſſentiam, & exiſtentiam ab invicem diſtinguente; cùm enim materia & forma ſint termini actionum diverſarum, neceſſe eſt factâ quacunqué hypotheſi, ut quævis habeat propriam ſuam exiſtentiam ab exiſtentia alterius realiter diſtinctam.

580 Quòd autem ſint diverſarum actionum termini, concedere debent adverſarij, ne ſibimet ipſis contradicant, dum docent materiam creatam eſſe à DEO ex nihilo tam ſui, quàm ſubjecti, formas verò maximè materiales ex materiæ potentia defactò educi ab agentibus naturalibus, & non creari; materia autem per illos ſecundum eſſentiam dici nequit creata, ergò dici debet ſecundum ipſam exiſtentiam creatam fuiſſe, adeoq; exiſtentia materiæ, eſtò diſtincta ab eſſentia foret, ab exiſtentia formæ, utpote termino diverſæ eſſentialiter actionis, realiter erit diſtincta.

581 Accedit, quòd per ipſos Materia ab agentibus naturalibus ingenerabilis ſit, & incorruptibilis; talis autem non foret, ſi per exiſtentiam formæ exiſteret; quoties enim ab agente naturali acquireret, vel amitteret formam, toties acquireret, vel amitteret novam exiſtentiam, amittendo autem, & acquirendo novam exiſtentiam ipſa neceſſariò mutaretur intrinſecè, & de novo produceretur, cùm in-

tan-

tantum aliquid dicatur de novo produci, in quantum novam acquirit existentiam realem; quam acquirere non potest nisi per novam sui productionem, ut est clarum.

582 Et ut alias, easq; valde efficaces rationes præteream, quæ desumi possunt ex eo, quòd forma sit effectus materiæ, quòd omnis causa, ut causet, debeat necessariò existere; quòd mutua non detur naturaliter in causis causalitas, quoad idem primum esse; unicâ adhuc illationem nostram confirmare juvet ratione, inde deductâ, quòd materia pro priori naturæ, quo est, & intelligitur dispositа ad recipiendam formam, ejusq; existentiam, non possit non esse, & intelligi realissimè existens; nequit enim disponi per accidentia ad formæ receptionem, nisi ut existens; siquidem sic disponi est eam reddi quantam, qualem, ubicatam, durantem &c. quod impossibile est fieri, nisi sit & intelligatur existens, quo enim pacto esse potest quantum, quale, ubicatum, durans aliquid quod existens non est? tam parum sanè quàm panis, vel vinum esse queat dulce, coloratum, album, nigrum, forte, jucundum gustui, quod non existit. Et certè si subjectum per accidentia disponi & ab ijs denominari posset absq; eo, quod existeret, falsum omninò esset, quòd accidentia Eucharistica essent sine subjecto cui insint, & quòd denominét: quod enim Fides docet, tantùm est, subjectũ accidentium Eucharistiæ post Consecrationem non existere quod in sententia adversariorum obesse non potest, quo minùs accidentia Eucharistica illi subjecto non insint, uti anteà, cùm per eos non requiratur ad hoc existentia subjecti. Quæ cùm concedi nullatenus possint, concedendum necessariò est existentiam materiæ in quacunque hypothesi ab existentia formæ realiter esse distinctam.

583 Neq; adversantis sententiæ rationes multum urgent; authoritas namque Aristotelis, quam plurimum exaggerant, docentis materiam esse puram potentiam, facilè salvatur dicendo, quòd physicè materia solùm sit pura potentia passiva substantialis, quæ ita patiatur, & recipiat formas physicas substantiales, ut ipsa nulla sit talis forma, prout suprà jam est declaratum.

584 Ratio deinde illa, quam adferunt, quòd sicut in tota latitudine entis reperitur aliquid, quod est purus absolutè actus entitativus, & nullam habet potentialitatem, sic etiam in eadem latitudine entis debeat esse aliquid, quod sit in pura potentia, & nullum omninò entitativum actum habeat, cujusmodi ens esse materiam defactò dicunt, cùm aliud non sit assignabile. Hæc enim ratio si quid probaret, probaret etiam materiã primam ab alio non debere produci, nec ab alio debere conservari.

585 Deinde esto aliquid illa probet, falsum tamen est quòd subsumit, defactò namque assignari potest Ens in statu puræ possibilitatis sumptum, quod nullum esse entitativum positivum vel actu nunc habet, vel unquam habebit; materiam verò dici, vel esse hujusmodi Ens repugnat in terminis, eò quòd & actu illa sit receptiva formæ substantialis, ad cujus eductionem in genere causæ materialis ipsa concurrit; & fuerit terminus creativæ actionis, per quam producta ex nihilo est; & actuale sit entitativè ens defactò in rerum natura.

586 Nec aliæ, quas Adversarij conglomerant objectiones efficaciores allatis sunt; nam id quod dicunt, ex duobus entibus in actu non posse fieri unum per se; verum tantùm est de entibus in actu completo; ut ipsi Adversarij dicere coguntur; dato enim, non concesso, quòd materia, ut ipsi volunt, existeret per existentiam formæ, adhuc per illam fieret ens in actu, non secùs, quàm si duo parietes eâdem numero albedine dealbarentur, essent duo actu alba: Sic materia, & forma, estò haberent eandem existentiam, essent duo actu existentia, adeoq; argumentum ipsorum pro nobis contra eosdem, qui illud adferunt, pugnat. Sicut & aliud, quo dicunt sequi ex nostra sententia, compositum non habiturum unam existentiam; nam pari ratione ex eorum sequitur sententia, compositum non habiturum unam essentiam, sed duas, cùm etiam per illos, alia sit essentia materiæ, alia formæ; quemadmodum ergo ex duabus essentijs incompletis fieri posse unam concipiunt, ita etiam ex duabus existentijs incompletis, seu identificatis, seu non identificatis cum essentijs, concipere possunt, si velint, quomodo fiat una existentia completa &c. ex his tamen

Physicè, & naturaliter non potest materia existere, privata omni formâ.

587 ITA post Aristotelem Peripateticorum tenet communis consensus; cujus probabilitatis rationem etsi non habeamus evidentem, sufficientes illæ tamen, ad hoc probandum videntur; seu quæ desumuntur à paritate formarum materialium, quarum perfectio, etsi multùm excedat perfectionem materiæ, eas tamen connaturaliter existentes absq; materia reddere nequit; seu quæ adducitur à pari de natura præsertim humana non potente naturaliter esse absq; subsistentia; seu demum, quæ adfertur ex imbecillitate virtutis agentium naturalium, quæ ita operantur, ut dum privãt materiam formâ, aliam formam necessariò in illam introducant, ut universalissimâ constat inductione, & experientiâ fundatâ in certo illo principio physico: natura nunquam

inten-

intendens ad malum operatur; id eſt, deſtructionem nunquam unius formæ propter ſe, ſed propter alterius introductionem molitur.

588 Nec obeſt ſecundæ rationis probabilitati, quòd anima rationalis, etſi ſit ens incompletum, poſſit tamen naturaliter, & citra miraculum exiſtere. Diſparitas ſiquidem eſt, quia anima exiſtens ſine materia habet excellentiſſimas ſuas operationes, à materia omnino independentes, & quas non poteſt connaturaliter exercere, niſi extra materiam; corpori enim unita anima nequit ullam ſubſtantiam, vel rem ullam ſpiritualem intuitivè cognoſcere, quod tamen facit ſine corpore; materia autem prima nullas habet operationes alicujus momenti, quas abſque forma poſſit exercere.

589 Nec obeſt probabilitati tertiæ rationis, quòd illa tantùm probare videatur, materiam, habitâ ſemel formâ, vi agentis naturalis ſpoliari non poſſe, non verò quòd non potuerit produci, & ſic producta eſſe abſq; formis connaturaliter. Nam contrà eſt, quòd eâdem ratione fingi poſſet hominem potuiſſe creari abſque potentia intellectiva, quâ ratione dicitur materiã creari potuiſſe abſq; quantitate: licèt nec materia prima ſine quantitate; nec homo potentiâ intellectivâ ab ullo agente naturali privatus exiſtere poſſit: quæ ſequela maximè in ſententia adverſariorum locum habere debet, cùm per illos potentia intellectiva ſit quædam proprietas rationalis animæ ab ipſa realiter diſtincta.

590 Nequé demum obeſt probabilitati allatarum rationum, quòd ideò non poſſet exiſtere materia ſpoliata omni formâ, quia exigeret naturaliter ſuam deſtructionem, quæ ratio nihil urget, cùm omnia ſui conſervationem potiùs exigant, quantumvis exiliſſimæ ſint entitates. Falſa ſiquidem eſt aſſumpta cauſalis; cùm ideò tantùm ſic ſpoliata materia exiſtere non poſſit, quia exigentia totius univerſi, bonumqué, & ordo rebus à Conditore in eo præfixus efficit formaliter, ut materia nunquam ſine forma exiſtat. Imò objectio illa probaret etiam, quòd accidentia Euchariſtica defacto conſerventur naturaliter ſine ſubjecto, quia non exigunt ſui deſtructionem, in quocunq; ſint ſtatu; & conſequenter probaret nihil divinitus conſervari poſſe, quod etiam naturaliter non poſſit. Quibus tamen non obſtantibus adhuc ulteriùs inferimus, & dicimus, quòd

Phyſicè de abſoluta Dei potentia poſſit Materia conſervari, & exiſtere abſq; omni forma.

591 PRæter Argumentum à non repugnantia; & difficultatem, quæ eſt in oſtendendo, cur id naturaliter non fiat; ratio poſitiva nobis ſuadens eſt, ipſa entitas exiſtens materiæ independens entitativè, & abſoluta omnimodè intrinſecè ab ipſa entitate formæ, cum qua, hôc ipſo, quòd ejus cauſa ſit, nullum habet eſſentialem nexum. Præterea ratio à comparatis quâ conſtat materialem formam exiſtere, & conſervari poſſe divinitus extra omnem materiam; itemq; defacto formas accidentales materiales miraculosè eſſe, & exiſtere abſque materia, perſuadet facilè cuivis materiam, quæ ex dictis eſt entitas ſubſtantialis, etſi incompleta, conſervari, & exiſtere divinitus poſſe abſque omni forma, utpote quæ ſecundum ſe eſt perfectior quocunque accidente. In quo caſu miraculum foret, quoad modum tantùm, non autem quoad ſubſtantiam ipſam actionis conſervativæ taliter ipſius materiæ formâ exutæ.

592 Quòd quoad modum miraculum teneret ſeſe ex parte ſolius negationis dationis formæ; non autem ex parte conſervationis materiæ; ſiquidem eſſe miraculoſum quoad modum eſt ita eſſe, ut non excedat vires naturæ ipſius, tametſi in talibus circumſtantijs non exigatur à natura; cùm igitur nec vires intrinſecas materiæ excedat ſimpliciter talis conſervatio; tam parùm, quàm creatio, per quam eſſentialiter produci poſtulat; nec in tali caſu majus aliquod eſſet miraculum, quàm vel fuerit in conſervatione ignis abſque combuſtione; vel in illuminatione cæci nati, quæ ſunt ſolùm miracula, juxta Theologos omnes, quoad modum tantùm; benè illatum à nobis eſt, poſſe ſic ſupernaturaliter quoad modum exiſtere materiam abſque forma omni ſubſtantiali. Dixi ſubſtantiali, ut abſtraherem hic & nunc ab illa quæſtione, utrum ab omni forma accidentali, v. g. abſq; actione, duratione, & ubicatione conſervari poſſit quoad modum tantùm, an potius requireretur etiam influxus quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. De quo alibi.

593 Nequé obeſt illationi, quòd DEUS nequeat ſupplere defectum cauſæ Formalis, cùm nequeat facere album ſine albedine, hominem ſine anima rationali. Nam conſequentia, quam ex hoc antecedente inferunt, æquivocatione laborat: aliud ſiquidem eſt comparare formam cum toto, cujus eſt pars eſſentialis; aliud cum materia, cujus entitativè acceptæ, forma nec pars eſt, nec cauſa. Imò ſi quid probaret hoc argumentum cui potiſſimum fidunt adverſarij, probaret contra ipſos pariter formam ſubſtantialem non poſſe exiſtere abſque materia, eò quòd DEUS nequeat ſupplere defectum cauſæ intrinſecæ, ipſiuſqué intrinſecum effectum.

594 Ne-

594 Nevè rursùs in nos machinam convertere moliantur dicendo, quòd rationes nostræ probent simpliciter eam existere posse etiam naturaliter absque omni forma; cùm sic videamur asserere nec à priori, nec à posteriori materiam dependere à forma; Dico enim quòd etiamsi verum sit hoc ultimum; attamen connaturaliter existere non posse juxta præsentem rerum ordinem sine forma exinde probatur, quòd exigentia universi, ipsiusqué ordinis naturæ, ob cujus pulchritudinem, & varietatem, inter res omnes creatas talem subordinationem constituit Natura & Universi Author; à qua subordinatione extrinsecâ præscindendo, si res ipsæ secundum se, & absolutè spectentur, non video cur sequela concedi non possit.

595 Verùm quia contra præscriptum Authoris naturæ nemo quidquam potest nisi ipse Conditor dispenset, consequenter habemus', quòd licèt res inter se connexæ non sint essentialiter & intrinsecè, existere tamen nequeant juxta præsentem rerum ordinem, nisi summus ipse earum moderator & Factor, pro summa, quam habet in opera sua, potestate, absolutissimoqué dominio legem, ordinemq; abroget. Quam existimamus præcisam esse rationem cur naturaliter materia non possit esse sine forma, sol sine luce, ignis sine calore; quæ omnia solùm se habent ad existentiam materiæ, solis, ignis, velut conditio sine quâ non Atqué hinc materiam primam posse esse, & existere in alio rerum ordine absque forma omni substantiali saltem fit valdè probabile, cùm, ut statim dicam, ita possit augeri perfectio materiæ, ut non egeat ullatenus consortio formæ, quæ sic potest superari comparativè à perfectione materiæ, ut hæc sit multò entitativè accepta perfectior formâ ex ipsa educibili. Et propterea ad hæc consequenter inferimus adhuc & dicimus, quòd licèt defacto

Physica materia prima unica tantùm sit ejusdemqué homogeneæ rationis sub omnibus formis, tam sub, quàm superlunaribus; de possibili tamen dari possunt aliæ & aliæ materiæ diversæ rationis, & speciei.

596 OCcasionem huic illationi præbet diversitas, quam animadvertimus in omnibus ferè materialibus entibus; inter quæ quædam sunt, quæ dificillimè, & vix unquam suam amittunt formam; qualia maximè, inter mixta, sunt metalla; & aurum præcipuè, ac lapilli pretiosi; & inter corpora simplicia elementa ipsa, Planetæ item, & sidera, quæ jam tot sæculis durant eadem, absque ulla sui, notabili à nobis mutatione; è contra autem experimur alia momentis propè singulis mutationi obnoxia, ut verum sit, quòd prima quæ dat illis esse hora carpat! Cujus varietatis ratio vix videtur excogitabilis, nisi dicamus materiam ipsam talibus substantem formis causam esse ejusdem, primumqué principium; ad formas siquidem recurrere, vel ad dispositiones ipsas, vix possumus, cùm omnes formæ, quantum est ex se naturaliter exigant sui conservationem, & consequenter dispositiones ad hanc necessarias: ad agentia autem extrinseca vix quis potest rationabiliter se convertere, cùm notum sit quòd agentia connaturaliter non agant nisi juxta exigentiam subjectorum; adeoqué videtur quòd tota ratio, cur hæ mutationes contingant in quibusdam, in alijs verò non; sit materia ipsa, quod si concedatur, concedi pariter debet eam defacto esse essentialiter diversæ, & heterogeneæ omnino rationis'.

597 Ad quam sat difficilem dubitandi rationem, ut respondeamus; præmittimus rationem factæ à nobis illationis; quam desumimus ex principio illo: quòd nulla diversitas per accidens, & contingenter talis, speciem variet & essentiam; cùm autem tota diversitas unius numero materiæ ab alia defacto sit solùm per accidens; Nam accidentale omninò est materiæ, ut jam sit sub ista, jam sub illa forma, jam sub forma hominis, jam sub forma graminis, ut constat experientiâ, quâ advertimus materiam debitè dispositam nunquam recusare quamcunque formam, nec dispositiones ad formam quamlibet, quas haud dubiè nunquam reciperet si formarum talium receptiva non foret; cùm dispositionum receptio ad formam substantialem ordinetur; adeoqué merè videtur accidentaliter contingere materiæ, ut jam hanc potiùs, quàm aliam habeat formam, sicqué ex hac diversitate accidentali, diversitas substantialis, quam dubitandi ratio extorquere tentabat, non arguitur.

598 Ac proinde facilè ad difficilem, qualis primo obtutu apparet, rationem dubitandi respondemus & dicimus, quòd etsi verum sit, materiam postquam informata fuerit formis quibusdam, eas difficulter amittere; priùs tamen quàm ijs informaretur, fuisse, vel esse potuisse sub alijs formis, quibus facillimè privari potuisset. Adeoqué simpliciter, & antecedenter loquendo, merè per accidens est materiæ, quòd sit nunc cum tali for-

forma, v. g. auri, aut adamantis; à quâ difficillimè ſeparari poteſt: abſolutè tamen ſeparabilis eſt, connaturaliter etiam; cùm clarum ſit quòd aurum liquetur, redigatur in liquorem potabilem, in cineres, in meram exhalationem; uti crebrò contingit Chymicis aurum Tonans conficere molientibus.

599 Idem dicimus de Adamante, qui ſuam duritiem perdit, mediante draconis, aut hirci ſanguine; in quo ſi diutiùs hæreat, omnimodè diſſolvitur, & in aliam ſubſtantiam tranſmutatur.: De corporibus ſimplicibus, ſubjectis quoque tranſmutationi, patet ex ſuprà inſinuatis, magìſqué patebit infrà ſuo loco. Ex quibus certum habemus indicium, quòd non ex defectu capacitatis materiæ, ſed ex formis ipſis, vel ab ipſis naturalibus agentibus tales formas materiæ fixiſſimè quaſi imprimentibus, vel ab ipſa unione, aut etiam diſpoſitionibus; vel, quod probabilius eſt, ab his omnibus ſimul ſumptis, illa tenacitas, & pertinacia talium formarum in materia proveniant.

600 Atqué ex his ſufficienter patet altera illationis pars, quòd nempe tam ſub, quàm ſuperlunarium corporum materia ſit ejuſdem homogeneæ rationis; quorum durabilitas, & invariata nobis apparentia provenit ex eo, quòd ipſorum forma ſit difficillimè expellibilis ab agente naturali ex materia, quam poſſidet; expulſas tamen fuiſſe aliquas ſidereas formas etiam defacto manifeſtis experientijs, & obſervationibus acuratiſſimis demonſtrant Mathematici, uti videre eſt apud P. Scheinerum in Roſa Urſina, & P. Riccioium in Almageſto novo. Imò etiam, dato, quòd tales mutationes hactenus non contigiſſent in ſuperlunaribus, adhuc tamen ſuum non aſſequerentur intentum Adverſarij, ſiquidem talis incapacitas non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, ratione nempe formæ naturâ ſuâ indefectibilis, oriretur: ſicut enim forma Adamantis ex eo, quòd magis accedat ad inſeparabilitatem, quàm forma ligni, non ſequitur quòd non ſit in eadem quoad ſpeciem materia; ita eſtò omnino eſſent inſeparabiles formæ corporum ſidereorum, non ſequeretur eas non eſſe in materia naturaliter capaci aliarum formarum, & ejuſdem cum ſublunari rationis; uti conſtat in materia hominis Beati reddita ab extrinſeco tantùm incapaci ulterioris mutationis.

601 Quoad tertiam quoque ſui partem facilè patet Illatio, tum ex modo dictis, quibus conſtat difficulter oſtendi defacto non eſſe diverſæ ſpeciei: tum quia non eſt ratio negandi dari poſſe aliquam materiam quarundam tantùm formarum corruptibilium receptivam, & non omnium; aliam verò aliarum, & non præcedentium; ſicut defacto ſubjectum ſubſtantiale completum in ratione compoſiti receptivum formarum accidentalium, aliquod iſtas, aliquod illas ſolùm recipit, nec quodlibet quaſlibet recipere valet, ut inductione conſtat; adeoqué de poſſibili dabilia ſunt ſubjecta incompleta, quorum unum harum tantùm, aliud aliarum formarum ſubſtantialium receptivum ſit; ideoqué & inter ſe, & à materia, quæ defactò datur, ſpecie diſtingueretur; non ſecùs quàm potentiæ cognoſcitivæ poſſibiles, quarum una tantùm eſſet cognoſcitiva alborum, nigrorum tantùm altera, alia viginti objectorum, alia centum, inter ſe ſpecie diſtinguerentur; uti dicunt Theologi in Tractatu de Angelis, quorum ab invicem diſtinctionem ſpecificam colligunt, quòd unus plura objecta percipere poſſit, quàm alius. Ex quo tamen minimè inferre licèt, poſſibilem eſſe aliquam materiam adeo perfectam ut in ratione generica non conveniret univocè cum ea, quæ defacto eſt; talis namque eſſet omninò ſuperflua, utpote ad nullum finem intrinſecum ordinabilis; ſi enim finis aliquis propter quem eſſet, aſſignabilis foret: eſſet maximè aliqua ejus operatio; quod dici non poteſt; quia ſi quas haberet operationes materia talis, eæ eſſent ſimpliciter materiales, adeoq; hoc ipſo argumentum darent aſſerendi talem materiam contineri intra genus univocum entis materialis, ut conſideranti patet.

Phyſicæ materiæ proprietates, ſeu affectiones connaturales; quarum prima eſt proxima Potentia ad formas.

602 CUM conſtet ex dictis materiam primam verum eſſe, & reale ens phyſicum, ſuas quoque eam habere reales affectiones eſt neceſſe; & quidem non communes tantùm cum alijs entibus realibus, cujuſmodi ſunt, Ubicatio, Duratio, Finitudo, Impenetrabilitas &c. verùm etiam proprias ſibiqué peculiares, è quibus prima eſt ipſa ejus Potentia; cujus nomine non intelligimus ipſam potentialitatem ad formas quaſcunq;, cum quibus poteſt conſtituere unum per ſe, quam eſſentialiter ipſam eſſe materiæ entitatem abſolutam, ipſiqué materiæ formaliſſimè identificatam, jam ſuprà oſtendimus; ſed potentiam ipſam particularem, & proximam, phyſicè convenientem materiæ jam determinatæ per tales diſpoſitiones ad talem formam in ordine ad faciendum unum per ſe.

603 Hanc

603 Hanc non esse de essentia, sed tantùm proprietatem materiæ nobis, ut certum, persuadet, quòd potentia sic sumpta præter ipsam materiæ entitatem necessariò involvat formas disponentes, quæ idem non sunt realiter cum materia, adeoqué simul sumpta cum his, materiæ potentia distinguetur realiter inadæquatè à se ipsa essentialiter sumpta; non secùs quàm compositum, seu substantiale, seu accidentale realiter inadæquatè distinguatur à materia ipsa: hæc namqué potentia essentialiter constituitur, per hoc quòd habeat formam propinquam, propter accidentia ad talem formam immediatè dispositiva; sic namq; non quidem est per talem potentiam actu informata, & compositi constitutiva, sed proximè tantùm potens informari, & constituere compositum; non aliter quàm dicatur proximè quis potens promoveri in Philosophiæ Doctorem, qui necdum est promotus, sed fortè proximè promovebitur, estqué propinquus ad hoc ut promoveatur: & pulvis pyrius dicatur proximè potens ad hoc, ut igneatur, quia fortè incendetur, semperqué propinquus est ad igneścendum.

604 Nequé obest quòd potentia proxima receptiva formarum, non videatur posse esse accidens, cùm formæ substantiales recipi nequeant in accidentibus. Nam potentia proxima non est id, quod formam recipit, & id quo mediãte forma recipitur in ipsa materiæ entitate; quæ tamen potentia non est ipsa causalitas materiæ, sed aptitudo physica proxima ad habendam formam, quâ caret: quæ benè intelligitur per similitudinem ovi proximè dispositi ad habendam formam pulli, quâ caret, quæ est penitùs accidentalis materiæ, & ab illa physicè separabilis, cum sæpe contingat, ut sic disposita sit aliquando ad pulli formam, aliquando è contrà.

Physicæ materiæ altera proprietas, seu respectus illius proximus ad formas.

605 ALtera materiæ proprietas est respect⁹ ad formas, quem distinctum esse ab ipsa materiæ entitate, eiqué accidentalem, constat, tum ex dictis suprà de respectu causarum ad effectus, tum quia materia quoad intrinsecam suam entitatem potest esse absque quocunque respectu distributivè sumpta, non secùs quàm quodvis aliud ens creatum; estò in hoc esset aliqua differentia ab alijs, quòd illa quoad essendi modum egeret aliquâ aliâ indebitâ sibi actione, uti suprà est dictum.

606 Accedit quòd qui admittunt hujusmodi respectum proximum essentialem esse materiæ, tollant omnem modum, per quem materia determinetur ad formam; nam materia si respiceret essentialiter omnes formas, vel respiceret singulas determinatè ita, ut redditâ quacunque impossibili determinatè, eo ipso impossibilis fieret materia; vel respiceret solùm indeterminatè, & in communi, ut redditâ impossibili qualibet formâ, illa tamen impossibilis non redderetur, duñodò formæ aliæ remanerent; neutrum verò dici potest: non primum, quia alioquin darentur in materia tot reales respectus essentiales, quot sunt formæ actuales, & possibiles, siquidem relationes etiam essentiales multiplicantur ad multiplicationem terminorum.

607 Cùm igitur formæ sint syncategorematicè infinitæ, imò per Adversarios, contra quos agimus, etiam categorematicè, absolutè loquendo, darentur in materia defactò actuales infiniti respectus, quod nemo dicet spectatâ materiæ imperfectissimâ entitate, eò quòd propter hos infinitos respectus dici deberet, quòd actu habeat capacitatem infinitam eos fundandi, & consequenter excederet perfectionem cujuscunque entis creati, cùm nullum sit assignabile habens capacitatem fundandi relationes essentiales ad omnia: sicqué è contraria sententia facilè deveniretur in errorem illorum, quos D. Augustinus damnat, asserentium materiam habere quandam in essendo cum Deo ipso proportionem.

608 Neque salvare se possunt ab hac censura adversarij, dicendo, quòd unicus sit respectus in materia per quem respiciat formas omnes. Cùm hoc effugium sit absq; fundamento; tum quia talis virtus materiæ esset quid positivum, adeoqué argueret maximam perfectionem, ut patet in virtute potentis attollere mille pondo; sicqué si materia haberet determinatam capacitatem sustinendi non tot quin plures formas, imò infinitas simpliciter, haberet virtutem positivam ad illas, illisqué æqualem. Quod inconveniens quis admittet? tum etiam quia eo modo materia respicit formas, quo illas recipit; illas autem non recipit in communi, & indeterminatè sed determinatè omninò, v. g. hanc numero animam rationalem, hanc numero formam equi, &c. adeoque si respiceret formas essentialiter, hanc, & istam, & illam numero essentialiter respiceret, quod cùm adversarij concedere nolint, rectè sequitur respectum materiæ esse illius quandam accidentalem proprietatem.

Physicæ materiæ proprietas tertia, quæ est appetitus, seu proxima inclinatio in formas.

609 NOn agimus hîc de appetitu radicali & remoto, quem identificatum esse radicaliter ipsi entitati materiæ, non potest ulli esse dubium; verùm de proximo & formali, quo in formas, tanquam in bonum suum connatura-

le, non ſecùs, quàm res omnes aliæ ferantur in bonum ſibi conveniens, fertur. Et hunc tertiam materiæ proprietatem conſtituimus, utpotè illi extrinſecam, & accidentalem, eò quòd neceſſariò involvat ipſam carentiam formarum, juxta tritum illud; privatio eſt cauſa appetitûs: non efficiens, ut certum eſt, ergo formalis; adeoqué conſtituitur & cauſatur per ipſam privationem, quæ cùm non ſit de materiæ eſſentia, etiam appetitum per illam conſtitutum extra materiæ quidditatem eſſe neceſſe eſt, ſaltem inadæquatè: quod patet ex iſta hypotheſi.

610 Dato enim quòd materia creata fuiſſet ab æterno; quòd fieri potuiſſe non pauci concedunt; haud dubiè appetijſſet formas innatè, qui appetitus eſſentialis omnino materiæ non fuiſſet, cùm neceſſariò in data hypotheſi materia haberet carentiam omnis formæ, adeoqué non poſſet tunc non conſtitui hujuſmodi appetitus per ipſas formarum privationes. Quod magis eluceſcit in appetitu, qui gaudij & fruitionis dicitur; hic enim eſſentialiter importat in ſuo conceptu præſentiam boni deſiderati, ut omnes concedunt; pari igitur ratione appetitus materiæ ad formam importabit in conceptu ſuo quidditativo abſentiam, ſeu carentiam boni deſiderati.

611 Neque obeſt, quòd appetitus innatus ipsâ ſui notione videatur inferre identitatem cum eo, cui innatus eſt; hoc namqué ſolùm verificatur de appetitu remoto & radicali, qui in rigore innatus eſt, & per quem materia æqualiter appetit, ſeu inclinatur ad formas omnes præſertim ſubſtantiales, ſive corruptibiles, ſive incorruptibiles, ſive ſpirituales, ſive materiales, ſive animatas, ſive inanimes, ſive nondum habitas, ſive jam corruptas; cùm æqualiter ſecundum ſe omnium ſit capax; omneſq; ſubſtantiales formæ ſecundum ſe aptæ ſint ad explendum hunc remotum & radicalem materiæ appetitum, & ad faciendum cum illa unum per ſe, non verò de appetitu proximo, & formali, vi cujus magis appetit unam formam ſubſtantialem quàm aliam, eò quòd ad illam recipiendam magis diſpoſita ſit in actu primo proximo, quàm ad alias, cùm per diſpoſitiones quodammodò determinetur intrinſecè: ſic materia ovi, dum per accidentia ineam à gallina incubante inducta, eſt in potentia proxima accidentali ad formam pulli, reſpicit, & appetit iſtam appetitu accidentali magis quàm aliam ullam, pro tunc tanquam finem, & bonum ſuum proximum.

612 In quo ſenſu accipienda ſunt epitheta illa, & cognomina, quibus Ariſtoteles, ejuſqué Interpretes antiquiores, materiam honorant; nuncupando illam, maleficam, adulteram, novercam, veneficam, umbram eſſentiæ, & conſtantem ſemper inconſtantiam, alijſqué ſimilibus cognominibus, ipſi tantùm competentibus ex eo, quòd appetitu formali, & proximo magis feratur in formam, ad quam aliquas habet diſpoſitiones, quàm in alias, quas quaſi præ illa averſatur, & abhorret.

Phyſicæ Materiæ proprietates.

613 Quarta materiæ proprietas eſt actualis ſui multiplicitas numerica; defacto enim in varias eſt diviſa partes, vel per diverſas formas ſubſtantiales quibus informatur; vel per diverſos terminos quantitatis, à quibus diſcontinuatur: ſic materia Petri eſt numero diverſa à materia Pauli; & materia ſubſtans quantitati palmari, numero eſt diverſa à materia ſubſtante quantitati ulnari; quia ſcilicet habent diverſum terminum, & ſunt in loco diverſo, & diſtante.

614 Quinta materiæ proprietas eſt improducibilitas, & incorruptibilitas ejuſdem naturalis. Improducibilitas quidem, quia materia de qua agimus, eſt primum ſimpliciter ſubjectum materiale rerum omnium, de cujus ratione neceſſariò eſt non produci ex alio ſubjecto, neque in aliud reſolvi, ut ex ipſa notione conſtat.

615 Incorruptibilitas autem, tum quia ſi materia corruptibilis foret priùs ipſa corrumperetur, quàm corrumperetur; patet, quidquid enim corrumpitur, in aliquid ultimò manens ſubjectum corrumpitur; hoc eſt, deſinit remanente aliquo ſubjecto poſt ipſum, quod ſubjectum fuerat pars ipſa corrupti; per hoc namqué corruptio differt ab Annihilatione, ut ſuo loco dicetur; adeoqué ipſa materia eſt ultimò manens ſubjectum, ſicqué dum ſupponeretur corrumpi, corrupta foret priuſquam corrumperetur, cùm ſcilicet poſt corruptionem ſui neceſſariò maneret.

616 Sexta materiæ proprietas eſt, ut quanta ſit; tum quia quantitas materiæ debita eſt, velut quaſi univerſalis diſpoſitio ad ſingulas formas: tum quia eſt conditio ab agente naturali corporeo neceſſariò ad agendum requiſita, cùm agens corporeum connaturaliter agere nequeat niſi in ſubjectum quantum & connaturaliter extenſum: tum demùm quia & quantitas dicitur coæva materiæ; utpote quæ eodem reali temporis inſtanti, quo materia creata à Deo fuit, ex ipſa emanavit: & ſubjectari nequit in alio ullo ſubjecto, quàm in ſola materia, in qua recipitur etiam immediatiùs, quàm forma ipſa ſubſtantialis.

617 Demum ut plures omittam affectiones & proprietates materiæ, unicam adhuc addam, quæ eſt, eſſe radicem, & primum paſſivum principium corruptionis naturalis compoſiti. Cùm enim materia de ſe ſit capax primarum qualitatum, quæ ſibi invicem ſemper contrariantur, inde capax fit corruptionis com-

compositi ex receptione oppositarum dispositionum illis, quas compositum ad sui conservationem exigebat, ex quo subjectivè oritur perpetua, quam experimur, generationum, & corruptionum substantialium, vicissitudo.

618 Neq; ex hoc propterea quis rectè arguet materiam esse Ens imperfectissimum, utpote corruptivum tot nobilissimarum entitatum, & compositorum principium. Hoc ipso enim quòd substantia sit; de genere suo nobilior est accidentibus, quæ de se imperfectiora sunt quâvis substantiâ, ut constat; imò hoc ipso quòd corruptionum principium sit, concomitanter quoque est causa pulcherrimæ illius varietatis, quæ mirum quantùm exornat symetriam, & elegantissimum ordinem totius universi; unde ingeniosè problema illud posset proponi; utrum materia ex eo quod principium sit corruptionis, eorum in quibus est, dicenda sit potiùs esse maximè perfecta, quàm imperfecta?

Physicæ Formæ physica existentia.

619 SEcundum rerum naturalium principium, suprà diximus, dici formam, ex eo fortassis quod materiam informem informando exornet, & quasi specificet, illam constituendo in specie aliqua determinata entis completi, ac perfecti. Eam dari certum fit, ut authoritates prætereamus, ex anima rationali, cujus existentia dependenter etiam à rationibus naturalibus constat ex ipsius effectibus; si enim evidens nobis est dari intellectiones, volitiones, &c. evidens pariter esse debet dari earum principium, quale non posse esse solum corpus, patet indè, quod hoc remaneat post mortem, non remanente in eo principio intellectionum, cæterarumq; operationum, adeoq; necessariò debet dari aliquod aliud earum principium, quod per sui communicationem materiæ, constituebat illam in ratione corporis viventis, & operari potentis, quod aliud esse non potest, quàm ipsa substantialis anima rationalis.

620 A paritate cujus non difficulter convincitur admittendas esse etiam alias formas substantiales, tam in brutis, quàm in plãtis, alijsq; omnibus corporibus naturalibus substantialibus, in quibus æquè dari debet principium, v. g. sensationum, nutritionis, aliarumqué operationum substantiale aliquod, informans, & omnia dirigens ad bonum totius compositi. Cùm enim in quovis composito tanta reperiatur, etiam contrariorum accidentium, varietas, opus est, ut detur aliquid, à quo omnia velut in officio contineantur, quodqué sit accidentium deperditorum recuperativum; quod aliud esse nequit, quàm ipsa forma substãtialis.

621 Quam dari probant rursus ea, quibus suprà materiam primam probavimus essentialiter esse defacto ens incompletum; si enim datur materia, quæ est substantia incompleta, dari necessariò debet substantiale illius complementum; nam sicut continua rerum mutatio requirit subjectum aliquod commune, ita etiam requirit diversos terminos, qui de novo producantur, & substantialiter compleant commune subjectum. Quæ rationes universaliter probant dari formas substantiales. Et præterea in non viventibus etiam illæ specialiter persuadent, primoqué in elementis, ex eo, quòd unum algeat, humectet alterum, arescat tertium, calescat quartum: alia sursùm suaptè spontè, deorsùm alia suis momentis ferantur: quorum effectuum, & operationum primum aliquod substantiale principium neneassariò est assignandum.

622 Quòd etiam in mixtis inanimatis idem admitti debeat, inde patet; quòd experiamur res inanimatas non secùs, ac viventes, quasdam habere operationes propriæ naturæ consentaneas; uti constat in aqua calefacta, vel ferro candente, quæ remoto agente extrinseco reducunt sese ad pristinum suum statum: cujus operationis principium refundi non potest in Deum, qui est Agens universale, ad quem recurrere in effectibus naturalibus immediatè, non sapit philosophicum ingenium: multò minùs in aërem circumambientem; quia hic non est frigidus, sicut aqua, aut ferrum, adeoq; non potest illa reducere ad tantam, quam in ijs cessante calore experimur frigiditatem: non etiam in ipsam materiam, tum quia ea activa non est in genere causæ efficientis; tum quia indifferens secundum se est, ad calorem & frigus:

623 Neq; demum seu in partes aquæ, vel ferri latentes non calefactas, quia cùm omnes sint homogeneæ, ejusdemqué rationis, non est assignabilis ratio cur omnes calefactæ non fuerint; vel certè cur pauciores frigidæ in plures calidas agere possint, & non potiùs è contra; seu in potentiam aliquam accidentalem existentem in ferro vel aqua, nam de hac rursus quæreretur, quæ nam illius radix, substantiané an accidens? si primum, habemus intentum; nam hoc dicimus esse formam substantialem: si secundum, daretur processus in infinitum, quem nè admittamus, & salvemus tamen quo pacto aqua, aut ferrum reducant sese ad primævum statum, necessariò in ijs admittenda est forma substantialis.

624 Neque obstat, quòd videantur omnes experientiæ salvari posse per materiam talibus instructam accidentibus, absque eo quòd recurramus ad formas substantiales, hoc enim dici non posse patet inde, quòd nullum sic assignabile esset determinativum, cur potiùs hæc accidentia, quàm alia in hac materia reperiantur;

antur ; & cur igni calor potiùs, quàm frigus competat ; cur aërem levitas, non gravitas ſequatur : cùm materia ad utrumque ſit ſecundum ſe indifferens? Quare neceſſariò aſſignandum eſt aliud ſubſtantiale principium exigitivum talium, & non aliorum accidentium, quod aliud eſſe nequit præter formam ſubſtantialem, à qua gradus præſtantiæ, & perfectionis in entitatibus naturalibus deſumatur : à qua rerum omnium propagatio dependeat ; à qua ſua cuiqué rei nota, & character inſideat ; quæ quidquid operationum in natura fit pro ſua facultate moliatur; quæ omnes eliciat tam vitæ, quàm aliarum facultatum actiones : cui accidentia tanquam inſtrumenta quædam ſubſidio adveniant ; quæ denique ſpectabile 629 hujus mundi theatrũ ſuâ varietate, ac pulchritudine mirificè diſtinguat, & exornet : qui fines, & effectus formarum evidenti experientiâ nobis noti, non poſſunt non evidenter arguere dari in natura formas ſubſtantiales.

625 Nequè repugnat, ut alij obijciunt, formam materialem, eſſe ſubſtantialem, & ſimul ineſſe materiæ, ac ab illa ſuſtentari. Nam, uti ſuprà eſt inſinuatum, repugnat ſolùm, ut ſubſtantia, quà talis, ſit in alio, ut in ſubjecto inhæſionis, non verò ut in ſubjecto eductionis, ſeu informationis, nam eſſe informativè in ſubjecto eſt eſſe ejuſdem ordinis, & prædicamenti 630 phyſicè cum ſubjecto quod informat. Cùm igitur forma ſubſtantialis ſit quodammodò nobilior ipsâ materiâ, etſi hâc egeat, & in ea ſit tanquam forma informans, non poterit tamen inhæſivè tantùm in illa eſſe, prout manifeſtè apparet in rationali forma, quæ etiam per adverſarios forma eſt informans ; ideò ſolùm, quia licèt non educatur ex materia, recipitur tamen in illa per intrinſecam ſubſtantialem unionem, tanquam in ſubjecto informationis, quod ſubſtantialiter informat, movet, vivificat &c.

Phyſicæ Formæ ſubſtantialis quidditas, & quotuplicitas.

626 ARiſtoteles formam more ſibi recepto definiturus, obſcurè ſatis per rationẽ ipſius, quòd quid erat eſſe rei, explicat ; ex eo fortaſsis, quòd ab ea deſumatur eſſentia, & quidditas determinata rei, non ſecùs atque à differentia procedat ultima ratio ſpeciei Logicæ, ſeu Metaphyſicæ.

627 Verùm quia ob ſuam in phyſicis nimiam metaphyſicandi methodum, non benè audit etiam apud multos ipſius Doctrinæ ingenioſos Aſſeclas; ideò data definitio clariùs his terminis exponi poteſt, ſicque definiri: Forma eſt actus ſubſtantialis phyſicus materiæ ad unum per ſe cum ea componendum aptus.

628 Cujus definitionis ſufficientia patet vel ex eo, quòd ſit tam Ariſtotelicæ, quàm aliorum etiam Philoſophorum, definitionum conciliativa. Plato namque formam definivit, eſſe Divini exemplaris imaginem expreſſam in materia. Conſentit ferè eidem Avicennas, dum formam participationem primi actûs rebus impreſſam eſſe aſſerit; Alij dixerunt formam eſſe divinitatis quandam particulam; quod phyſicè loquendo, licèt dici nequeat, metaphoricè tamen, aut per ſimilitudinem, id dici non repugnat, cùm forma ſimilitudinariè benè explicetur juxta noſtrum concipiendi modum, ad inſtar cujuſdam quaſi ſigilli, & figuræ impreſſæ materiæ habenti ſe velut cera apta recipere quaſcunque impreſſiones.

629 Alij verò è ſapientioribus Neothericis formam dicunt eſſe ſubſtantiam quandam ſimplicem, & incompletam, quæ ut actus materiæ cum illa conſtituat eſſentiam completam ſubſtantiæ : quæ definitio cùm quoad modum ſignificandi ſubſiſtere non poſſit, tum quia non datur per genus immediatum, tum quia per differentiam quandam ſuperflua videtur: ideo à nobis data, clariſſimè conciliativa eſt omniũ, eò quòd habeat omnia, quæ ad bonam eſſentialemque definitionem pertinent, ut ſingulas ejus particulas examinanti facilè patere poteſt.

630 Sic igitur definita Forma ſubſtantialis, dividi ſolet in Sublunarem, & Superlunarem, ſeu corporum ſidereorum; Sublunaris in ſpiritualem, & Materialem : ſpiritualis in Aſſiſtentem, & Informantem : Materialis autem in viventem & non viventem : Vivens in ſenſitivam, & non ſenſitivam : & harum utraque in intrinſecam & extrinſecam : quarum definitiones, quia obviæ, & perceptu non difficiles, ideò eas hìc adferre ſuperſedemus, dum præſertim tam ex præcedentibus dictis, quàm etiam ex dicendis facilè colligi poterunt.

Phyſicæ Formæ materialis in materia præexiſtentia, & eductio.

631 FOrmæ materiales, quæ ex potentia materiæ educuntur, non præexiſtunt in materia ita, ut tantùm quibuſdam temporibus modò una appareat, modò alia, alijs occultis manentibus, ut recentiores quidam, poſt ſomnia quorundam Antiquiorum ſentire videntur; tum quia talis præexiſtentiæ nullum habetur indicium, aut rationabile fundamentum ; tùm quia intelligi nequit, quo pacto educantur, abſque eo, quòd aliquid ab agente de novo producatur ; eâdem autem ratione, quâ id de novo producitur, produci poſſunt & ipſæ formæ ; tum demum quia explicare nequeunt talis ſomnij Patroni, quid ſit illud, apparere in materia, in qua latere deberent omnes formæ, formam v.g. Leonis, & non apparere formam

equi:

equi: quis enim eam evocat, ut nunc appareat; vel quis excitat dormientem ut evigilet, foras prodeat, & Leonem constituat, latitantibus cæteris?

632 Nequè præexistunt Formæ in Materia secundum aliquam sui partem ex qua fiant, & per productionem ponantur in suo esse adæquato. Tum quia pars illa formæ, quæ de novo fieret realiter distingueretur ab illa, quæ in materia præexisteret, sicqué forma esset quid essentialiter compositum ex actu & potentia; tum quia præexistentia unius partis, nihil prodest ad productionem alterius partis; nec facit, quo minùs illa pars producatur ex nihilo sui æquè, ac si tota forma produceretur; cùm si agens partem unam ex nihilo sui producit, cur non producet totam?

633 Nequè etiam verum videtur, quòd ingeniosus quidam Recentior conformiter ad ea, quæ in Logicis de objecto materiali, & formali docuit, asserit: formas scilicet præexistere in materia secundum essentiam, educi autem solùm secundum esse actualis existentiæ; Nam & sequeretur per illum dari defacto infinitum categorematicum in materia secundum esse essentiæ; cùm infinitæ sint actu possibiles: imò & secundum esse actualis existētiæ, cùm eatenus per illum essentia formæ est in materia, quatenus possibiliter continetur in illa; atqui existentia etiam sic continetur in materia possibiliter, ut patet, & prætereà, sicut esse existentiæ potest de novo physicè produci; cur eodem modo non possit produci ipsa essentia; quæ duo simul identificata esse constabit ex dicendis in Metaphysica; adeoqué hæc nova opinio nec subsistere videtur in supposito.

634 Congruentiùs proindè rationi, & Veritati, dicimus, formas materiales, quæ ex potentia materiæ educuntur, præexistere in illa virtualiter tantùm. Hæc enim præexistentia virtualis aliud nihil indicat, ut ex notione ipsa terminorum liquet; quàm quòd materia vim habeat concurrendi in genere causæ materialis ad eductionem formæ omnis, quæ fit ab agente naturali dependenter à materia operante; à qua & in esse, & in fieri materialiter concurrente illâ necessariò dependet: non potest autem taliter dependere, nisi virtutem sic concurrendi materia haberet, uti patet à pari de causa efficiente; quæ quia virtutem habet concurrendi efficienter ad suos effectus, ideò dicitur hos virtualiter continere in suo genere, eò quòd possit concurrere ad eorum productionem per effectivum influxum.

635 Neque est, quòd contra hanc nostram explicationem obijciatur doctrina S. Augustini 3. de Trinit. cap. 7. sic ajentis: *omnium quæ fiunt, & nascuntur occulta quædam semina in mundi elementis latêre.* Quod per virtualem illam continentiam salvari non posse satis patet. Contrà namquè est, quòd S. Augustinus per semina illa occulta non intelligere possit, vel partes formæ, vel earum possibilitatem, cùm semen rei nec sit, nec dicatur pars, aut possibilitas rei; verùm ipse intelligit virtutes productivas agētium, & dispositiones, quæ conducunt ad productiones rerum; solumqué vult, quòd ab agētibus creatis nullum mixtum producatur, ad quod producendum elementa mundi non habeant virtutem concurrendi sive immediatè, sive mediatè, & dispositivè.

636 Neque plus favet adversarijs tritum illud: ex quolibet non fit quodlibet. Nam hoc verum est respectu materiæ consideratæ in potentia proxima, in qua ut dictum suprà, constituta materia determinatur potiùs per tales dispositiones particulares ad concurrendum materialiter, cum talibus agentibus ad productionem talis determinatæ formæ.

Physicæ Formæ ex subjecto eductio.

637 EX dictis facilè patere potest formas substantiales alias produci à DEO independenter ab omni materia, uti sunt rationales animæ, quæ creari dicuntur; alias verò produci ab agētibus naturalibus etiam materiâ concurrente, quales sunt reliquæ omnes formæ, quæ dicuntur educi de potentia materiæ; quia nimirum ad illas producendas materia etiam concurrit, sicut in ejus potentia diximus eas contineri virtualiter, ex eo quòd materia virtutem habeat ad earum productionem materialiter concurrendi. Unde etiam manifestum fit, quidnam sit eductio; seu quidnam sit formam educi ex materiæ potentia? Scilicet aliud nihil, quàm produci formam ab agente naturali naturaliter operante, cum dependentia à causa materiali concurrente ad formæ positionem per positivum influxum in genere causæ materialis. Siquidem per hoc eductio formæ ex materia, seu eductiva actio essentialiter cōtradistinguitur ab ipsa actione formæ creativa; cùm aliud nullum excogitabile sit has inter duas actiones essentiale distinctivum. Uti constat ex ipsis harum actionum definitionibus essentialibus, quarum una dicitur eductio; productio formæ ab agente naturali proveniens dependenter à subjecto; altera verò dicitur Creatio: productio formæ ex nihilo subjecti, sive independenter omnino à materiali causa.

638 Nec obest, quòd hic eductionis conceptus videatur supponere in materia virtutem influendi in infinitas propè formas, quæ ex ipsius potentia educi possunt, quod videtur excedere virtutem materiæ, utpote entitatis valdè imperfectæ, prout paulò antè nos ipsi arguebamus. Nam estò verum sit quòd potentialitas materiæ, per quantamcunquè forma-

rum eductionem non exhauriatur, nihilominùs tamen non ſequitur eam eſſe cujuſdam infinitæ virtutis, cùm entitas illius, cui & ipſa virtus concurrendi materialiter eſt identificata, ſit valde imperfecta, utpote imperfectior quacunquè ſubſtantiali formâ, ſeu Naturali agente. Cùm igitur hæc virtus paſſiva Materiæ imperfectionem potiùs arguat, & quaſi indigentiam operantis ſecum agentis, aut coexiſtentis ſibi formæ, non rectè infertur eam eſſe perfectionis alicujus ſingularis; qualem ſolemus arguere eſſe in Agentibus, quæ efficienter poſſunt concurrere ad plurimos, vel etiam ad omnes effectus naturales.

Phyſicæ eductionis tertium principiũ, ſeu phyſicæ formæ educibili oppoſita Privatio.

639 UT omittamus multiplices privationis acceptiones, in quibus tale nomen à Philoſophis uſurpari ſolet, propriè illud hic ſumimus, pro negatione, ſeu carentia formæ in ſubjecto; tum ſecundum ſuam propriam rationem, tum ſecundum omne tempus apto habere talem formam. In quo ſenſu, ſicut & ſuprà, tranſmutationum naturalium eſſentialem principium Privationem eſſe ſtatuimus, ita idem dum de eductione formæ agimus, confirmamus; cùm impoſſibile ſit haberi eſſentiam eductionis, niſi præintelligatur in materia carentia actualis illius formæ, quæ de non eſſe actuali ſui, ad eſſe actuale ſui ex materia educitur.

640 Quam quidem Privationem dari, ſeclusâ omni intellectûs operatione, negari non poteſt ab homine ſenſato; ſiquidem re ipsâ nocte mediâ in aëre non eſt lux, infans nõ eſt doctus, pauper non eſt dives, in materia ſcamni non eſt forma auri, nec in materia ſtupæ forma ignis &c. adeòquè nemine cogitante datur in aëre lucis Privatio, in infante ignorantia &c. ſiquidem denominationes reales haberi non poſſunt niſi à forma reali, ſive privativa, ſive negativa, ſive poſitiva.

641 Privationem autem non eſſe formam poſitivam, nec rebus ipſis poſitivis identificatam, ut quidam Doctus Neotericus exiſtimat, patet inde, quòd eſſe formaliter Privationis, ſit formaliter non eſſe formæ; formaliter verò non eſſe formæ, non eſt ens aliquod poſitivum, uti ex terminis ipſis clarum eſt.

642 Porrò, quatenùs ad rem, de qua agimus attinet, Conſtat inprimis ſolam privationem formæ introducendæ, ſeu jam formaliter, ſeu tantùm æquivalenter talem, eſſe verum, ac per ſe requiſitum principium phyſicæ eductionis; hac enim abſquè haberi nequit, ut paulò ante oſtendimus, conceptus quidditativus ipſius ſubſtantialis eductionis, ſeu fieri formæ,

643 Conſtat deinde alias privationes, quæ in materia remotè reperiuntur aliarum formarum, non poſſe eſſe principium eductionis hujus in particulari formæ; tum quia illæ non tolluntur per poſitionem hujus formæ; tum quia, ſi quæ alia eſſe poſſet, maximè eſſet privatio formæ corruptæ, quod dici nequit; cùm præſertim, ut mox dicemus, duæ pluresvé formæ ſimul, ſaltem divinitùs, informare poſſint eandem numero materiam; quo in caſu nulla daretur privatio formæ corruptæ.

644 Conſtat tertiò privationem formæ educendæ præcedere neceſſariò ipſam formam, eſſequé aliquo modo ipsâ priorem prioritate quâdam immediatæ ſucceſſionis. Cujus ratio eſt, tum quia privatio eſt terminus à quo generationis, cui ſuccedit, non ſecùs, quàm in motu, ſecundum prius & poſterius terminus ad quem immediatè; tum etiam quia intelligi nequit eductio formæ, ut mutatio eſt, quin intelligatur per ipſam materia tranſire à non eſſe formæ, ad eſſe formæ, adeoqué priùs neceſſariò intelligi debet non eſſe formæ in materia, quàm intelligatur ipſa forma.

645 Hæc autem ſucceſſiva immediata prioritas privationis reſpectu formæ in quacunque naturali tranſmutatione, ne fortè alicui præbeat occaſionem jurgandi de nomine, à nobis ſic intelligitur, & explicatur, videlicet quoad rem ipſam aliud nos ſignificare non velle, quàm quòd privatio formæ ineſſet materiæ pro inſtanti eductionis, niſi fuiſſet per generationem producta ipſa forma; cùm igitur certum ſit per eductivam actionem produci formam, certum quoque eſſe debet, quòd privatio fuerit prior prioritate quadam ſucceſſivâ, quàm ſit forma in inſtanti generationis.

646 Ex quo conſtat ulterius, in eodem indiviſibiliter ſumpto inſtanti temporis privationem exiſtere non poſſe exercitè, ſeu ut alij loquuntur, in fieri, in eodem ſubjecto ſimul cum forma ſibi immediatè oppoſita; quæ enim eſſentialiter ſibi ſuccedunt in duratione, eodem temporis indiviſibiliter ſumpto inſtanti, eſſe ſimul non poſſunt; ſic autem ſuccedere neceſſariò formam privationi, patet ex jam dictis.

647 Accedit, quòd ſi ſimul poſſent eſſe pro aliquo inſtanti forma, & privatio; imprimis, poſſent eſſe etiam ſimul vera duo contradictoria, cùm verum ſit, quòd privatio ſit ipſum non exiſtere formæ in ſubjecto, & forma ipſum ſuum exiſtere in ſubjecto. Deinde idem ſubjectum ſimul eſſet in termino à quo, & termino ad quem. Tertiò peccatum & gratia, lux & tenebræ, vita & mors, omniſqué habitus cum ſua privatione poſſet per ſpatium aliquod conſiſtere; quod quia dici non poteſt, admitti pariter nequit ullo unquam tempore privationem, & formam conſiſtere ſimul poſſe.

648 Ex quibus jam luculenter conſtat privatio-

tionem principiare tunc, quando ipsa primò non est, & immediatè ante fuit: cujus ratio ulterior est, tum quia rem fieri idem est, ac rem esse primò, rem autem esse primò est ita esse, ut immediatè ante non fuerit: tum quia privatio principiat compositum, ut terminus à quo, qui principiat necessariò recedendo, quod fit per primum sui non esse; tum quia principiatio, per quam privatio actu principiat, cùm rei productionem dicat in recto, consequenter tunc solùm est, quando est res ipsa, quæ producitur; quando verò est res ipsa, quæ producitur, non est ejus privatio, sed immediatè ante præcessit, ut liquet.

649 Unde constat adhuc ampliùs, principiationem privationis, aliud non esse, quàm ipsam rei productionem, prout relatam transcendentaliter ad privationem formæ immediatè præteritam, non secùs, ac senectus v. g. est ipsa Entitas hominis, prout essentialiter relata, seu comparata ad annos præteritos.

650 Constat hinc demum privationem non esse causam formæ educendæ, quia nempe cùm ens in se non sit, sed mera carentia, realiter nec influit, nec influere potest in formam principatam, ad quam solùm concurrit terminando, ut merè terminus à quo, essentialem conceptum & respectum generationis, quà talis. Secùs autem dicendum de principijs materiali, & formali, quæ præterquam quòd habeant rationem essentialis principij entis naturalis, propriè etiam ejusdem sunt

Physicæ & intrinsecæ causæ Materialis & Formalis.

651 QUas simul hìc conjungimus, eò quòd seorsim parari non debeant ab invicem ea, quæ à natura, ejusqué Conditore simul conjuncta fuerunt. Dari autem utramque, satis suprà est ostensum; & quidem materialem talem esse in rigore, contra Recentiores quosdam, qui licèt materiam Peripatheticam, & agnoscant, & inter principia naturalis entis recenseant, eam tamen à ratione causæ excludunt; sed quàm immeritò, patet, ut prætereamus authoritatem; tum quia nihil illi deest ex ijs, quæ requiruntur ad hoc, ut aliqua propriè sit, & rigorosè causa: habet namqué suam existentiam, ut suprà probatum manet; prioritatem item naturæ respectu sui effectûs, cùm semper præsupponatur formâ, quæ ex ipsa educitur, prior; virtutem quoque sufficientem ad causandum in suo genere; nam est essentialiter potentialitas, seu entitativum subjectum formæ materialis, cum hæc, utpote materialis substantia nec fieri, nec conservari possit connaturaliter extra materiam; dependentiam item à se talis formæ, hoc ipso quòd in rigore ea sit materialis, non aliunde, quàm ex sola dependentia qua in fieri, esse, & conservari à materia dependet; prout à contrario de anima rationali constat, quæ ideò materialis dici nequit, quia nullam hujusmodi dependentiam essentialem à materia dicit.

652 Nec obest fundamentum adversariorum dicentium, quòd si materia esset causa formæ, deberet esse formæ intrinseca; hoc namque verum est ampliativè, nam non solùm dicitur causa intrinseca ex eo, quòd aliquid componat & constituat; sed etiam inde, quòd formam ex se eductam, sibi intimè uniat, ac conjungat, quod nulli alteri causæ, quàm intrinsecæ convenire potest.

953 Hinc rectè definitur; quòd sit subjectum, ex quo cum insit fit aliquid per influxum defectibilem. Cujus definitionis bonitas satis patere potest ex ipsa terminorum notione, inter quos, alius nulli scrupulum inijcere potest, nisi *ly insit*, quod solùm ponitur ad distinguendam causam materialem tam à privatione, quàm à causis exinsecis, quæ secundum se non insunt, seu coëxistunt cum suis effectibus; seu, ut aptiùs, quia ipsarum effectus non insunt in illis, sicut insunt effectus materiales suæ materiali causæ; ex qua sicut educuntur, ita connaturaliter in eadem recipiuntur, & ab eadem sustentantur. Quod verum est tam respectu formarum substantialium, quàm accidentalium, ipsiusqué compositi, seu uniti, in ordine ad quod maximè, tanquam per ordinem ad effectum suum ultimatum, quidditas causæ materialis explicatur. Compositum autem esse verum, & realem effectum materialis causæ, patet ex vulgato illo principio: quo posito per locum intrinsecum res ponitur, &c.

654 Nec obest quòd esse nequeat subjectum respectu totius, adeoqué neque causam; licèt enim ad hoc, ut materia causet, debeat esse subjectum, non tamen solùm causat id cujus dicitur subjectum, verùm etiam illud, in quo est tanquam subjectû; nam dum est subjectum formæ, etiam componit, & causat mediante unione substantiali compositum, ut mox dicemus.

655 Quidditatem verò Formæ in esse causæ materialis benè explicari censemus per hoc, quòd sit pars essentialis compositi defectibilis, perficiens in ratione totius aliam compartem mediâ itidem unione substantiali, quam terminat, & per quam communicat seipsam, suamq; propriam entitatem toti.

656 Ex quo recepto, quoad rem ab omnibus, formalis causæ quidditativo conceptu, constat totam ejus rationem in actu primo consistere in sola ipsa absoluta entitate ipsius formæ; ad quod esse non eget illa, aliâ facultate, vel potentiâ distinctâ à seipsa, ut nonnulli arbitrantur, cùm per seipsam essentialiter sit apta in actu primo ad causalitatem istam exercendam; unde, sicut suprà dicebamus, materiam

in actu

in actu primo constitui in ratione causæ per suammet entitatem, ita hîc idem repetimus, proportione tamẽ servatâ, de entitate formæ.

657 Cujus ratio ulterior est, quòd si forma per aliud aliquid superadditum constitueretur in ratione causæ formalis in actu primo, compositum, quod ex ipsa, & materia fieret, non esset ens per se; tunc enim forma non esset actus essentialiter aptus, & potens constituere compositum; siquidem perfectionem talem acquireret per aliquid à se distinctum, adeoquè perficeretur in ratione sui intrinsecâ, & esset quid compositum seipsâ, & ex tali perfectivo, quod haud dubiè habere deberet rationem formæ, respectu entitatis formæ, non secùs quàm defacto forma habeat talem rationem respectu materiæ quam perficit, & determinat in esse totius. Quæ cum admitti nequeant à Philosopho, hinc rectè concluditur formam in ratione causæ formalis in actu primo constitui per suammet absolutam entitatem.

Physicæ causæ Materialis, & Formalis causalitas.

658 NOn hîc cum quibusdam jurgari intendimus seu de nomine, seu sophisticè; proinde, quia cum communi Peripatheticorum ostenderimus causas materialem & formalem esse propriè & in rigore physicas causas, ideò necesse est, ut earum assignemus causalitatem; per hujus namquè solam diversitatem arguere possumus immediatè diversitatem earundem: ubi tamen animadverti desideramus ipsas earum causalitates dupliciter in esse physico, & reali spectari posse, & debere, nempe quatenus respiciunt causas, quarum sunt exercitium, & influxus: & quatenus comparantur cum totali effectu, quem illæ mediantibus suis influxibus & causalitatibus constituunt.

659 Si enim primo modo accipiamus earum causalitatem nemini posse esse dubium existimamus duplicem, eamqué diversam juxta ipsam specificam diversitatem causarum admitti debere, non secùs, quàm duplex sit rivulus ex duabus diversis scaturiginibus effluens, aut duplex, & diversum sit Merum ex duobus vasis, quorum unum Italico, Germanico alterum sit repletum, in idem vitrum confluens. Sic causalitas materiæ, & formæ respectu ejusdem compositi una est, respectu verò principiorum à quib⁹ profluit, duplex; sub quo respectu sive causalitatem materiæ, passionem, sive receptionem, sive sustentationem, sive materializationem dixeris, cum nobis non sit animus litigandi de nomine, libenter annuemus; causalitatem pariter causæ formalis cùm principio suo comparatam, concedemus promptè dici posse, vel formalizationem, vel informationem, vel terminationem, vel quocunquè alio nomine libuerit; modo id quoad rem admittamus simul.

660 Easdem comparatas cum toto, seu unito, quod constituunt, & respectu cujus ita inter se intimè in unam coëant, ut nullâ ratione separabiles ampliùs sint, vocemus unionem, seu ultimam rationẽ formalem determinativam duarum partium ad se invicem ordinatarum ad unius totius per se constitutionem.

661 Quod physicè benè censemus explicari posse per similitudinem quandam, ad nervum, quem Philosophi cum Medicis opticum vocant: hic namq; ex communi anatomicorum doctrina procedens ex duobus principijs, ita circa fundum retinæ tunicæ in unum coit, ut nullâ arte, nullaqué industriâ in suas, ex quibus concrescit partes, ampliùs sit resolubilis: sic compositi realis unio, ex materia, & forma procedens, ita dum compositum constituit, unica evadit, ut fiat, & sit summa cõmunicatio (quoad modum præsertim communicandi ad invicem) duarum partium substantialium absolutè talium inter se essentialiter distinctarum, ad constituendum unum aliquod physicum compositũ, substantiale, seu totum per se.

662 Qui quasi conceptus Metaphysicus Unionis benè explicatur per quasdam velut unionis proprietates physicas, connaturaliter illam sequentes; quarum prima est, ut ratione illius connaturaliter unum extremum esse debeat in loco alterius; altera, quòd moto extremo uno moveri debeat, & aliud; tertia quòd vel subjectivè, vel saltem terminativè utrique extremo sit intrinseca; quarta, ut quoties unum extremum à loco adæquato, quem antea occupabat, movetur ad aliũ, eo ipso aliud quoq; moveatur; quinta demum, ut si unum extremum in duobus locis adæquatis divinitus per replicationem collocetur, aliud etiam vi unionis exigat, ut utrobique ponatur.

Physica Causalitatis Materiæ, & Formæ, seu unionis quidditas.

663 MAteriam, & formam suas habere causalitates, hoc ipso, quòd causæ physicæ sint, patet ex jam dictis, quas comparatas cum principijs, à quibus profluunt, meritò receptionem, seu subjectionem, & informationem vocamus, desumptâ ethymologiâ ab ipsis principijs, seu causis, quâ materia, seu subjectum, & Forma, dicuntur; comparatas verò cum toto, cujus sunt ratio formalis constitutiva, ut quò perfectissimè in unum coalita, unionem nominamus; quæ rectè describi potest, dicẽdo, quod sit nexus essentialis ordinatus ad faciendum intrinsecè ex duobus unum per se; per quod satis distinguitur ab Actione, quæ licèt suo modo connectat Agens cum effectu,

non

non ordinatur tamen ad faciendum ex illis unum per se; ex quo patet Unionem exigere extremorum inseparabilitatem, quæ ab actione non exigitur.

664 Porrò in quonam hæc physica consistat essentialiter unio, magna est altercatio inter Philosophos; aliqui enim volunt eam non esse distinctam ab entitatibus ipsis Materiæ, & Formæ connotantibus quandam ad invicem applicationem, & mutuam localem præsentiam, eò quòd non videatur posse reperiri materiam dispositam ad formam, eiqué localiter præsentem, & debitè approximatam, ac vicissim, quin simul non sint unitæ.

665 Verùm hanc opinionem subsistere non posse, patet; tum quia possunt existere, & de facto extiterunt materia, & forma præsentes sibi quoad locum, absqué eo quòd substantialiter unirentur, prout contigit (ut alia omittamus) in Principe illo Amangucciano, de quo viri sapientissimi, & ut Vitæ, sic Fidei integerrimæ, referunt, eum obsessum fuisse ab anima sui Progenitoris, quo in casu præsentissima sibi fuêre materia talis Principis, & anima alterius, & tamen certum est, quòd unitæ non fuerint, cujus ratio esse potest; quia unio præsentialis est denominatio purè extrinseca, resultans ex ipsa extrinseca approximatione, uti constat; adeoqué non potest esse denominatio intrinseca, & substantialis, qualis est esse uniti substantialiter. Tum quia si Petrus & Paulus divinitus penetrarentur, haud dubiè materia unius esset præsentissima quoad locum formæ alterius, & vicissim, & tamen quis eas uniri substantialiter inter se admittet?

666 Nec est, quòd dicant ad unionem requiri carentiam unionis in materia cum alia forma; hoc enim gratis assumunt; tum quia per carentiam unionis, unio non benè explicatur. cùm potiùs unionis carentia per existentiam, & entitatem unionis sicut concipi, ita explicari debeat; tum etiam quia, ut mox dicetur, duæ pluresvé formæ eandem numero materiam, etiam priùs aliâ formâ informatam, informare, eidemqué uniri substantialiter possunt.

667 Alij unionẽ inter extrema non esse aliquid positivi, sed meram negationem divisionis existimant. Sed & horum placitum displicet; tum quia divisio, seu non unio, & unio seu indivisio opponuntur non secùs, quàm esse & non esse; certum namqué est, quod divisio sit multiplicitas, multiplicitas verò, quoad rem ipsam, quidquid sit de modo significandi, est ipsa negatio indivisionis, seu unionis; adeoqué divisio cùm multiplicitatem importet, & multiplicitas unionis negationem, certum quoqué esse debet, quòd unio sit quid positivum, non secùs ac unitas. Tum quia, certum est nullum negativum esse posse rationem formalem, qualemcunqué entis positivi; ne entia positiva fingamus chymærica, ex esse & non esse intrinsecè & essentialiter consurgentia.

668 Nequé obest, quòd sicuti divisio est negatio unionis, ita videatur esse unio negatio divisionis; Nam paritas claudicat in eo, quòd esse negationem divisionis, est esse formaliter negationem negationis, adeoqué quid positivũ, ut patet si efferantur hujusmodi propositiones per terminos positivos, per quos optimè, & absqué periculo deceptionis, aut Elenchi explicatur, sicut unionis, ita & aliarum rerum essentia, ac natura.

669 Alij opinantur unionem inter materiam, & formam esse ipsas entitates Materiæ, & Formæ in esse respectivo sumptas connotantes decretum Dei, omnipotentiam sic applicatam, cæteraqué requisita, quæ omnia simul, vocant materiam, & formam cum tali sic se habentia, & connotatione; à qua & Connotatistarum nomen, apud cæteros Philosophos, sunt adepti: quorum opinio nobis non arridet; tum quia hæc omnia, ex quibus illi conglomerant illam suam, sic se habentiam, vel sunt aliquid distinctum ab entitatibus ipsis, vel non: si hoc ultimum dicatur, urget contra eos argumentum paulò ante allatum contra primum placitum; cras enim omnia illa erunt, & tamen non erit unio inter materiam & formam Petri, qui hodie morietur: si autem primum; tunc petimus, an hoc distinctum sit aliquid illis omnibus superadditum, vel non? si est; ergò unio est quid distinctum ab illis, utpote ultima determinativa ratio materiæ, & formæ Petri in esse uniti: si non; ergo cras post abscessum formæ, cùm maneant eadem omnia, quæ ad unionem materiæ Petri cum ipsius anima ab adversarijs requiruntur, manebit etiam unio inter materiam, & formam ejusdem, adeoqué cras Petrus vivens erit, qui hodiè est mortuus.

670 Tum etiam, quia decretum Dei, applicatio Omnipotentiæ, cæteraqué requisita se habent merè extrinsecè; nequé intrinsecè constituunt unitum, ne dicamus, quòd quodlibet compositum intrinsecè, & formaliter constituatur per aliquid divinum; sicut enim defacto unio est intrinseca composito; quia hoc absque illa haberi non potest: ita si esse unitum ingrediatur decretum Divinum, quod dicere illi debent, ex eo, quia haberi non potest essentialiter, & physicè unitum absque tali decreto, unitum constituetur per quid divinum intrinsecè. Tum demum quia si hæc omnia requirerẽtur intrinsecè ad esse unitum, totum compositum substantiale esset ens per accidens, utpote, quod in ratione compositi, seu uniti constitueretur per entia plura completa, distincta, imò omnimodè disparata.

671 Alij ingeniosiores Neotherici abhorrentes modales entitates, & videntes insufficientiam præcedentium opinionum ingeniosè ex-

cogitârunt aliam quandam rationem, vi cujus unionem compoſiti dicunt conſiſtere in aggregato materiæ, formæ, & entitatis abſolutæ illis ſuperadditæ, cum negatione actionis miraculoſæ. Quæ ſententia etſi nullam involvat repugnâtiam, improbatur tamen à nobis ideo; tum quia communis conſenſus SS. PP. & Philoſophorum tenet firmiter hominem non conſtare eſſentialiter, niſi duabus partibus abſolutis, juxta illud ſymboli: ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo: Quod datâ illâ tertiâ entitate abſolutâ ſubſiſtere non poteſt, ut conſtat.

672 Nec valet dicere, quòd entitas illa abſoluta tertia differat à duabus abſolutis ſimpliciter talibus per connotationem negationis actionis miraculoſæ. Nam hæc connotatio vel eſſet illi eſſentialis, vel accidentalis tantùm; ſi primum, ergò non eſſet eſſentialiter abſoluta; ſi ſecundum, ergò non poſitâ tali negatione adhuc illa entitas cum materia, & forma conſtituet unitum; quod enim accidentaliter importatur, ſive adſit, ſive abſit, non mutat rerum ſubſtantiam, vel eſſentiam: adeoqué ſive adſit ſive abſit illa negatio, entitas illa impediri non poterit, quò minùs det ſuum effectum formalem, qui eſt conſtitutio uniti, ſeu compoſiti: quapropter quomodocunqué ponatur, vel non ponatur negatio, quam accidentaliter reſpicit entitas illa tertia, conſurget compoſitum ita, ut nequé Deus impedire poſſit talem effectum; tam parum, quàm poſitâ albedine in ſubjecto impedire poſſit, quo minùs ſubjectum ſit album.

673 Accedit quòd hæ tres entitates abſolutæ, vel importent aliquid, quod eſt ultima actualis determinatio, ad hoc ut ipſæ inter ſe ſint unitæ, & compoſitum ſubſtantiale conſtituant, vel non? Dices nihil quidem poſitivi importare, ſed tantùm aliquid negativi. At contrà, quia ſic illud negativum eſſet ultima actualis determinatio ad eſſe unitum, quod dici non poſſe patet, tum ex paulo ante dictis, tum quia ſic multiplicaretur, vel entitas illa abſoluta poſitiva, vel iſta negativa abſqué neceſſitate, cùm alterutra nullum prorſus haberet munus, quod ſubiret; ſi enim aliquod eſſet aſſignabile maximè eſſet munus actualis determinativi ad eſſe unitum, quod neutri, etiam per adverſarios, convenire poteſt. Quòd ſi dicant tres illas abſolutas entitates nihil dicere à ſe diſtinctum in ratione uniti: contrà infertur, ergo hæ ipſæ tres entitates ſimul non ſunt unio, cùm abſolutè exiſtere poſſint, abſque eſſe unito.

674 Nec ulteriùs dicere poſſunt, quòd Deus potuerit ſic ordinare rerum naturas, ut unio nihil ſit aliud, quàm Materia, Forma, & entitas illa abſoluta, quæ ex ſuppoſitione, quòd aliquando exiſteret cum partibus, eſſentialiter eas faceret inter ſe unitas. Nam eſtò ſic à Deo fieri potuerit; unde tamen habent adverſarij, quòd ſic defacto factum ſit? imò è contra à poſteriori conſtat, quòd ſic Deus non ordinaverit; quia certum eſt, compoſitum ſubſtantiale eſſe ens per ſe, & non aggregatum aliquod per accidens; quod tamen ex contraria ſententia videtur neceſſariò ſequi; ſive enim dicatur, quòd entitas illa abſoluta ſit ſubſtantialis, ſive accidentalis; ſalvari non poteſt quin ex tribus ſubſtantialibus entitatibus abſolutis, & hoc ipſo eſſentialiter ad ſe non coordinatis, vel ex duabus ſubſtantialibus, & unâ accidentali, non oriatur aggregatum per accidens.

675 Nec obeſt, quòd talis abſoluta entitas haberet tantum ſe, ut quô. Nam ratio fundandi in relationibus prædicamentalibus intercedens inter duas ſubſtantias, eſtò habeat ſe, ut quò, conſtituit nihilominùs compoſitum relativum accidentale; ſic actio & ubicatio, quia accidentia ſunt, conſtituunt cauſatum & ubicatum non per ſe, ſed ſolùm per accidens. Unde cùm nulla ex dictis opinionibus ſufficienter explicet, in quonam ſita ſit phyſica quidditativa entitas ſubſtantialis unionis: ideò inferimus &

676 Dicimus unionem in ſubſtantiali compoſito eſſe entitatem ſubſtantialem modalem, ab extremis realiter modaliter diſtinctam, cujus eſſentia in eo conſiſtit, ut uniat materiam formæ ſubſtantiali, & hanc viciſſim illi, ita ut abſque talibus extremis, quorum eſt unio, abſolutè eſſe non poſſit. Quod ut aſſeramus, argumentum nobis ſubminiſtrat eſſentia ipſa entitatum modalium, in eo conſiſtens, ut hîc ſupponimus, ex dicendis in Metaphyſica, quòd ſit actualis ultima determinatio alicujus rei ex ſe realiter indifferentis, ad aliquid conſtituendum, vel cauſandum, realiter à rebus ipſis per eam determinabilibus diſtincta; quæ cùm ſit imprimis de primo conceptu ſubſtantiæ completæ, & unitæ, neceſſariò eſſe debet ſubſtantialis, non minùs quàm materia, aut forma; cùm eâ præcisè ablatâ non habeatur ampliùs ſubſtantia unita, & completa.

677 Cùm ſit deinde ultima actualis determinatio unibilium, per quam indifferentia materiæ intrinſecè determinatur ad hanc formam, & viciſſim; unio nullam habere poterit potentialitatem, cùm impoſſibile ſit, ut eâ exiſtente inter materiam, & formam, hæ unitæ non ſint actu. Atque ex hoc tertiò habetur, quòd ab illis etiam divinitus ſit inſeparabilis, cùm nihil eſſe poſſit abſolutè, abſq; ſua eſſentia; eſſentiam autem unionis eſſe talem, ut ſit actualis determinatio ad eſſe uniti, conſtabit ex dicendis de communi eſſentia modorum loco paulò antè citato.

678 Ex quibus rectè infertur, pro meliori dictorum notitia. Inprimis unionem in compoſito ſubſtantiali tenere ſe ſubjectivè ex parte mate-

materiæ; terminativè verò intrinsecè ex parte formæ; quia & id constat ex unione hypostatica Verbi cum humanitate; & quia sufficit, ad hoc, ut unio connectat essentialiter duo, sit illis intrinseca, reddatqué illa inseparabilia invicem; intrinseca autem, & est, & dicitur tam subjectivè quàm terminativè considerata; uti clarum est in homine, cujus unio intrinseca est materiæ subjectivè; animæ verò spirituali terminativè.

679 Deinde hanc unionem in composito unicam esse essentialiter; cùm sufficiat unus totalis nexus ad conjungenda duo simul, uti patet in Christo Domino, in quo unica est unio adæquatè uniens Verbum Humanitati.

680 Demum tertiò tametsi unio sit essentialiter unica, integraliter tamen divisibilis est, imò & quoad propriam essentiam spectata est virtualiter extrinsecè multiplex. Ratio priorem illationis partem suadens, est; quòd sit entitas materialis substantialis, de cujus essentiali conceptu est, habere partes extra partes, essequé realiter divisibile, & entitativè extensum.

681 Alteram illationis partem suadet derivatio talis totalis unionis, quæ in unum ita confluit, ut deinceps sit realiter per quamcunque potentiam inseparabilis, & multò magis, quàm sit quæcunque forma mixti tertia, proveniens à diversis physicè principijs; sic physica forma muli proveniens ab equo & asina, lyciscæ à lupo & cane, nucipruni à pruno & nuce, ita inseparabilis est, ut videatur inconceptibile, quomodo rursus separari possint realiter duæ illæ virtutes deciscæ, in unam formam coalescentes, tametsi virtualiter extrinsecè possimus per rationem nostram facere distinctionem aliquam in ea, si comparetur cum principijs, à quibus deciditur & derivatur.

682 Quo pacto physicè, & realiter de unione, quæ in quocunque composito materiali est, discurrentes, dicimus eam esse unam, si cum composito, quod constituit, ut quò essentialiter, comparetur. In quo quæ difficultatis, aut novitatis suspicio exoriri possit, consideranti jam allatas instantias, & rationem ipsam perpendènti, non videmus. At de Causis Materiali & Formali, dequé ipsarum causalitate, juxta hunc præsentem rerum ordinem, dicta sufficiant, ulteriùs libeat examinare non minùs dignas scitu, quàm curiosas quæstiones, quarum prima est, an

Physica eadem materia divinitus informari, & uniri possit pluribus simul formis substantialibus?

683 NOn pauci, viri cæteroquin doctissimi existimant id defacto contingere, & quidem non solùm respectu formarum subordinatarum, quas partiales vocant, verùm etiam absolutarum, freti experientijs quibusdam, quæ id satis evidenter primo intuitu videntur suadere; qualis est illa ferri igniti, ubi certum esse apparet, & esse substantialem formam ferri, cùm se reducat amoto agente exttinseco ad debitum sibi statum; & substantialem formam ignis; cùm ignitum ferrum habeat omnes illos effectus, & proprietates, quæ formam ignis cæteroquin consequi solent, quales sunt lumen, color, siccitas, &c.

684 Verùm hæ experientiæ inprimis solvuntur, & salvantur ratione, quâ constat generationem unius esse connaturaliter corruptionem alterius: quod verum non esset, si ignis informaret materiam ferri, generaretur siquidem forma ignis absque ullius alterius formæ corruptione, & postea corrumperetur, absque ullius generatione, ut constat. Deinde massa illa ferrea est aggregatum quoddam ex multis item fæcibus, & scorea conflatum: Ita ut præter substantialem formam ferri, in alijs materiæ partibus adhærescentibus materiæ ferri, sit etiam substantialis forma scoreæ; in quas materiæ partes, debitè applicatus ignis, formam suam inducit corruptâ priori. Quod certum esse, experientia fabrilis demonstrat; quâ patet, quòd dum faber malleo ferrum candens percutit, innumeræ prosiliant scintillæ, igneæqué particulæ, quæ non in ferro intrinsecùs, sed in solis partibus extimis, & superficialibus, per juxtapositionem accedentibus ferro, in fornace constituto continebantur. Quibus tamen non obstantibus

685 Probabile esse putamus, quòd & in alio rerum ordine plures formæ substantiales totales informare possint eandem numero materiam, & supernaturaliter quandocunq; Deo visum fuerit, id posse contingere. Rationem primæ partis asserti nostri desumimus ex eo, quòd in alio rerum ordine possit dari materia adeo perfecta, ut superet perfectionem pluriun materialium formarum, in quo casu haud dubiè duæ formæ substantiales, utpote materiâ imperfectiores possent ipsi uniri, eamqué connaturaliter informare; si enim id fieri non posset, esset inde, quòd forma sit prima radix operationum, & proprietatum, quæ enti naturali conveniunt; quod minimè obest; nam licèt defacto loquendo vera sit major, non tamen adferri potest ratio, cur in alio rerum ordine tale principium multiplex in se esse non possit, uti suprà ostendebamus de duabus, aut pluribus differentijs constituentibus integrã, & completam differentiam. Imò cur una forma in eadem materia certas, & determinatas proprietates, & operationes formaliter non principiet, alia verò alias, absque eo quòd una alteram præsupponat, sed æqualiter utraque

can-

eandem materiam de ſe capacem, afficiat, & informet?

686 Ex quo rationem deducimus alterius partis aſſertionis noſtræ; cùm enim in materia defacto ſecundum ſe ſpectata capacitas ſit, quantum eſt de, ad recipiendas formas omnes, non eſt cur DEUS de abſoluta ſua potentia nequeat in capacitate ejuſdem materiæ diſpoſitiones ultimas, & completas ponere ad plures formas etiam oppoſitas, ad quas diſpoſitiones ſequantur ipſæ plures, imò oppoſitæ formæ ſubſtantiales. Indubitatum ſiquidem videtur, quòd DEUS poſſit ponere in eadē materia duo accidentia, etiam oppoſita ſumè intenſa, v. g. ſumam humiditatem, & ſummam ſiccitatem, ſummum caloré, & ſumum frigus, cùm poſſit earū activitatem in invicem ſuſpendere; hæc autem accidentia taliter ſumpta eſſent ultimæ diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales ſibi convenientes, adeoqué illis poſitis de potentia abſoluta neceſſariò ſequi eas deberent formæ duæ, aut plures etiam oppoſitæ informantes eandem numero materiam. Quâ in hypotheſi poſſibili & eſſent realiter plura compoſita, ſecundum quidditatem formalem diverſa, cùm præſertim quælibet forma uniretur diversâ ſubſtātiali unione cum materia, & quidem ita, ac ſi materia aliâ formâ informata non eſſet.

687 Neque tamen eo in caſu locum haberet illud principium; quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; cùm hoc tantùm verum ſit reſpectu eorum, quæ quoad ſubjectionem, & prædicationem uni tertio conveniunt; alioquin duo homines, qui eſſent in eodem loco, tempore, &c. deberent idem eſſe inter ſe, quod nemo admittit.

688 Nec obeſt inſtantia, quam quidam objciunt deſumptam ex prædicationibus, quibus in Chriſto prædicatur DEUS de homine, & è contrà; nam lata eſt diſparitas; ideo enim illæ ſunt bonæ prædicationes, quia hypoſtatica unio facta eſt in perſona, adeoqué rectū hujus, & DEI, nempe perſona eſt idem, & conſequenter dum dicimus: DEUS eſt homo; aliud non dicimus, quàm quòd perſona habens Divinitatem, ſit perſona habens humanitatem; quod in adverſariorum inſtantia non reperitur, cùm uniones duarum, vel plurium formarum, fierent in materia, quæ ſe ſolâ, non eſt id, quod in recto dicit compoſitum naturale; ac proinde licèt materia equi, eſſet etiam habens formam aſini, non propterea verùm eſſet, equum eſſe aſinum, vel è contra, &c. Altera verò quæſtio eſt, an

Phyſica eadem forma ſubſtantialis etiā non replicata poſſit abſolutè ſimul, & ſemel plures numero ſubſtantialiter informare materias.

689 SIcuti enim corpus unum poteſt eſſe in pluribus locis ſimul, unaqué accidentalis forma in pluribus ſubjectis, atque una materia ſub pluribus formis, & una ſubſiſtentia poteſt afficere & terminare plures naturas, uti certò conſtat ex myſterijs ſacroſanctæ Fidei noſtræ; ita de potentia abſoluta non eſt cur repugnet, ut una eademqué forma per plures ſubſtantiales uniones diverſis numero materijs uniatur, eaſqué informet; eadem namqué utrobiqué eſt ratio, cùm qui ſolvere poteſt objectiones contra priorem partem antecedentis, eaſdem etiam ſolvere poterit, & eâdem facilitate pro eo quod adſtruximus.

690 Accedit quòd defacto eadem anima rationalis connaturaliter reperiatur in pluribus ſubjectis inadæquatis inter ſe diſtinctis, & ab invicem diſtantibus, uti in capite, manibus, & pedibus hominis: cur igitur de potentia abſoluta informare etiam eadem plures materias nequeat? præſertim cùm defacto habeamus, quòd miraculosè eadem rationalis anima informaverit duas materias diſcontinuatas, prout contigiſſe authenticè habetur D. Dionyſio Areopagitæ, qui ſpatio duorum milliarium à Pariſienſi urbe caput ſibi abſciſſum, actu populis prædicans, tulit ad templum uſque, quod ejuſdem ſancti honori viſitur magnâ cum celebritate dedicatum: quod ſine dubio fieri nequiviſſet, ſi miraculosè ejus anima ſimul non informâſſet corpus, & caput ab eo præciſum.

691 Neque ex hoc ſequitur, quòd forma materialis eſſet infinitæ virtutis, ut quidam arguit, eò quòd eâdem ratione, quâ poteſt informare duas, treſvé materias, poſſet etiam informare non tot quin plures, adeoqué infinitas. Sicut enim non ſequitur per adverſarios, ex eo quòd corpus idem per replicationem exiſtere poſſit in pluribus locis adæquatis, illud eſſe virtutis infinitæ; ita pari ratione non ſequetur infinitudo illa perfectionis in forma materiali potente informare plures materias; corpus enim reſpectu diverſi loci exercet virtutem repletivam, æquè ac forma reſpectu diverſæ materiæ virtutem ſuam informativam.

692 Nec etiam ſequitur ex noſtra theſi, formam talem dependere, & non dependere à pluribus illis materijs, quas ſimul informaret. Inprimis enim dici poſſet talem formam totaliter, & adæquatè pendere ab una materia in fieri, ab alijs verò minimè, quia reſpectu earum poſſet ſe habere, non ſecùs quàm defacto anima rationalis ſe habeat conſtituens cum materia unum per ſe eſſentialiter intrinſecè à materia non dependens. Dici deinde poteſt talem formam nec ab una, nec ab alia materia dependere in fieri, licèt utrique uniretur; cùm non ſit abſolutè neceſſarium, ut forma materialis dependeat in fieri à materia, ſiquidem abſo-

absolutè loquendo possit creari, seu produci ex nihilo materiæ.

693 Nequé demum sequitur quòd talis forma informans plures materias, constitueret plura composita, & non constitueret; cùm composita multiplicentur solùm ad multiplicationé formarũ, quæ multiplicitas non daretur in nostro casu. Nam, ajo, futura in tali eventu simpliciter plura composita; quia si eadem forma successivè informaret plures numero materias adæquatas, quod fieri minimè repugnat, constitueret plura sine dubio composita; adeoqué idem præstabit si simul plures numero materias informet; universim enim loquendo de compositis, præsertim substantialibus, (nam de accidentalibus præcipuè verificatur assumptum axioma) toties unum est numero distinctum ab altero, quoties vel forma illius, vel adæquata materia est numero distincta, vel à forma, vel à materia adæquata alterius.

Efficientis principij & causæ, Quiditas, & Quotuplicitas.

694 NObilissima esse censetur inter physicas causas Efficiens; nec immeritò; sive spectemus agentia illa, quæ illius rationem participant; sive ordinem executionis, qui ab eadem incipit; sive communem usurpationem effectuum omnium, qui ab illa antonomasticè effectûs nomen sortiuntur. Eam dari etiam in natura creata, præter sacram Authoritatem, rationes evidentissimis in experientijs fundatæ sufficienter demonstrant.

695 Rectè illam universim sic definimus; quòd sit principium à quo per realem Causalitatem, seu influxum defectibilem res aliqua esse suum accipit finitum, & defectibile. Cujus definitionis sufficientia non aliter ostenditur, quàm quòd illa benè explicet definiti sui naturam, conveniatqué omni, & soli causæ efficienti, ut quivis facilè eam perpẽdens discernet; si præsertim animadverterit, quòd efficiens prima sit à qua est motus in comparatione aliarum causarum, quarum causalitates dependere debent necessariò ab aliquo principio effectivo, non secùs ac dependeant à principio passivo, tametsi eodem reali temporis instanti omnes causæ concurrant ad productionem effectûs connaturaliter.

696 Imò efficienti videtur tribuenda quædam excellẽtiæ prioritas inter alias causas, eo quòd vera sit hæc causalis; ideò aqua v. g. calefit, quia ignis agit in aquam, & non è contra. Quæ causalis videtur fundari in illo Aristotelico principio; Primum movens est id, quod determinat motum: ab illo namqué dicitur primò esse motus, à quo dependet primò; ob quam rationem dicimus viventia à se moveri, quia illa sibi motum determinant, nequé egent extrinseco aliquo determinante, ad hoc ut moveantur.

697 Sic definita causa Efficiens septempliciter, nec malè, potest dividi. Primò nempè in causam per se, & in causam per accidens: illa est à qua directè pendet effectus, secundum illud esse, quod habet, & in quantum effectus est, qualis est ignis respectu alterius ignis, quem in ligno sibi debitè approximato producit. Causa verò per accidens è contra: quæ accidentalitas oriri potest, vel ex eo, quòd id, quod dicitur causa per accidens, accidentaliter conjunctum sit cum causa propria, & per se, sic musicus ædificans, quâ musicus, est causa per accidens ædificationis; quia in eo Musica per accidens conjuncta est cum Architectonica, quæ est causa per se ædificationis: vel certè inde, quod accidẽtalitas se teneat ex parte effectûs, & contingit tunc, quando effectus aliquis jungitur effectui per se; sic motus dicitur causa caloris, & calor nigredinis.

698 Secundò in causam Efficientem Physicam, & in Efficientem Moralem. Illam jam paulò antè definivimus: Moralem autem dicimus esse illam, quæ etsi physicè non influat in effectum, ita tamen respectu ejusdem se habet, ut juxta moralem, & prudentem æstimationem, effectus meritò illi imputetur, & adscribatur: sic qui rogat, qui consulit, qui præcipit, qui cùm potest, & tenetur impedire, & non impedit effectum aliquem, censetur moralis causa ejusdem. Dici etiam solet causa simpliciter physica illa, quæ positis debitis circumstantijs necessariò agit: Moralis verò quæ libertate est prædita, quales causæ sunt tantùm sola agentia rationalia.

699 Tertiò in causam Efficientem Principalem, & Instrumentalem: illa est, quæ habet virtutem adæquatam secundum se ad producendum effectum independenter à quacunque alia in eodem genere. Instrumentalis autem è contrà, quæ secundum se caret tali virtute adæquatâ, ideoqué dependet à principali agente concurrente simul cum illa. Et quia instrumentum aliud esse potest Conjunctum cum agente principali, aliud separatum ab eodem, ideo etiam instrumentalis in Conjunctam & separatam subdividitur. Illa est quæ cum principali conjungitur, quod fit duobus modis: vel nempe per contactum & præsentiam; vel per causalitatem, quando principalis cum instrumento simul agit. Separata autem est illa, quæ totidem è contra modis separata ab agente principali operatur; vel enim primò separari potest contactu & præsentiâ, non causalitate; sic influxus solis in viscеribus terræ producit cum sole re ipsâ influente aurum, cæteraqué metalla, absque actuali contactu, vel præsentia solis: vel secundò separari potest simul præsentiâ, & causalitate; sic vis formatrix,

ſemini viventis impreſſa, operatur etiam poſt interitum viventis à quo illud ſemen fuit deciſum.

700 Quartò in cauſam Primam, & cauſam Secundam. Illa eſt ſolus DEUS Opt. Max. Hæc verò quævis res creata alterius productiva.

701 Quintò in cauſam Æquivocam, & eſt illa, quæ producit effectum diverſæ à ſe rationis, & ſemper ſe ignobiliorem: Et in cauſam Univocam, quæ producit effectum ejuſdem ſecum rationis, ut ignis ignem.

702 Sextò in Totalem, & Partialem: illa eſt, quæ producit totum effectum totaliter: hæc verò, quæ vel partem effectûs producit, vel non totaliter, id eſt, non producit ſola, ſed in conſortio alterius cauſæ in eodem ordine ſecum concurrentis. Et demùm

703 Septimò in cauſam Proximam, & Remotam. Proxima, ſeu immediata eſt, quæ ita dat eſſe effectui, ut ab ea immediatè procedat actio terminata ad effectum; mediata autem ſeu remota è contrà. Alias cauſæ Efficientis diviſiones, quas nonnulli hic conglomerant, ſcientes præterim⁹, tum quia per decurſum facilè quid, & quænam ſint, patebit: tum quia non ſunt propriè membra dividentia efficientis ut ſic, ſed potiùs ſubdividentia aliquot illius præcipuum membrum dividens, cujuſmodi ſunt illa, Efficiens, Præparans, Perficiens, Adjuvans, & Conſilians⁹.

Phyſicæ cauſæ efficientis creatæ Activitas ſimpliciter.

704 IN hujus explicatione nec paucæ, nec leves ob diverſa Authorum placita occurrunt difficultates, aliqui namqué non infimæ notæ recentiores Philoſophi, præſcindendo à cauſis liberis, quas immediatè activas eſſe, coacti ſtatuto Oecumenicæ, Tridentinæ Synodi ſeſſ. 6. concedunt, exiſtimant creaturas præſertim ſublunares purè materiales non habere virtutem ſubſtantialem aliquam effectum operandi; qui poſteà in aſſignandis cauſis effectuum ſubſtantialium, quos fieri de novo nemo prudens negaverit, multipliciter ſunt diviſi.

705 Alij enim, ut religioſiores videantur, eorum productionem immediatam in ſolum DEUM refundunt; Alij, ut magìs Platonici appareant, attribuunt illam alicui Intelligentiæ ſeparatæ, quam Avicenna voce Arabicâ Calcodeam, à munere nimirum dandi formas, appellavit. Et demùm alij, ut ſe præbeant æqué naturalis Philoſophiæ ſtudioſos, ac Aſtrologiæ Judiciariæ patronos, affirmant à ſolis corporibus cœleſtibus, & ſubſtantijs Sidereis, omnes quæ de novo producuntur ſubſtantiæ, immediatè produci.

706 Verùm ex his placitis nullum eſſe probabile, præter authoritatem Sacræ Scripturæ paſsim activitatem ſubſtantiarum purè materialium conteſtãtis; ratio tam à priori, quàm à poſteriori omnino perſuadet. A priori quidem, quia eſſe operativum immediatè, & principaliter eſt perfectio participabilis à creatura, ut fateri debent Adverſarij, præſertim ſecundæ, & tertiæ opinionis Fautores; imò & primæ; nam per ipſos accidens creatum participat eſſe operativum alterius accidentis immediatè à DEO, cum per ipſos lux operativa ſit immediatè lucis, & calor caloris: cùm igitur perfectio imediatè agendi participetur ab aliquibus creaturis, non eſt ratio cur non etiam à ſubſtantijs præſertìm ſublunaribus, purè materialibus participabilis ſit, & defacto participetur: quando enim aliqua ſunt intra eundem ordinem, & participant aliquod prædicatum, illud quod perfectius eſt in tali ordine debet participare illud perfectiori modo, vel ſaltem æquè perfecto, ac idem participat id, quod imperfectius eſt in eodem ordine: prout patet in Angelo, & homine, qui quia ſunt in ordine intellectivo, uterque participat rationem intellectivi, ita, ut Angelus, quia ſecundum ſe perfectior eſt homine, illud perfectiùs participet, homo minùs perfectè, ut patet; pari adeoqué ratione, cùm ſubſtantia creata, & creatum accidens, ſint verè, & realiter in ordine creaturæ, participabit illa prædicatum operativi perfectiùs, quàm accidens ipſum, cui illud adverſarij concedunt.

707 Rationem autem à poſteriori noſtræ aſſertionis habemus ab operationibus, & effectibus, quos à brutis produci cernimus; ſi enim hæ operationes, & effectus ab animali ipſo non procederent; quo pacto equus ad tubæ ſonitum concitaretur ad bellum, vel ad ictum calcaris in curſum? quo pacto bos arans ad certum ſignum impelleretur ſtimulo; & ad aliud ſignum ſibilo monitus quieſceret? annè credibile eſſe poteſt, quòd vel aſtra determinata ſoni illius ſonitu motum, & quietem animalis producant? Quod ſi verum foret animalia motu non fatigarentur; cùm non fatigari poſſit id, quod omninò nihil agit. Imò malè animantibus ab Authore naturæ proviſum eſſet, ſi fatigarentur actione à Deo, vel cauſis univerſalibus productâ, virtutemqué operandi Deus ſibi ſervaret, creaturis verò ſolum laborem, & defatigationem fuiſſet impertitus. Quin naturæ Author quaſi captioſus præſtigiator videri poſſet, qui ad ſolum oculorum ludibrium ignem nobis ſemper exhiberet ad præſentiam ignis, leonem ad leonis diſpoſitiones, cùm per adverſarios non minùs ignis ſit cauſa leonis, quàm leo cauſa ignis.

708 Nec fundamentum eorundem placiti deſumptum ex eo quòd nec Angeli, nec corpora cœleſtia habeant virtutem productivam ſui ſimilium, quidquam urget, tum quia illa virtutem

tem non habent producendi dispositiones in subjecto aliquo ad sibi similia producenda necessarias, quam virtutem non negant adversariorum quidam substantijs sublunaribus: tum quia Angeli ex principijs suis intrinsecis indestruibiles sunt, & producti per solam actionem creativam, utpote naturâ suâ per aliam improducibiles.

Physicæ causæ efficientis creatæ Activitas immediata.

709 HAnc illi negârunt non pauci doctrinæ peripatheticæ sectatores, tribuendo productionem substantiæ vel solis accidentibus simpliciter, & immediatè; vel saltem ipsis tanquam instrumentis substantiæ in hujus virtute immediatè concurrentibus.

710 Verùm quàm probabiliter id dicant, patet tum inde, quòd repugnet, ut id quod imperfectius est, quale est accidens respectu substantiæ, possit primò & per se immediatè producere tanquam causa substantiam ex genere suo longè perfectiorem quocunqè accidente, virtutequé hujus activâ, cum hæc illi essentialiter realiter sit identificata.

711 Tum quia, dum dicitur, quòd accidens in virtute substantiæ aliam substantiam producat, vel intelligitut, quòd producat per virtutem aliam communicatam sibi à substantia; vel quòd accidens sit virtus substantiæ? Primum dici non potest: nam talis virtus communicata accidenti, vel esset substantia, & sic habemus intentum, quòd substantia immediatè producat substantiam; vel accidens, sicqué redit de novo quæstio: nec etiam secundum, quia estò accidens esset virtus substantiæ, non sequitur, quòd sit ita perfectum, ut est substantia, cujus est virtus, & consequenter hoc ipso non esset productivum substantiæ, nec partialiter quidem, ut quidam existimant, cùm nemo dare possit etiam partialiter, quod non habet.

712 Nec obest, quòd verum sit, accidentia non esse data substantijs ad solum earum ornatum; adeoqué videantur ijs data, ut ipsis mediantibus, vel saltem partialiter coadjuvantibus substantia producatur: hæc namqué veritas salvatur sufficienter, dicendo, quòd accidentia non efficienter, sed solùm ut dispositiones, seu etiam ut conditiones subserviant substantiarum activitati, & operationi. Unde rectè inferimus, &

713 Dicimus substantiam solam esse causam adæquatam & totalem alterius substantiæ effectivam, ita ut ad illam nullatenus Accidens efficienter concurrat. Quia nimirum quoties datur causa univoca alicujus effectûs, illa sola ad ejus productionem adæquatè concurrit, uti constat ex data supra notione causæ Univocæ; eum igitur omnes formalitates effectûs substantialis producendi, vel producti substantia contineat, producet illum se solâ, ne frustrà sit illius potentia & virtus, qualis foret si se solâ non posset exire in actum.

714 Nec obest, quòd subinde ad præsentiam solius accidentis sæpe substantia producatur, tametsi omnis substantia, cui talis effectus attribui posset, absit: sic ferrum candens retinens formam ferri, stupam ignefacit, sic affrictu chalybis & silicis, vel etiam attritu duorum lignorum ignis elicitur, sic rotarum axes persæpe inflammantur: sic exhalationes, & vapores celeri raptu per aërem librati ardescunt: sic sagittæ ex arcu, & globi ex bombardis emissi scintillant; sic irradiatione lucis in speculo refractæ, vel reflexæ, aliqua succenduntur; sic demùm mures, ranæ, aliæqué bestiolæ ex sola terræ putrefactione sæpè generantur: quibus omnibus productionibus cum substantia producatur; neque adsit substantia, cui talis effectus attribui possit, nisi recurratur, ut aiunt, ad machinas, & ad DEUM ipsum, consequenter dici debebit accidentia esse immediatam causam, saltem in talibus casibus, productivam substantiæ.

715 Has enim multiplices experientias, quibus multum fidunt adversarij, nobis nihil prorsus probare, probamus, assignando substantias creatas ipsas immediatè horum effectuũ productivas, non quidem vagas, ut nonnulli existimârunt, sed omnimodè determinatas: & quidem ignearum illarum productionum causa substantialis immediata sunt semina quædam ignea, ac spiritus subtilissimi virtualiter ignei, qui in plerisque, vel fortè etiam omnibus corporibus mixtis reperiuntur, his enim per motum, vel attrittum concitatis accedunt plures, quibus aër, & terra præsertim abundat, ejusdem rationis spiritus, & semina ignea, per sympathicam quamdam virtutem attracta, & allecta, qui motu, & concitatione vehementiori erumpunt tandem in flammas.

716 Quòd autem concedendæ sint hujusmodi subtiles substantiæ igneæ, ac veluti ignis semina, patet tum ex ignibus subterraneis, qui per terreos poros incessanter exhalant spiritus suos tenuiores; tum ex meteorologicis igneis impressionibus, quarum accensio non nisi in hæc ignis semina reijci potest; prout eruditè præ cæteris demonstrat P. Nicolaus Cabæus in 3. meteor. Arist.

717 Ad id, quod addebatur de animalibus, quæ ex putri generantur eâdem ratione respondendum censemus, videlicet virtute solis, siderum, terræ vaporum, aliarumqué causarum peraccidens concurrentium elaborari ex hujusmodi spiritibus seminalibus fibram quandam substantialé, quæ sit veluti semen talis animalis, ejusq; organizationè mirificè producat, atq; in corpus ipsius sic organizatum formam animalis efficienter influat. Cujus

718 Cujus veritatis indicium nobis clarum exhibet experientia ovi, in quo præter vitellum, ſeu croceum ovi, quod in pullum convertitur, alia reperitur maſſa quædam tenuis, quæ pullo excluſo ſupereſt, cujus formam neceſſariò dici debet producere, né fruſtranea illa ſit, nulliq; uſui à natura deſtinata; ad alimentum ſiquidem, & fomentum pulli non illa, ſed ovi albumen ſubſervit, cùm conſtet, quòd albumen à pullo in ſuam ſubſtantiam non convertatur. Hoc ipſum patet in grano tritici, in quo præter id, quod alias in farinam convertitur, alia quædam ſupereſt particula, quæ formam ſpicæ producit, & quam formicæ conſervaturæ granum, ne germinet in hyeme, in cibum autumnalem, ſic à natura doctæ, ſibi amputant.

719 Quòd ſi quis dicat has ſubſtantias ſeminales, non habere virtutem adæquatam ad hujuſmodi effectus; reſpondendum illi eſt, quòd ſicut gratis id aſſumit, ita facilè etiam à nobis negetur: probabile namqué eſt, quòd hæ virtutes tenuiſſimæ ſeminales, coadjutæ à cauſis ſublunaribus per accidens concurrentibus, & maximè à ſuperlunaribus formam vitalem, ſeu animam talium animantium abſqué difficultate producere poſſint; ſi enim quid obſtaret, præcipuè eſſet, quòd hujuſmodi cauſæ coadjuvantes virtutem ſeminum, vitales non eſſent: verùm id non obſtare patet ex eo, quòd in omnium ſententia, ſidera, & corpora ſuperlunaria, quantumvis vitæ ſint expertia, ut conſtat contra damnatam ſententiam Originis, influant tamen efficienter ad eductionem planetarum, ſegetum, arborum, imò & animalium perfectorum, juxta Ariſtotelicum illud: ſol & homo generat hominem.

720 Univerſus autem noſter hic diſcurſus fundatur in doctrina Ariſtotelis 1. meteor. tex 46. ubi docet dari circulum quendam in natura, quem ipſe vocat rectilineum, ſeu circulationem naturæ, in his ſublunaribus perpetuò currentem; oſtendit namqué ibidem Philoſophꝰ, quod vi caloris res reſolvantur, & ſpiritus earum, ac partes tenuiores, à craſſioribus ſeparentur, quas tenuiores partes dicit retinere ſeparatas eandem, quam prius habebant naturam; quod verum eſſe confirmant innumeræ Chymicorum experientiæ.

721 Et idcirco idem Ariſtoteles citato loco aëream regionem appellat mare magnum, in quo omnes iſti ſpiritus, ſeu ſubtiliores rerum partes, ad inſtar vaporum, ſeu aquæ fluunt, ac refluunt, elevanturqué vi ſolis, ac ſiderum, dum mixtum reſolvitur, iterumqué decidunt ad terram, à pluvijs, & nivibus delatæ, ut rurſus novas res & formas producant, non ſecùs, ac flumina intrant in mare, & à mari denuò exeunt, ut iterùm fluant,

722 Ex quibus Spiritoſis ſeminibus rerum oritur & perpetua hæc, quam cernimus in mundo hoc ſublunari viciſſitudo, & per illa ſalvantur optimè innumeræ cauſæ rerum, quas in partibus aſperioribus præſertim, diverſiſqué globi terraquei crepidinibus contingere videmus; ut v. g. cur in tectis domorum ſæpè germina, & gramina; cur in præruptis rupibus arbores; cur in piſcinis maxima piſcium copia, quibus in ea ſimiles nunquam fuêre impoſiti, producantur: cur demùm tot generationes animalium imperfectorum in partibus terræ putredini obnoxijs oriantur?

723 Nequé ex hac tamen naturæ circulatione ſequitur, quòd aliqui inferunt, eundem numero effectum redire poſſe connaturaliter. Contra namqué ſtat experientia, quâ conſtat res poſtquam corruptæ ſunt, non ampliùs connaturaliter redintegrari: nam flos, qui hoc anno decidit, aut gramen, quod defalcatum eſt, anno ſequenti non redit idem numero; quia ſcilicet & pulchritudo, ac varietas univerſi id videtur exigere, ut effectus ſemel corruptus non reproducatur; ac propterea à nunquam ſimul ampliùs redeũt eædem numero cauſæ ad eundem effectum producendum, ſtatuente ſic Divinâ Providentiâ, ne præfixus à ſe rerum producibilium, & corruptibilium regulatiſſimus ordo perturbetur, ſed perſeveret in perpetua ſua mutatione immutatus. Ex quibus meritò oritur quæſtio ſapiente digna.

Phyſicenè idem agens creatum quoad primum, vel ſaltem quoad ſecundum ſui eſſe poſſit ſe ipſum producere?

724 IN cujus deciſione videtur nobis ſic progrediendum; ut negemus abſolutè primam ejus partem; & abſolutè concedamus reſpectu Divinæ Omnipotentiæ ſecundam. Ratio illius eſt, quia ſi idem poſſet ſe ipſum producere quoad primum eſſe, idem eſſet primum, & non primum, prius & poſterius ſeipſo, exiſteretqué ante primam ſui exiſtentiam quoad idem omninò primum eſſe: eſſet namqué cauſa ſui ipſius, adeoqué eſſet prius, cùm omnis cauſa præſupponatur neceſſariò ad id, cui dat eſſe: eſſet item effectus, adeoqué ex eadem ratione eſſet quid poſterius: eſſet præterea primum ex hypotheſi, & non eſſet primum ex ratione; quia prima rei productio neceſſariò præſupponit pro priori naturæ exiſtentiam ſui principij, adeoqué præſupponit primum eſſe ſui principij, ſicqué illud eſſe, quod à ſeipſo haberet, primum non eſſet, ſed ſecundum.

725 Neque hæ implicantiæ quoad primum eſſe ſalvari ullatenus poſſunt per diverſitatem actionum, quæ reſpectu talis eſſe nulla eſt, ſicut reſpectu ſecundi; ex quo deſumimus argumentum aſſerendi alteram quæſtionis partem.

726 In qua aſſertione nulla repugnantia reperitur; nam idem à ſe ipſo, habente jam primum

mum esse aliunde per actionem ab aliquo alio principio dependentem, produceretur quoad esse secundum per aliam actionem à se ipso dependentem, sicqué per diversitatem actionum, & tollitur implicantia omnis; & simul ostenditur tum inadæquata distinctio inter causam & effectum, quæ sufficit, uti patet in causis materiali, & formali respectu compositi, à quo inadæquatè tantum distinguuntur; & prioritas naturæ sufficiens; cùm secundùm esse involvens essentialiter ipsam secundam actionem, quâ tale reduplicativè acceptum non existat formaliter in primo esse involvente pari necessitate primam, eamqué diversam actionem à secunda. Cumqué aliunde supponamus idem quo ad primum esse positum habere jam virtutem hoc ipso producendi effectus sibi similes, non est ratio, cur non habeat eandem respectu Divinæ Omnipotentiæ producendi etiam se ipsum quoad secundum, tertium, & quartum esse. Nam ex eo, quòd res aliqua producta sit, non tollitur ipsi potentia, & capacitas physica, quò minùs absolutè sit secundò, & tertiò, ac sæpius producibilis.

727 Nequé obest ex hac nostra assertione sequi, quòd idem sæpius productus possit esse Dominus & servus, Magister & Discipulus, Pater & Filius suimetipsius; quod verum est, quia respectu diversarum actionum reproductivarum idem à se ipso sufficientissimè distingueretur, essetqué re ipsâ capax omnium dictarum denominationum ob æquivalentiam productionum, quæ de se tales sunt, ut quævis, si aliunde entitas illius, ad quam ipsa est, esse non haberet, daret ipsi illud esse, ipsamqué extra causas poneret.

728 Multò minùs facessit negotij paritas desumpta à causis formali, & materiali, quæ seipsas quoad secundum esse producere nequeunt, quod idem de efficiente dici debere suadet. Dispar namqué ratio est inter has causas inde; quòd materia & forma sint causæ intrinsecæ, quæ per unionem realiter distinctam uniri ad invicem debeat: Cùm ergo idem realiter sibi ipsi uniri nequeat, seu quod idem est, idem nequeat esse aut subjectum sui ipsius, aut suimetipsius actus informativus, mirum non est, quod in ijs non detur talis causalitas sui ipsi quoad secundum esse. At vero per hoc quòd in genere causæ efficientis idem de novo producatur à se ipso, non destruitur primus conceptus efficientis causæ; licèt enim efficiens dici soleat primum principium extrinsecum, hæc tamen primitas est vel tantum executionis, vel ordinis, ut suprà est dictum, quæ primitas adhuc sufficienter consistit respectu secundæ productionis.

729 Si fortè rursus obtrudatur argumentum aliquod ab authoritate Theologica, non difficulter solvetur, si dicamus illud procedere de solo primo esse non autem de secundo, cùm inter Theologos & Hæreticos solum fuerit controversia de distinctione Personarum Divinarum inter se; adeoqué benè concludit argumentum eorum procedens tantùm de primo esse Personarum; non verò de secundo esse creatarum rerum, de quo solùm agunt Philosophi.

730 Sequelas item, quas alij objiciunt, quòd si idem posset causare se ipsum quoad secundum esse, posset etiam simul secum causare aliquid aliud, simulqué idem posset causare se ipsum moraliter; libenter admittimus, utpotè valde conformes rationi: prima namqué est nostrum argumentum, quo sic arguimus: potest idem, primum esse suum habens, causare aliud à se, ergo & se ipsum, atqué ad convertentiam, potest aliud, ergo & se ipsum quoad secundum esse.

731 Altera vero sequela etiam pro nobis facit: nam potest Petrus hodie v. g. existens mereri per aliquem suum actum sui conservationem crastinam, vel certè existens per unam actionem mereri sui reproductionem, uti patet ex communi Theologorum, docentium Christum Dominum prævisum, existentem per unam actionem à MATRE SANCTISSIMA independentem, esse meritum BEATISSIMÆ VIRGINI Maternitatem, exemptionem à peccato originali, gratias supernaturales, si ergo id fieri moraliter potest, quantò magis dicere possumus physicè idem posse esse causam sui ipsius quoad secundum esse? atque hinc rursus exoritur alia quæstio non minùs examine digna, quàm præcedens, & est: utrum

Physicæ duæ causæ efficientes possint sibi invicem esse causæ?

732 NAturaliter non posse pro eodem instãti, & quoad idem esse, requisitum necessariò ut causa causet, cum comuniori Philosophorum sententia videtur probabilius; tum ob rationes paulò ante allatas pro decisione ad priorem partem præcedentis quæstionis; tum quia inter prius, & posterius connaturaliter non potest esse convertentia, juxtà vulgatum illud in scholis: quæ convertuntur dicimus esse simul. Tum demum quia Philosophi naturali lumine instructi agnoscunt unum principium, quod à nullo alio sit, & à quo reliqua omnia procedunt; si autem daretur connaturaliter inter causas efficientes causalitas mutua, infallibilis non esset talis discursus, quia dici posset, quòd creaturæ connaturaliter se mutuò producerent, sicqué necessarium non foret primum principium à quo cuncta provenirent.

733 Nec rationes adversariorum quidquam urgent; nam quam desumunt à causa finali, inter quam & media putant dari mutuam causa-

sitatem, nullam esse patet; nam media non ponuntur quia finis est positus, sed ut ponatur, & è contra finis non ponitur ut media ponantur, sed quia sunt posita; in quo nulla prioritas mutua naturæ, nullaqué mutua causalitas intervenit; sicut nec in causa materiali & formali; hæc enim entitativè causatur ab illa; materia autem entitativè non causatur à forma cùm à DEO creetur.

734 Experientiæ pariter, quas adferunt pro mutua duarum efficientium causalitate facilè solvuntur: nam dum ventus aperit fenestram, & cubiculum perflat, nnlla intervenit causalitas mutua, tam parum, quàm interveniat dum fortior, & valentior extrudit alterum minùs fortem ex loco, in quo sedebat, ut ipse illum occupet; vehemens enim venti vis impulsiva, per quam resistentia fenestræ superatur, causat apertionem fenestræ, hoc est productionem novæ ubicationis ipsius venti, & expulsionem veteris ubicationis fenestræ, quæ expulsio non est causa vicissim productiva ubicationis venti, uti patet in exemplo allato de fortiori expellente minùs fortem ex loco, quem priùs tenebat. Ideoqué apertio portæ non est causa propria talis ingressûs venti, licèt dici soleat, quòd nisi aperiretur fenestra, ventus non ingrederetur: in quo modo loquendi *ly nisi* non facit sensum causalem, sed tantùm consequentem; sicut dum dicimus nisi tollatur ex anima gratia, non potest subingredi peccatum; licèt ablatio gratiæ non sit causa positionis peccati: potest namqué illa divinitùs tolli, & tamen peccatum non poni.

735 Aliæ itẽ experientiæ desumptæ à duobus carbonibus unitis, sese diutiùs conservantibus, à duobus baculis, vel cultris inclinatis ad angulos acutos se invicem sustinentibus: à manibus, quarum una alteram lavat, & calefacit, à pipere & vino, quæ dum calefaciunt stomachum, vicissim ab eodem calefiunt, cæteræqué plures hujusmodi non probant adversariorum intentum.

736 Siquidem prima aliud non probat, quàm quòd uniti duo carbones fortiùs resistant contrario circumambienti: non secùs quàm dum milites pugnant contrà hostem in acie, se mutuò conservant, non positivè producendo in se invicem aliquam qualitatem, sed negativè, quatenus scilicet simul in acie pugnantes faciliùs repellunt hostem. Quod verum esse patet ex perientia, quâ constat, quòd dum quis mediãte manu conservat ardentem candelam ne affiante vento extinguatur, id non faciat per productionẽ alicujus rei in candela, quæ quòd ardeat, habet ab igne formaliter, non autem à manu arcente, & prohibente tantum ventum, ne eam extinguat.

737 Altera de cultris vel baculis ad angulos acutos se invicem sustentantibus, etiam non probat ullam mutuam causalitatẽ: causa enim cur se invicem sustentant est pondus, & gravitas utriusqué in æquali resistentia, ita ut neuter alterum pondere, & gravitate superet.

738 Pari ratione manus manum lavat, aut calefacit absque causalitate ullâ mutuâ, siquidem mundicies, seu calor productus in manu dextra per motum manus sinistrę nullo modo causat motum, per quem dextra mundiciem, aut calorem causet in sinistra; licèt enim manus sinistra non calefieret, aut mundaretur per motum dextræ, adhuc tamen per suum motum dextram mundaret, & calefaceret. Eodem modo solvitur & alia de vino, & pipere calorem actualem stomachi foventibus solùm, non verò ipsam virtutem radicalem stomachi calefactivam, quæ est digestiva vini, & piperis; sicut nec è contra hæc calefactiva virtus causat virtutem calefactivam in vino, & pipere, quam hæc aliunde habent, sicut & stomachus suam aliunde, nempe à principijs suis intrinsecis.

739 Similiter solvitur quædam instantia, quæ indies contingere solet inter studiosos, quorum duo Petrus v. g. & Paulus simul compactant taliter: si tu Petre iveris ad lectionem hodie, & ipse ibo, si non iveris, neque ego ibo, & vicissim; quo in casu quotidiano propè uterque emanebit à lectione, absque ulla ad invicem mutuâ causalitate. Petrus enim eò ipso, quòd non habeat voluntatem requisitam ad motum, necessariò quiescere, & manere in loco, in quo prius erat, debet; moveri siquidem non potest nisi ex propria voluntate, qualem nec ille, nec Paulus haberet ad eundum; cùm enim Petrus statuerit non ire, nisi viderit, Paulum euntem, & vicissim, excluśit hoc ipso uterq; voluntatem absolutam & necessariam ad eundum, vel non eundum spontanee; uterque igitur quiescere deberet, & emanere à lectione; quæ tamen cessatio, seu emansio non haberet ullum ordinem prioris, vel posterioris ad cessationem alterius, sed solùm dependeret tanquam à causa, à libera exclusione voluntatis antecedentis propositum Petri eundi, vel non eundi ad lectionem, tum in se, tum in Paulo, quæ excluśa voluntas antecedens cæteroquin esset necessaria ad motum.

740 His nihilominus non obstantibus probabilius putamus possibilem esse mutuam causalitatem inter duas efficientes causas, seu pro diverso temporis instanti, quoad secundùm esse. Argumentum hujus probabilitatis est, tum quia nulla involvitur implicantia, aut inconveniens: tum quia ignis A à solo DEO productus per actionem independentem ab igne B; & vicissim ignis B productus etiam à solo DEO quoad primum esse per actionem independentem ab igne A, habet uterque independenter à se invicem sufficientem virtutem producendi alios ignes à se distinctos, ergò

etiam

etiam se invicem quoad secundum esse; quia igni A non tollitur virtus per hoc, quòd producatur quoad secundum esse ab igne B, vel è contrà, adeoqué si ignis A habet virtutem producendi ignem B in casu, quo vicissim ignis B non produxisset ignem A quoad secundum esse, habebit etiam eandem eo instanti, quo est productus ab igne B quoad secundum esse, & vicissim. Quæ ut magis elucidentur dicimus possibile esse absolutè, ut

Physicæ duæ, pluresvé totales causæ efficientes causent eundem effectum totaliter.

741 DIximus absolutè, nam naturaliter id non posse fieri satis patet inde, quòd sicut natura ejusqué Author suis operibus de necessarijs providet, ita superflua & non necessaria abhorret; cùm igitur una causa totalis respectu unius effectûs sufficiens sit ad dandum illi esse, ut patet ex ipsius suprà datâ notione; & ex fine ejusdem, qui est existentia totalis effectûs, consequenter superfluæ sunt connaturaliter ad hunc finem causæ unius totalis, reliquæ omnes aliarum causarũ totales actiones.

742 Quo posito ratio dicti nostri est quia de potentia absoluta possunt duæ actiones totales terminari ad unam eandemqué entitatem, tanquam ad terminum per illas productum: cùm enim illæ sint ejusdem rationis, & ordinis, nequeunt esse sibi contradictoriè repugnantes, adeoq; possunt absolutè terminari ad eundem terminum, siquidem DEus potest omnia, quæ contradictionem manifestam non involvunt, qualem non important duæ actiones totales positivæ ejusdem ordinis, & rationis, ut constat.

743 Quare cùm duæ pluresvé actiones totales necessariò requirant plures totales causas, poterunt hæ divinitùs producere eundem numero effectum totaliter; quod ipsum confirmatur à pari ex dictis supra de duabus causis formalibus informantibus eandem numero materiam, & ex infra dicendis de duplici ubicatione totali locativa ejusdem corporis in duplici loco totali & adæquato, ut constat defactò fieri in mysterio Eucharistico: adeoq; cùm nulla sit assignabilis disparitatis ratio, cur non etiam idem dici poterit de duabus actionibus totalibus; ergo, poterunt duæ causæ totales simul concurrere totaliter ad eundem numero effectum.

744 Dices quia talis effectus dependeret, & non dependeret ab utraque: at responsio hæc est nulla, quia effectus tantùm dependeret ab utraque totali causa, cùm ab utraque totaliter, & adæquatè acciperet suum esse, & quidem ita, ut utraque concurreret ad eundem, independenter omnino ab alia: adeoqué solùm accidentalis esset effectui dependentia ab una causa comparativè sumpta ad aliam.

745 Dices rursus effectus ille sic productus esset realiter duplex, & non unus; neque enim potest geminari actio totalis in actu secundo, quin & geminetur effectus; cùm actio non tantùm in genere causæ efficientis ponat actũ, sed etiam in genere causæ formalis. Verùm contra est, sequela enim cum sua probatione non subsistit, quia productio seu actio, eam constituit denominationem, in qua exprimitur, exprimitur autem in denominatione producentis, & agentis, quod formaliter in tali esse constituit, adeoqué duas totales causas denominabit producentes, non autem duo producta, seu acta.

746 Dices ampliùs, talis duplicis actionis non esset assignabilis finis, sed illum nos assignamus, tum talem, qualem adversarij recognoscunt duplicis unionis, aut ubicationis totalis: tum etiam alium, qui esset, ut Deus ostenderet suam Omnipotentiam, supremumq; suum in omnia agentia creata dominium: sic ex cõmuni Theologorum, spectato hoc solo fine, & nullo alio, Deus potest omnia annihilare, quæ condidit: potest hominem justum, & immerentem æternis pœnis mancipare, &c.

747 Neque est quòd adversarij urgeant actionem unius causæ non posse dependère à duplici causa totali; quia lata est disparitas ex eo, quòd actio sit modalis entitas, ut mox dicetur, de cujus essentia est, ita dependere ab eo, quod modificat, ut non possit ullo modo esse ab alio: effectus verò quia entitas est absoluta, ideo sicut divisim, & successivè potest à pluribus causis in actu primo connaturaliter prodire, ita supernaturaliter à duabus, vel pluribus causis totalibus, quantùm de se est, simul potest dependere.

748 Nec demum illis favet, quòd eadem res nequeat desinere in eodem loco, & tempore duplici desitione totali: Tametsi enim fortè contrarium dici posset; attamen né fiat altercatio de nomine desitionis totalis, ratio disparitatis est, quòd desitio totalis sit denominatio negativa dicens negationem omnis vel productionis, vel conservationis; produci verò totaliter est denominatio, & propositio positiva, quæ verificari potest, si vel unica adesset actio, vi cujus effectus possit habere causalitatem, seu causam sufficientem ad sui productionem, adeoqué totalem inter productionem, & totalem desitionem paritas nulla est cùm sit omnimoda contrarietas. Ex quibus cùm satis constare possit substantiam esse causam totalem, & adæquatam substantiæ immediatè productivam, exoritur etiamnũ alia quæstio, quæ est. Utrùm

Phy-

Physicum substantiale agens sit etiam immediatè productivum accidentium?

749 QUia indubitatum videtur substantias materiales esse immediatè emanativas suarum proprietatum, illorumqué accidentium, quæ ipsis sunt intrinseca; cum nulla defacto existat, quæ quantitatis, qualitatumqué diversarum activa non sit, simulqué receptiva; ut constat in aqua, quæ ab extrinseco agente calefacta ad nativam sibi frigiditatem eo remoto se reducit; cùm nulla hujus reductionis causa alia sit assignabilis, quàm sola aquæ substantia; ideo in hoc cùm difficultas oriri nequeat sapienti, ulteriùs dicimus aliquas substantias etiam per se immediatè producere accidentia ad extrà, seu in alieno subjecto. Hoc patet cùm ad ipsum solis, & ignis lumen, ac lucem: tum ex impulsu, qui projectis imprimitur per virtutem loco motivam ipsi substantiæ identificatam; quam virtutem, in se continere tales effectus, satis constat.

750 Per quod tamen minimè negamus etiam suam accidentibus activitatem, quam illis inesse experientia ipsa sensatum quemlibet concedere compellit. Ex quibus meritò hoc loco breviter inquirendum venit, quænam sint agentium naturalium conditiones positivæ? (ut nihil dicamus hic de negativis) quarum prima

Physicæ efficientis causæ ad hoc ut agat, conditio

751 EST, ut suprà jam insinuavimus, distinctio vel adæquata, vel saltem inadæquata ab effectu; licèt enim idem agere possit in se ipsũ spectatum quoad diversas sui partes integrantes, sive hæ heterogeneæ sint, ubi maximè patet, quomodo una alteret aliam, sive homogeneæ sint, ut præcipuè elucet in Anima rationali, & Angelis, qui suas volitiones & intellectiones in se ipsis producunt; & ut paulò ante dictum, in substantijs etiam materialibus producentibus sibi propria accidentia, quæ recipiũt intrinsecè

752 Nihilominùs tamen connaturaliter actione univocâ tam perfectivâ, quàm corruptivâ idem essentialiter spectatum operari nihil potest in se ipso. Primum patet lucidâ lucis experientiâ, hæc namqué in candela existens se ipsam augere nequit, sicut nec calor in manu existens se ipsum intendere potest; si enim id fieri posset, opus non foret Agente ullo extrinseco; quod probatur, quia si calor ut 4. existens in manibus se ipsum usqué ad octavum gradum intendere posset, manus igni nullatenus applicari deberent, ad hoc ut calefierent; nam calor in illis existens supplere abundè posset totum id caloris, quod vel ab igne, vel à quocunqué alio extrinseco Agente posset produci.

753 Quod cùm certum sit de actione perfectiva, multò certiùs esse videtur de actione corruptiva, si præsertim hæc spectetur primò, & per se, ac juxta intentionem naturæ; cujus ratio est, quia ex instinctu naturali res omnes, ut universalissima patet inductione, sui intendunt conservationem, propter quam viribus omnibus conantur sese ab hoste tueri: adeoqué à natura non debuerunt nanciscì vires, & activitatem ad sui destructionem, primò, & per se ordinatam.

754 Neque obest, quòd subinde quædam sint productiva aliquorum, quæ deinde viperino more sæviunt in suas causas, prout contingit in calore vitali, qui dum cibos perfectè non concoquit, quosdam noxios producit humores, à quibus postea ipse patitur, vel omninò extinguitur, nam virtus causæ cùm ad hoc non ordinetur ex principali naturæ intentione, ideò solùm per accidens, secundariò, & præter inclinationem suam propriam, ab ingrato, & noxio fœtu, malum tale patitur.

755 Nec obest amplius, quòd mediatè, ac dispositivè possit idem destruere se ipsum; nam neque hoc ex directa & primaria destructionis intentione accidit, cum verùm sit, quòd nemo intendens in malum operetur; sed operatur solùm intendens per se, & directè aliquod bonum, ex quo indirectè, & ex secundaria intentione sequitur aliquod malum; sic natura ejusq; Author non intendit per se ullius formæ, vel compositi destructionẽ propter malũ destructionis, sed intendit per se bonũ generationis, quod quia naturaliter haberi nequit absque destructione, ideò hæc non nisi indirectè & secundariò intenditur.

756 Nec obest demùm, quòd pyra, poma, aliaq; hujusmodi putrefieri incipiant plerumq; in medio, quod à nullo agente extrinseco provenire potest. Nam cùm in his, sicut & in alijs corporibus mixtis plurimi sint spiritus diversæ rationis immixti, & ita diffusi, ux vix sentiantur; postquam jam evaporare incipiunt, partes interiores relinquunt fracidas, & flaccidas, minùsq; aptas ad resistendum alijs contrarijs, ut patet experientiâ quotidianâ vini in cantharo, aut vase patulo existentis diutiùs, quod ob expirationem talium spirituum destruitur, redditurqué potui omnino insipidum, imò noxium.

Physicæ efficientis causæ altera positiva conditio.

757 EST dissimilitudo quædam inter agens & passum, necessariò ut agens naturaliter agat, requisita; tum quia omnia agentia univoca agunt ut assimilent sibi passum, prout

agunt

agunt ad sui speciem propagandam; quâ conditione sublatâ, tanquam fine quodam, cessat ipsa actio: tum quia aliàs idem agere posset in se ipsum, cùm nihil alteri sit magis simile, quàm idem sibi ipsi: tum demum, quia si simile agere posset directè in sibi simile, aqua calida v. g. ut unum alteri aquæ calidæ pariter, ut unum, applicata, augere posset in illa calorem ut octo; posset enim ultra primum etiam secundum gradum, deinde ab illo vicissim calefieri usque ad tertium: tum illam rursus calefacere usque ad quartum, sicqué possent aquæ illæ invicem agere, donec tandem utraque fie 762
ret summè calida; quod cùm admitti nequeat, consequenter nec admitti debet simile, posse agere in simile.

758 Nec obest quòd plures homines æqualis fortitudinis elevare possint pondus, quod singuli seorsim elevare nequeunt: plures namqué homines respectu ponderis elevandi, sunt agentia æquivoca; in quibus sola agentium similium multiplicatio virtutem auget, quod non fit in univocis: cùm virtus univoca, quantumvis multiplicata nunquam tamen producere possit effectum se perfectiorem; alioquin virtus coactiva non esset medium proportionatum fini, ad quem est à natura ordinata.

759 Pro multis alijs instantijs solvendis, plurimùm juvabit accuratè observâsse similitudinem duplicem esse, in substantia unam, quam vocat Aristoteles identitatem, & hæc non impedit actionem accidentalem, sic una aqua si sit magis frigida, infrigidat aliam sibi substantialiter similem; licèt impediat actionem substantialem, siquidem una aqua non producit formam substantialem aquæ in alia aqua; cùm enim materia incapax sit duarum formarum simul, nequé aqua B possit expellere formam aquæ C, ut in illam introducat deinde aliam formam aquæ; nam cur destruat id, quod jam habetur, ut obtineatur aliud æquè bonum?

760 Et accidentalem alteram, quæ rursus duplex est, nempe extensiva & intensiva; illa pariter non impedit actionem; calidum enim ut 6. agit in calidum ut 4. sibi simile in ratione specifica accidentali calidi; intensiva verò, quo pacto actionem impediat, jam diximus.

Physici agentis naturalis tertia positiva conditio, quæ est approximatio, seu debita præsentia ad passum.

761 REquirere naturale agens totale approximationem aliquam, & cum passo præsentiam seu suppositi, seu virtutis, non difficulter ostenderetur, tum ex ipsa finita & limitata naturalium agentium virtute; tum ex horrore, quo natura abhorret vacuum; utpote impeditivum, per ablationem contiguitatis corporum, actionis unius agentis in aliud: tum experientia, quâ etiam constat per hoc præcisè solem v. g. non illuminare aërem inclusum intra cubiculum, eò quòd interpositus sit paries, vel valua ad fenestram: agens etiam quodvis plus agere in subjectum proximum quàm remotum, quò enim magis quis accedit ad ignem, eò etiam plus caloris sentit. Ex quo quivis percipit ignem non agere in subjectum remotum, quin prius & magis agat in proximum; adeoqué non dari actionem in distans, nihil agendo prorsus in medio, vel per mediũ, vel cum medio.

Verùm quia plurimæ in contrarium adferuntur experientiæ, quæ suadere videntur agens naturale agere in distãs naturaliter, ideo illæ à nobis, si solventur, firma manebit veritas nostræ, & communis Peripatheticorum sententiæ.

763 Prima proinde experientia est à magnete attrahente ferrum; succino paleas, adamante pilos, aliaqué similia. Secunda, à torpedine pisce stupefaciente brachium piscatoris, dum hamo capitur, vel alios ipsa capit pisces, quos in arena abscondita stupefacit, & postea in suũ cibum vertit. Tertia à remora, exiguo pisciculo, ingentem sistente navim. Quarta à bufone hianti ore ad se trahente mustellam, invitam & renitentem. Quinta à gemmis pretiosis mirabilium effectuum causativis. Sexta à Basiliseo interficiente animalia solo aspectu. Septima à vetulis obtutu fascinantibus infantulos. Octava à struthione fovente ova sua solo intuitu. Nona ab ave Gargulo dicta, varios solo aspectu curante hominis morbos.

764 Decima à Sole producente diversos effectus tam in superficie, quàm in visceribus terræ. Undecima rursus à magneticis acubus, vi quarum aut plures amici, etiam distantissimi, ab invicem colloqui, & conversari possunt. Duodecima à lupo qui homini à se prius viso causat raucedinem. Decima tertia ab hyæna canes se insequentes solâ umbrâ mutos, & stupidos reddente. Decima quarta à duabus testudinibus, vel cytharis æqualiter attemperatis, quarum una ad pulsum alterius sonum edit. Decima quinta in tympanis, vel in chordis fidium ex pelle lupina confectis, facientibus obmutescere, & disrumpi alia, quæ ex pelle, aut intestinis Ovis facta sunt. Decima sexta in cadavere occisi sanguine manantis ad præsentiam occisoris. Decima septima in veneno tarantulæ, aut phalangij, quod evanescit statim ex corpore ab illo læso, araneo illo moriente. Decima octava in nasis Tropeijs decidentibus, in morte illius, ex cujus carne refecti fuêre. Decima nona in unguento armario, quo curantur vulnera absentium.

765 Vigesima in alio quodam unguento, quod solùm appositum lintheis, aut fascijs sanguine læsi infectis, vulnus curat. Vigesima prima

in Naphta, & radice Aproxi è loco valde remoto ignem concipientibus. Vigeſima ſecunda cauda lupi appenſa in caulis ovium toti gregi noxiâ. Vigeſima tertia in corde upupæ ab arbore arcente formicas. Vigeſima quarta in motu heliotropij ad ſolis motum. Vigeſima quinta in phantaſia reſidente in capite, & movente membra extima, abſque motione intermediorum; cauſantequé miros effectus in fœtu, inqué ipſo corpore proprio, in quo degit. Vigeſima ſexta, in charta, ſtupa, vitro, alijſqué in quibus diſtillantur ſuffitus, aſſantur ova, piſces, farcimina, abſque eo, quòd charta, vel ſtupa, vel vitrum comburatur. Vigeſima ſeptima in ſanguine elicito à duobus vel pluribus amicis mira in partibus remotis ijs exiſtentibus cauſante. Vigeſima octava in hominibus, quos lynceos appellant, qui tantâ pollent oculorum perſpicacia, ut etiam res infra terras poſitas diſtinctiſſimè diſcernant.

766 His igitur, alijſqué pluribus hujuſmodi experientijs freti recentiores quidam; nec indocti, nec deſides naturæ rerum indagatores, exiſtimant connaturaliter dari actionem in diſtans, & quidem neceſſariò, cùm alioquin dictæ experientiæ ſalvari nullatenus queant.

767 Verùm quòd eorum non ſubſiſtat opinio, conſtat inde, quòd harum aliquæ, vel fabuloſæ ſint, vel ſuperſtitioſæ plerumqué, & Dæmoniacæ; vel certè ſi etiam naturales ſint, non arguunt tamen actionem in diſtãs, quia in ſpatio intermedio reperitur ſemper virtus aliqua, quæ uſque ad paſſum perveniat, illudqué attingat. Nam ſicut quodlibet corpus virtutem habet emittendi ex ſe ſui ſpecies viſibiles, etiã ad maximam diſtantiam, ita virtutem habet emittendi ex ſe etiam alias qualitates amicas, vel inimicas, quæ dici ſolent ſympathicæ, & antipathicæ, eò quòd ob proportionem, vel improportionem, quam habent cum paſſo, illud fovent, vel deſtruunt.

768 Dari autem qualitates iſtas in natura nemo ſapiens negaverit, qui ſcit abſque illis plurimos effectus, quos videmus, explicari non poſſe: nam cur canis venaticus leporem perſequitur, & non aſinum, aut ſimile aliud animal? cur lupus inimicitiam habet cum cane, vel ove, & non cum vulpe, alijſqué ſimilibus animalibus. Dari ergo hujuſmodi debent qualitates, quæ ſunt determinatæ ad agendum in uno ſubjecto, & non in alio, vel propter peculiarem proportionem, quam cum illo habent, vel propter peculiares diſpoſitiones, quas in illo, & non in alio reperiunt; ratione quarum ſubjectum redditur aptum ad earum actionem recipiendam. Quas qualitates in fieri, & conſervari dependere ab ipſis corporibus, haberequé ſphæram activitatis maximam, & per quodcunq; medium diffundi patet ex eo, quòd ſpecies viſibiles à coloribus; & lumen à corpore luminoſo pendeant in fieri & conſervari, habeantqué ſphæram activitatis maximam, & per quodcunq; medium, quantumvis denſum diffunduntur, dummodo perſpicuum ſit, ac tranſparens. Quod ſi colores habere poſſint virtutem producendi qualitates ita à materia elevatas, ſicut ſunt ſpecies viſibiles, illaſq; ad tantam diſtantiam diffundendi, cur ſimilem virtutem habere non poterunt ſubſtantiæ, præſertim verò viventes, in ordine ad diffundendas ex ſe mediatè ſaltem qualitates, quæ cum aliquibus ſubſtantijs peculiarẽ habeant proportionem, dicanturqué ſympathicæ & amicæ; cum alijs verò poſitivã improportionẽ, dicãturqué antipathicæ, & inimicæ?

769 His igitur qualitatibus admiſſis, quas nemo prudens admittere recuſabit; ſalvantur & ſolvuntur facillimè allatæ experientiæ abſque ulla in diſtans naturaliter actione: Sic magnes trahit ferrum per qualitatem à ſe diffuſam, non verò ipſum medium aërem, vel alia intermixta corpuſcula, quæ ſubjectum capax & proportionatum non ſunt tali tractioni. Sic torpedo odore, & quâdam ſui aurâ, ut loquitur Plinius, afficit manum piſcatoris, & ſtupefacit piſces, quos in ſuum pabulum capit. Sic bufo trahit muſtellam, & non alia animalcula, ob diſpoſitiones quaſdam, quas in ſe muſtella habet, reſpectu quarum, qualitas illa emiſſa ex ore bufonis, non ſolùm infectiva, ſed etiam tractiva eſt muſtellæ. Sic Baſiliſcus per qualitates noxias ex oculis ipſius emanantes aërem inficit, in quo dum reſpirant cætera animantia, illas ad ſe attrahunt, & ſic ſtatim moriuntur. Quòd autem qualitates illæ peſtilentiſſimæ non noceant ipſi Baſiliſco, quamdiu in ipſius oculis ſunt, ratio eſt, quòd illæ ibi ſint tanquam in loco ſuo naturali, nocent autem reliquo Baſiliſci corpori, dum in illo repercuſſæ à ſpeculo recipiuntur, quam rationem veram eſſe patet experientiâ, quâ nos ipſi probamus, quòd ſi fel ex folliculo ſuo erumpat, ſequé diffundat per corpus noxium ſit, cùm tamen ſuo loco contentum maximè ſit utile, & vitæ noſtræ neceſſarium.

770 De faſcinatione, quamvis vulgus exiſtimet eam fieri operâ Dæmonis, plerumque tamen fieri exiſtimamus naturaliter abſque ulla vetularum faſcinantium morali culpâ; idqué per ſpiritus noxios, & humores venenoſos latentes maximè in lateribus oculorum, cauſatos ex retentione menſtrui ſanguinis, & emiſſos ab oculis in teneriora præſertim corpora, in quibus recepti, illi ſuam exercent malignitatem, ita, ut illa exſiccentur, tabeſcant, & ſæpe ſæpiùs etiã totaliter diſſolvantur. Id ipſum dici debet de ſtruthione, per ſpiritus calidos ex oculis in ova emiſſos pullos ſuos excludente, & fortè etiam de teſtudine, ſi verum eſt, quòd illa aſpiciendo fœtum ſuum excludat. Idem de ave

de ave Gargulo, multorum morborum solo aspectu curativâ ob salubres qualitates, quæ ex ipsius oculis derivant in corpus infirmum; quæ, ut quidam existimant attractivæ etiam sunt humoris morbifici ita, ut sæpe moriantur ipsæ, dum ægrotos sanant. Id ipsum de Hyæna noxios vapores ex corpore suo in canes exhalante. Id ipsum de corio, & cauda lupina, respectu corij ovini, ipsarumqué ovium existimamus dicendum. Id ipsum de lapidibus pretiosis dicendum, à paritate rationis omnino censemus.

771 Experientia de Remora hac in controversia nihil probat, cùm constet, quòd navi, dum eam sistit, mordicùs adhæreat: quo pacto autem palmaris piscículus tantum navis impetum sistere possit, uti teste Plinio, in bello Actiaco stitit quinqueremem Antonij, & Caij contra conatum quadringentorum remigum, est valde mirandum, verùm id fieri per diffusionem qualitatis remorativæ in totum navigium, est valde probabile.

772 Ad illam de colloquio duorum amicorum ab invicem distantium beneficio acuum magneticarum, siquidem valde dubia sit fides, quâ id factum asseritur, cùm accuratissimè à viris peritis id tentatum fuerit, nec unquam successerit; idcircò dicimus, quòd licèt fortè ex natura rei id fieri non repugnet, factum tamen esse hactenus nullâ constare experientiâ, adeoqué argumentum ab ipsa assumptum esse nullum, existimamus tamen fortè id fieri posse beneficio magnetis, si scilicet plures magnetes disponantur eo ordine, ut unus sit semper intra sphæram activitatis alterius, quo in casu nulla daretur actio in distans.

773 Ad experientiam hominis rauceſcentis ad repentinum lupi aspectum, eam contingere opinamur ex terrore, quo percellitur homo repente, sicqué eo sanguis commotus ad cor concurrens extima membra frigere incipiunt, unde raucedo subsequitur ex phlegmate, quod nobis terrefactis plerumque experimur ad fauces defluere, juxta illud.

Obstupuit, steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit.

774 Experientiam de cytharis, aut testudinibus Musicis, licèt nonnulli eam existiment fabulosam, quia tamen doctissimus P. Kircherus se id expertum in Musurgia sua testatur, ideò satisfacimus dicendo, talem consonantiam fieri per qualitatem productam à pulsu alterius, & relictâ impingentem in constitutam ex adverso, cujus chordæ motæ à crispati aëris circumambientis verberatione sonum edunt aliquem: uti contingit in campana, præsertim grandiori, quæ ubi cessavit à pulsu, nõ cessat tamen à tinnitu ideo, quia undationes aëris pulsu commoti allisæ subinde ad campanæ latera, eundem continuant.

775 Illa de sanguine manante ex cadavere ad præsentiã occisoris, attribuitur à nonnullis, nec malè, Divinæ Providentiæ pœnas sceleris meritò à reo exigenti. nonnulli autem id tribuunt mero casui: nos existimamus vel non esse eam certam, & infallibilem, cùm sæpiùs deprehensum fuerit ad præsentiam occisoris occisi sanguinem immotum stetisse, & è contra ad ipsius absentiam fluxisse, & causâsse frustra, ut aliquis innocens ex circumstantibus suspectus haberetur. Vel certè antipathiæ id tribuendum est, cui vim maximam inesse, nulli sapientum esse potest dubium, cùm miros antipathicos experiamur effectus etiam in viris cæteroquin mitissimis.

776 Experientiam autem illam de veneno Tarantulæ in homine ab ea icto incredibilem censemus, tum quia qui naturam aranei hujus, & qualitates acuratissimè examinârunt, nullam faciunt hujusvis mentionem, ut videre est apud Cardanum, & Scaligerum; tum quia constat certissimis testibus, quosdam à phalangio ictos etiam per annos triginta tali veneno laborâsse, cùm tamen credibile nullatenus sit, quòd tam diu talis araneus vixerit; siquidem ætas araneorum, juxta communem Naturalium consensum, nunquam excedit quatuor annos; tum demum, quia viri religiosi fide dignissimi testantur, se ictos à tarantula in ipso actu araneum mactâsse, & tamen adhuc tribus aũis post eosdem fuisse veneno illo divexatos.

777 Ad illam de nasis, existimamus, nasum simplicioribus imponi, tum quia caro animâ rationali Petri v. g. informata dependere nequit quoad informationem ab anima rationali alterius hominis procul à se dissiti, ut patet ex suprà dictis de consequentibus ad unionem substantialem: tum quia quoties Petrus adscititium suum nasum læderet, alter quoqué lædi deberet, quod tamen fieri experientiâ probatum non est. Quare si insistant adversarij, excidisse hujusmodi nasos ad mortem alterius, dicimus vel hujusmodi relationes figmenta esse Agyrtarum, vel per meram phantasiæ illusionẽ talibus fuisse persuasum habere nasum, quo tamen carebant, uti sæpè contingere scimus illis, qui nimiâ phantasiâ suâ illusi Pazzarelli ab Italis vocitantur, quorum lepidæ omnino, & ridiculæ sunt phantasticæ imaginationes, præsertim circa membra proprij corporis.

778 De unguento armario, alijsqué eidem similibus, nullus hactenus, ut ait P. Cabæus, hujusmodi experientiam fecit. Sed dato, quòd etiam facta fuisset, curationem tamen vulneris non in unguentum armarium, sed in alia medicamenta referri debere arbitramur; certum namqué est etiam per illos, qui hujus unguenti vires deprædicant, quòd opus sit, ut vulnus mundissimum intereà servetur, & vino albo sæpiùs abluatur: quo posito clarè constat non

ùn-

unguentum gladio applicatum, ſed naturam ipſam vulnus ſanare: nullus enim Medicorum ſapientior, aut efficacior naturâ; hæc enim non tantùm carnem redintegrat, & oſſa reſarcit, ſed & venas, & arterias, uti in comperto eſt, in integrum reſtituit. Nam quis quæſo interna vulnera, & ulcera ſanat præter ſolam naturam? ſufficiet igitur in corpore non malè conſtituto vulnus ab extrinſecis injurijs defendere, & ſordibus purgare, ad hoc ut natura ipſum ſanitati citò reſtituat.

779 Imò putamus præcipuam cauſam, ob quam lingua canum medica dicatur & ſit, quia ſcilicet dum vulnus lingit, tergit, & à ſordibus purgat, occaſionem naturæ præbet, ut ſanitatem inducat: licèt non negemus ſalivam canum ſalubrem eſſe, cùm etiam ſalivâ hominis præſertim ſani multis in occaſionibus plurimùm prodeſſe experiamur. In cane autem eſt etiam ratio, quòd ſcilicet in alia parte corporis non ſudet, quàm in ſola lingua & ideo dum incaleſcit hiāti ore linguam exerit, quam quivis advertit diffluere madenti liquore; cùm igitur canum lingua abundet humore illo acri, & ſalſo, & conſequenter abſterſivo, reſtrictivo, & conſolidativo, nil mirum eſt ſi lingendo vulnera ſanet.

780 Accedit pro reſponſione noſtra quòd vino præſertim albo hujuſmodi vulnera munda ſervari debeant, prout ipſi adverſarij exigunt adeoqué non eſt novum quòd ſolâ talis vini ablutione vulnera ſanentur, cùm vino inſit ratione tartari, & ſalis vis ſanativa vulnerum, uti experiri quis poteſt, cum leviter læditur, vel vulneratur, vino ſcilicet abluendo vulnus, & ipſum ab aquæ contactu conſervando.

781 Opera mira vi phantaſiæ, quæ fiunt facilè quoque explicari poſſunt: imprimis enim phantaſia nervis conjuncta eſt, quorum miniſterio appetitū movet, & hic qualitates quaſdam impulſivas per corpus ad membra extima traijcit, quæ corpus intermedium non movent, eò quòd eorum vis non ſit cum illo proportionata, ſicut cum partibus extimis ob diſpoſitiones, quæ in illis reperiuntur. Unde meritò negatur ibi intercedere ullam actionem in diſtans, cùm præſertim certum ſit, quòd omnes illæ operationes procedant ab eadem anima, quæ cùm ſingulis partibus materiæ organizatæ ſit præſens, quo modo dici poteſt agere indiſtans? Quòd autem fœtus in utero matris multa patiatur à vehementi phantaſia genitricis, eſt ideo, quòd ex illa moveatur appetitus matris, ad paſſionem aliquam, ex qua totum corpus alteratur. Et quia mater toto tempore, quo uterum geſtat, fœtui ſubminiſtrat alimentum, hinc ob tales alterationes alias & alias diſpoſitiones producit in tenello fœtûs corpuſculo apto ob ſuam teneritudinē, quamcunque impreſſionem recipere, etiam phantaſticam, cùm hæc ſæpe adeo ſit vehemens, & potens, ut homines illi obnoxij, cujuſmodi ſunt acriori bile, & craſſioribus humoribus repleti, ſuis deluſi imaginationibus putent ſenſibiliter ſe aliqua ſentire, operari, cauſare, quæ re ipsâ nec ſentiunt, nec operantur, nec cauſant. Unde Cardanus, Avicenna, Paracelſus alijqué viri cæteroquin valde periti, affirmant de ſe ipſis, quòd quoties voluerint, vi imaginationis muſicam audire, amœniſſimis hortis, convivijs, choreis, alijſqué recreationibus merè imaginarijs intereſſe potuerint, quod ipſum etiam recentiores quidam in ſe ipſis expertos eſſe datâ operâ, conſtanter affirmant, præſcribentes modum, quo id à quovis poſſit probari.

782 Ad culinarem experientiam de charta, ſtupa, &c. quæ non comburuntur, dum in ijs aſſantur piſces, farcimina, ova, &c. dicimus ideo hoc fieri, tum quia charta, & ſtupa naturâ ſuâ ſunt attractivæ humiditatis, vi cujus reſiſtunt actioni ignis; tum quia exhalationes igneæ tranſeunt innoxiè per poros chartæ, vel raritatem ſtupæ illis reſiſtentes ob humiditatē, & inexſiccatas partes piſcis vel farciminis: quod verum eſſe liquet inde, quia charta demum, & ſtupa comburitur, poſtquam farcimina, vel piſces ſunt omnimodè aſſata.

783 Ad id quod addunt quidam de lebete, ollis, &c. dicimus quòd dum calefit in ijs aqua, aſcendant partes calidores, craſſiores verò & denſiores deſcendant, ac frigefaciant fundum, quamvis non ita, ut in illo non ſit etiam aliquis calor. Quòd autem ſic contingat, patet ex eo, quòd lymbus, & anſæ lebetis multò ſint calidiores, quàm aqua, quæ intus eſt, & hoc propter ignem circumambientem immediatè, qui in acumen conicè tendens magis quoque calefacit partes ſuperiores, quàm infimas. Naphta autem, & Aporaxis attrahuntur ab igne, ſimulqué attrahunt ad ſe eundem ob ſympathicas, quæ inter illa intercedunt qualitates, & quaſi amicitiam, non ſecùs quàm ſolem inter & heliotropium.

784 De hominibus illis lynceis perſpicientibus fulgidas metallorum venas in furvis terræ cubilibus deliteſcentes, putamus eos minimè id facere, quia abdita terrarum videant, ſed venas aquarum agnoſcunt ex vaporibus manè, & veſperi in locis illis exſpirantibus, non ſecùs quàm in Ungaria ex talibus vaporibus deprehendantur frumenta in terreis foveis defoſſa, & ſepulta. Venæ verò metallicæ deprehenduntur ex herbæ quodam genere illis innaſci ſolitæ, alijſque ex indicijs, quæ in terræ ſuperficie comparent.

785 Plurimæ aliæ experientiæ, quæ adferri ſolent ad probandam connaturaliter actionem in diſtans, facilè ſolventur ex dictis. Ubi tamen animadverti volumus multas earum eſſe

esse valdè periculosas, ne pactum saltem implicitum cum Dæmone habeant, quales sunt circulationes cribri, aut specula, quæ Imperatricis Helenæ dicuntur, pro fure absente dignoscendo, annuli, gladij, & numismata sub certis constellationibus facta, medijs quibus actiones absentium repræsentantur, aliaqué plura hujusmodi inventa magica, quæ plerumqué Dæmone Magistro habentur, illudente præsertim rudioribus, & idiotis. Atque ex his demum patet, quod asservimus, non dari scilicet actionem agentis naturalis simpliciter in distans. Unde ulterius inferimus, & dicimus

Physicum agens quodvis determinat sibi certam suæ activitatis sphæram.

786 QUia sicut esse agentis naturalis, ita virtus ejusdem finita est, ac limitata, adeò ut ejus præsentia, & actio certis quibusdam terminis circumscribatur, ultra quos extendere se illa non possit, sit necesse: sic ignis qui ad distantiam decem v. g. palmorum assidentes calefacit, ad distantiam majorem id non præstat. Hoc autem spatium intra terminos tales comprehensum sphæra activitatis appellatur, quia virtus activa cùm ex quolibet agente diffundatur in orbem, quandam efficit quasi sphæram, cujus centrum est agens ipsum, circumferentia verò est terminus virtutis, quæ ab ipso per medium diffunditur ad tales usque limites, nec ultra.

787 Cùm enim creatum agens conjunctum sit per quantitatem, & naturaliter agat per contactum; quò immediatior contactus fuerit, eò major erit actio, ut patet exemplo ignis, qui si in primo pede spatij prope focum producit calorem ut quatuor, in secundo pede spatij jam remotioris producet calorem ut tria, & sic deinceps, qui tandem calor finitur in spatio aliquo, ultra quod nullus ampliùs calor producitur à tali agente, atque sic ibi concluditur ipsius activitatis sphæra. Unde rectè deducimus solem non posse illuminare aërem magis magisqué diffusum, & extra hanc rerum universitatem complentem omnia, si quæ dantur, imaginaria spatia. Adeoqué si Deus, quod non repugnat, produceret alios mundos, ne horum inquilini in tenebris versarentur, opus esset ut produceret simul plures soles, aut aliquod soli æquivalens lucidum corpus.

Physici Agentis intra sphæram suæ activitatis actio.

788 AGentia naturalia, non solùm undiqué agunt, sed etiam secluſis impedimentis æqualiter actionem suam diffundunt successivè in partē quamcunqué suæ sphæræ; cùm enim æqualiter se habeant ad omnes partes peripheriæ, non est ratio cur non æqualiter diffundant agēdo uniformiter difformiter actionem suam in omnes partes: sic candelâ positâ in medio cubiculo ita, ut possit absque impedimento lumen quaqua versus diffundere, lux undiqué diffusa constituet horizontaliter hemisphærium exactissimum, cujus centrum occupabit ipsa candela; quam dixi acturam uniformiter difformiter; certum siquidem est, quòd cùm eodem pacto se habeat candela ad partes æquè distantes versus A. v.g. & versus B non sit ratio cur eodem modo, seu uniformiter, se non habeat ad A & B &c. similiter cùm diverso modo se habeat ad partes propinquiores, ac ad distantiores, non est cur etiam diverso modo, seu difformiter in illas nō agat: quod clarè liquet experientiâ, quâ videmus candelam æqualiter, ac uniformiter illuminare partes sphæræ æqualiter distantes; æquè enim illuminat partes distantes per palmum versus A, ac illuminet partes distantes per palmum versus B; & rursus non æqualiter illuminat partes à centro distantes quinque palmis ac illas, quæ unico solùm palmo ab ipso sunt remotæ.

789 Quo in loco aptè solvenda venit illa quæstio quasi ænigmatica: si plures ignes, vel candelæ accensæ æqualiter disponantur in circulum, qua in parte intra illum circulum minimus calor, vel minima lux producitur? & respondetur in centro; nam in illa parte minimus calor, vel minima lux produci debet, quæ maximè distat ab agentibus illis; maximè autem distat centrum, utpote quod æqualiter distat ab omnibus illis, nullaqué pars assignabilis est magis distans.

790 Unde patet ratio illius jucundæ spectatu experientiæ, quâ scorpius, positus intrà circulum carbonū ignitorum, calore incitatus, huc illucqué discurrit, donec tandem sistens mordicùs in medio, ad illud se contrahit quantum potest sphæricè, quousque demum caloris impatiens caudâ propriâ se ipsum conficiat, prout non semel ocularis nobis pluribusqué alijs viris oculatissimis exhibuit experientia.

Physici Agentis extra suam sphæram, seu in distans de potentia absoluta, actio.

791 QUantumvis igitur nullum creatum agens naturaliter extra suam sphæram, seu in distans operari possit, posse tamen supernaturaliter, præter commune à non implicantia, suadet etiam positivum argumentum; quia de facto potest agere in distans, agendo cum medio, vel per medium, ut patet in sylva integra flammis correpta; in facibus pluribus ardentibus simul ordine dispositis; in speciebus ab

objectis in potentiam tranſmiſſis; in aqua conſtituta in cado aliquo, infra quem ſit locus aëre repletus, tunc enim aquæ partes omnes gravitant deorſum, licèt non gravitent intra cadum ipſum in partes intermedias: in bilance cujus lanx una deſcendit, eò velociùs, quò plura ipſi ſuperimponuntur pondera, licèt hæc non attingant lancem ipſam, quam tantùm immediatè attingit ſuperficies ponderis vicinioris &c. quarum experientiarum ratio alia reddi non poteſt, niſi admittatur actio in diſtans agentis cum medio, vel per medium.

792 Adeoqué cùm defacto hanc in diſtans actionem ſecundum quid admittere debeamus; de potentia abſoluta admitti poſſe abſolutè, & ſimpliciter, non eſt cur dubitemus. Imò & in alio rerum ordine connaturaliter; perfectio namqué actionis in diſtans de genere ſuo talis non eſt, quæ excedat vires agentis creati poſſibilis; cùm illa nec infinitatem arguat; neque infinitè excedat perfectionem, quam defacto habent creata agentia, vi cujus agere poſſunt in diſtans paſſum, quod immediatione ſuppoſiti non attingunt; ut conſtat.

793 Neque obeſt, quòd actio ſit influxus cauſæ in effectum, qui non videtur poſſe tendere in paſſum niſi per medium, prout contingit in fluxu locali aquæ. Nam & aqua divinitus ab A fluere, ſeu poni poteſt in C abſque eo, quòd præextiterit in B. Et deinde non in omnibus convenit actio agentis cum fluxu locali aquæ, nam etiam naturaliter, ut diximus, ab ultima arbore ſuccenſa producitur calor in paſſum ante ſylvam totam ſuccenſam conſtitutum.

794 Nequé obeſt etiam quòd ad hoc ut cauſa agat nunc, debeat nunc exiſtere, adeoque ut eadem agat hîc, hîc debeat exiſtere: Quia ad hanc objectionem fusè jam ſupra dedimus diſparitatem.

Phyſici Agentis ultima conditio.

795 HÆc eſt vis, ac virtus quædam ſuperandi reſiſtentiam contrarij; ſive virtus major, quàm ſit reſiſtentia paſſi; multa namque ſunt agentia, quæ dum in paſſum agunt, reperiunt in illo magnam reſiſtentiam, & non niſi pugnando illam vincunt. Cum ergò in hac victoria, ſive exceſſu agentis ſupra paſſum conſiſtat actio, uti patet in igne, qui in tantùm aquam calefacit, in quantùm frigoris in ea exiſtentis reſiſtentiam vincit, ſequitur neceſſariò, requiri in agente exceſſum virtutis ſupra reſiſtentiam paſſi.

796 Dari autem talem reſiſtentiam in paſſo patet experientiâ, quâ conſtat longè difficiliùs ultimos gradus frigoris, expelli ab aqua, quàm primos: quæ major difficultas non provenit aliunde, quàm quòd forma aquæ contrà vim ignis præſentis ultimos illos frigoris ſui gradus conſervet acriùs, hoc ipſo quòd conſervare omnes non poſſit; incipit autem hanc conſervationem, & reſiſtentiam ad introductionem caloris, cùm primò ignis contrarius eſt ipſi applicatus, tunc enim incipit illum impedire ne agat, cùm aliàs ageret.

797 Quoniam verò paſſum, dum Agenti reſiſtit, ſæpe etiam in illud agit, ideo datur etiam reactio ſecundum eandem partem, eandemq; contrarietatem, quod patet tum experientia, quâ cernimus ferrum ignitum aquæ immerſum ab ea refrigerari dum illam calefacit, tum ratione, quia cùm tam agens quàm paſſum ſit activum, & utrumque ſubjecto proportionato ſit applicatum, non eſt cur utrumque non agat, tum ex fine naturæ, quia cùm mutua præſertim elementorum, primarumqué qualitatum pugna ad mixtorum generationem ordinetur tanquam ad finem, niſi mutua hæc Actio, & Paſſio inter elementa intercederet, eorum qualitates nunquam refringerentur, ſed ad ſummum elementum prævalens in ſe debilius converteret, ſicqué nunquam mixtum produceretur.

798 Neque ex hac paſſi reactione in agens ſequitur idem duobus motibus contrarijs ſimul moveri, nam ſi ferrum ignitum bipalmare ſecundum primum palmum mergatur in aquam (quo in caſu primus palmus dicitur pars agentis repaſſa, quia ab aqua infrigidatur, ſecundus verò pars non repaſſa, quia ab aqua nihil patitur, & aqua paſſum ſimpliciter, quia plus patitur quàm agat) primus ferri palmus aquæ immerſus non ſimul infrigidatur ab aqua, & calefit à ſecundo palmo, ſicut fieri deberet, ut dici poſſet duobus motibus contrarijs idem moveri, ſecundus namqué palmus ferri candentis, licèt ſit primò applicatus, eiqué in calore diſſimilis, dum aqua in illum reagit, in illum tamen non agit, quia tunc impeditur ab aqua, quæ ſicut aliquid in eo frigoris producere potuit etiam præſente ſecundo palmo, ita illud conſervare poteſt, & ſecundum palmum impedire ne agat, illiqué effectivè reſiſtere.

Phyſici Agentis naturalis actio, quid ſit, & qualis?

799 HUjus nomine intelligimus ipſam cauſalitatem, ſeu exercitium, quo cauſa efficiens virtutem ſuam exerit, & exercet, actu ſuum producens effectum. Ejus quidditas rectè conſtituitur in eſſe actualis determinationis, per quam effectus, velut per viam, ſuum eſſe defectibile à cauſa accipit. Ratio namqué formalis, & eſſentialis actionis, ut patet à pari ex dictis ſupra de unione, eſt determinare creatum principium in actu primo productivum continens virtualiter effectum, ad dandum eſſe defectibile effectui, eumqué ponendum extra

tra se ipsum, ut constat ex communi notione actionis.

800 Porrò actionem esse entitatem modalem ab agente, passo, & termino realiter modaliter distinctam, patet; quia dari potest hoc agens, hoc passum, & hic terminus in rerum natura, absque eo, quòd hic terminus seu effectus, ab hoc agente producatur, cùm defacto nullum sit agens creatum ita determinatum, ad producendum ex hoc passo hunc numero effectum, quod Deus nequeat impedire ab illa actione ex passo in effectum, vi alioquin talis actionis producibilem, ut ex eo liquet, quòd Deus liberè concurrat cum agente creato ad operationem, & productionẽ effectûs, adeoq; tam causa creata, quàm effectus de se indifferentes sunt, ut sint, vel non sint dependentes, aut independentes ab invicem.

801 Ut igitur hæc causa sit causans hunc effectum, & hic effectus sit causatus ab hac causa dari debet aliquod ultimum determinativum, per quod formaliter tollatur talis indifferentia; quale aliud esse non potest, quàm sola actio modaliter realiter distincta ab agente, passo, & termino, non secùs quàm actio, per quam artifex operatur aliquod artefactum, distincta sit ab ipso artifice, materia artificiata, & ab ipso opere artefacto.

802 Neque obest, seu quòd sol non possit esse absque eo quòd luceat: seu quòd ignis debitè applicatus non possit non incendere stupam, seu quòd actus vitales nequeant esse nisi à principio vitali. Nam primas duas instantias parum urgere constat inde, quòd aliter fieri possit de potentia absoluta, quod sufficit ad probandam distinctionem actionis ab agente, & termino. Tertia verò instantia facilè pariter solvitur ex eo, quòd actus vitales non sint secundum se indifferentes, ut pendeant, vel non pendeant à principio vitali, à quo ita essentialiter dependent, ut non possint non dependere, prout suo loco pluribus ostendemus.

803 Plures instantiæ, quæ adferri possent, nè hic repetantur, solvendæ sunt ex dictis suprà de essentia, & distinctione unionis ab extremis, quæ essentialiter determinat ad esse uniti, ex quibus satis constat actionem nec esse decretum aliquod Divinum, nec negationem miraculi, nec entitatem absolutam cum negatione actionis miraculosæ; nec demum aliquam sic se habentiam consurgentem ex entitate causæ, effectûs, aliorumq; requisitorum.

Physicæ Actionis à Passione distinctio.

804 Dupliciter sumi posse, & debere passionem, de qua in præsentiarum agimus, nimirum semel pro causalitate causæ passivæ, seu materialis, & rursus pro ea, quâ aliquid ab agente fieri, & produci dicitur, quæ etiam actio acta denominatur, nemini in Philosphia Peripatetica vel superficietenus versato potest esse dubium. Priori modo sumptam passionem realiter ab actione efficientis distinctam esse patet tum ex dictis supra, de causalitate materiæ; tum ex eo, quòd unicum fundamentum, quod defacto habemus à posteriori asserendi diversitatem quatuor generum causarum Physicarum est uiversitas causalitatum, quæ nobis innotescens per effectuum diversitatem, deducit nos etiam in cognitionẽ ipsius causarum diversitatis, si enim eadem esset causalitas efficientis & materialis; cur non eadem esset etiam causa materialis & efficiens? Præterea hactenus quis formalis causæ causalitatem identificavit causalitati efficientis? cùm igitur diversitas physica sit in ipsis causis naturalis compositi, diversitatem quoq; in earum causalitatibus admittere est necesse, adeoqué passionem ut causalitatem materialis causæ ab actione, quam causalitatem efficientis esse fatentur omnes, non immeritò distinctam recognoscimus.

805 Neque qui contrarium suadent, argumenta adferunt convincentia; siquidem quod desumunt ab inhærentia accidentium indistincta ab eorũ in subjectis unione facilè solvitur, explicando amphibologiam, quæ involvitur in termino inhærentiæ; hæc namqué pro inhærentia passiva si sumatur verum est non distingui ab ejus unione, falsum autem si sumatur pro inhærentia activa, sive pro actione ipsa, quâ efficitur accidens dependenter à subjecto, & fit illi in genere causæ efficientis inhærens.

806 Alterum quod obijciunt ex eo, quòd sublatâ eductione pereat unio; verum solùm est per locum extrinsecum, & consequenter, non autem per locum intrinsecum, & formaliter; alioquin licitum foret argumentari, dispositiones ipsas, & accidentia ad conservationem substantialis formæ in subjecto non esse distinctas ab ipsa substantiali forma, cùm pereuntibus illis, hanc quoque desinere connaturaliter est opus.

807 Tertium quod assumunt ex unione, quâ se ipsâ actio unitur materiæ, & formæ, nihil probat, utpote inhærens ruinoso suppositó; nam actio quatenus actio agentis est nec materiæ, nec formæ unitur, neque illis est intrinseca, sed ipsi soli agenti, ut mox ostendemus.

808 Quartum demum efficacius non est præcedentibus, siquidem forma recipitur in materia per actionem eductivam, duntaxat efficienter, quatenus scilicet ex actione eductiva formæ in materia resultat unio utriusque. Sumptam autem passionem, in secunda suprà posita acceptione; ab ipsa actione realiter indistinctam esse, patet ex eo, quòd sicut per illum actum, per quem voluntas objectum amat,

amat, vel intellectus intelligit, per eundem etiam objectum amatur, & intelligitur; ita per eandem realiter actionem, per quam agens creatum effectum producit, effectus ab eodem producitur; ac proinde actio agens, & paſſio, ſeu actio acta realiter inter ſe nullatenus diſtinguuntur.

809 Neque obeſt ſeu quòd actio, & paſſio ad diverſa ſpectent prædicamenta; cùm conſtet ex logica non requiri, ut illa, quæ in diverſis categorijs ponuntur, inter ſe ſint realiter diſtincta: ſeu etiam quòd productio activa, vel actio ſit in agente, paſſiva verò ſeu paſſio in effectu, aut termino; nam actio eadem quatenus in agente eſt, rigoroſam ſubit actionis denominationem, quatenus verò ad effectum terminativè ſe habet, paſſionis nomen ſortitur: cùm enim denominatio requiſita ad effectum formalem producti intrinſeca non ſit, ſed extrinſeca, utpote proveniens à forma denominante, ſuo modo extrinſeca denominato, quæ ſe habet non ſecùs quàm via ſe habeat ad terminum, ideo etiam fit, ut eadem actio determinans indifferentiam cauſæ ad talem terminum, determinet conſequenter terminum ad talem cauſam, ut nequeat non ab illa prodire 812 tali determinatione poſitâ, adeoqué effectus in virtute ſuæ cauſæ determinatus non ampliùs eſt indifferens ad procedendum, vel non procedendum ex ſua cauſa, ſicqué non eget ullo ulteriori determinativo intrinſeco reali, ſed ſolùm præbet intellectui noſtro fundamétum aliquod tale concipiendi, quale eſt, quod vocamus paſſionem, quæ aliud non eſt quàm ipſa terminatio actionis receptæ in agente ad ipſum effectum: unde ſicut non datur in humano v.g. compoſito duplex, ſed unica tantum realiter unio recepta in materia, & terminata ad formam: ita non dabitur reſpectu efficientis & effectûs duplex actio, agens una, acta altera, cùm per eandem ſubjectatam in agente, & ad effectum terminatam abſque multiplicitate entitatum, quæ de actione & paſſione in genere efficientis dicuntur, ritè ſalventur. 813 Ex quibus non difficile eſt aſſignare

Phyſicæ actionis naturalium Agentium ſubjectum.

810 QUod probabiliter eſſe cenſemus ipſum unicum Agens, cùm id & diſertiſſimè Doctor Angelicus 2. contra gentes c. 9. doceat, inquiens: actio quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt eidem ſicut accidens ſubjecto: & ratio evidenter id ipſum comprobet; ſi enim illa in agente non reciperetur, poſſent agentia creata agere tranſeunter, & ad extra abſque ulla ſui intrinſeca mutatione; quam certam ſequelam admitti non poſſe, ut alias omittamus rationes, conſtat ex eo, quòd ſolius Dei ſit proprium ob infinitam, & undequaque illimitatam perfectionem, agere, ac pro placito res creatas mutare, & movere, abſq; eo quòd ipſe ulli mutationi ſubjaceat; juxta illud. Immobilis fixuſqué manens dat cuncta moveri; quæ perfectio cùm tribui non poſſit ulli creaturæ, reclamante ſcilicet experientiâ, quâ patet, quòd creata agentia agendo mutentur, ſequitur neceſſariò actionem creati agentis in ipſo agente immediatè recipi, & ſubjectari.

811 Cujus dicti ulterius eſt argumentũ, quòd omnis actualitas potentiæ cauſativæ ſecundum ſe inclinatæ ad illam actualitatem, tanquam ad aliquam ſui perfectionem recipi debeat intrinſecè in tali potentia, tanquam determinativum in ſuo determinabili, perfectivum in ſuo perfectibili, forma denominans in ſuo denominato, cauſalitas in ſua cauſa, &c. cùm igitur actio ſit actualitas ipſa cauſativæ potentiæ, ejuſdem determinatio, perfectio, forma denominans, & cauſalitas, manifeſtè ſequitur in ipſo agente tanquam in actuali, perfectibili, determinabili, denominato, & cauſante, actionem ſeu cauſalitatem recipi, ac ſubjectari.

812 Neque obeſt, quòd ſi hoc admittatur dari nequeat differentia inter actionem immanentem, & tranſeuntem; aſſignamus enim illam ſufficientiſſimam ex ipſa notione actionis immanentis & tranſeuntis: illa namqué non talem denominationem ſortitur ex eo ſolùm, quòd recipiatur & ſit in agente; ſed ex eo, quòd terminus ipſius ſit intra ipſum agens, ſic cognitio factiva entis rationis dicitur actio immanens, quia ejus terminus eſt intra ipſum intellectum objectivè. Actio autem tranſiens talis non eſt, aut dicitur, quaſi illa extra ipſum agens exiret, ſed quia terminus, qui per illam producitur ponitur extra ipſum agens, non ſecùs quàm dicatur aliqua actio ſubſtantialis, non quòd illa in ſe ſit ſubſtantia, cùm omnes actiones creatæ in ſe ſint accidentia, ſed quòd terminus ipſius ſit ſubſtantia.

813 Neque obeſt rurſus, quòd juxta hoc noſtrum placitum omne movens movendo moveretur, & omne agens agendo pateretur, cùm ſe haberet per actionem in ſe receptam intrinſecè aliter, ac ſe priùs habuerit. Nam verum eſt id totum ſiſtendo ſimpliciter in agentibus creatis; quæ cùm ſint agentia imperfecta, & non omnino actuata, ideo agunt & movent, ut movendo & agendo acquirant ipſum actualis ſui perfectivum, & determinativum, ad quod erant in potentia.

814 Neque obeſt ampliùs quòd actio generativa nuſquam recipi poſſit, niſi ubi per eam aliquid producitur, alioquin otioſa eſſet, cùm igitur nihil operetur in agente, non videtur poſſe in eo ſubſiſtere. Nam & id verum eſt, ſi ly, *ubi*, ſupra operationem, vel denominationem

ope-

operantis cadat, non verò supra rem operatam; absolutè namqué falsum est, quòd ubi est actio, ibi etiam sit res acta, prout patet in actibus vitalibus intellectionis, & volitionis, alijsqué his similibns, qui licèt non sint ubi est res intellecta, & amata, ex hoc tamen minimè sunt otiosi.

815 Neque obest demum, quòd etiam actio creativa, & conservativa, quâ Deus produxit & conservat mundum deberet esse, & recipi in Deo, quod dici non potest, cùm nihil temporale in Deo esse queat. Disparitas siquidem sulata est, ut patet ex modo dictis: & patebit magis ex dicendis in Metaphysica; quò tanquam ad proprium locum remittimus universa, quæ de causa Efficiente Increata, dequé ejus propria causalitate, concursu item cum causis secundis, determinatione ad individuum effectûs, alijsqué pluribus hujusmodi, quæ alioquin juxta consuetudinem receptam nunc in scholis, hoc loco tractari consueverunt. Intereà ab Efficiente causa creata gradum facimus ad Finalem, quam etiam paucis hîc prosequemur, pluribus de fine acturi in Ethico-physica.

Physicæ entis naturalis Finalis causæ quidditas.

816 FInalis causæ nomine venit ultimum illud bonum, quod operans intendit, & à quo movetur ad operandum ex certa intentione, & inclinatione naturæ; quæ quamvis in ordine executionis sit omnium causarum ultima, in ordine tamen intentionis esse omnium primam communis tenet sapientum consensus fundatus in illa Aristotelicâ assertione, quâ finis dicitur id, cujus gratia, vel propter quem aliquid fit; ex quo constat hunc pro termino, & quasi scopo præfixum esse omnibus naturalibus causis in suis operationibus, quo obtento tandem quiescunt, nec ultrò operantur vi talis actionis, juxta vulgatum illud; cessante fine cessat actio.

817 Ex quo Aristotelis effato consequenter ad ea, quibus aliarum physicarum causarum naturam suprà explicuimus, dicimus; Finalem causam esse illam, quæ per veram, & realem motionem, ac directionem in effectum defectibilem influit, eidemqué esse communicat. Quâ definitione cõstat & proportio, quam hæc habet cum alijs physicis causis; & participatio, quâ finalis causa rationem physicæ causæ in communi participat, & differentia, quâ ab alijs finalis causa discriminatur.

818 Quòd autem ea sit non moralis tantùm, seu metaphorica, ut non pauci opinantur, sed etiam verè physica, ac realis causa, patet; æquè enim est impossibile dari physicum effectum absque finali causa in suo genere, quàm absque efficiente, materiali, aut formali in suo; ideo enim efficiens taliter operatur; ideo talis est causa materialis, & formalis, quia talis est finis; & propterea illi dicuntur operari sine causa, qui operantur sine fine; cùm igitur verè, & realiter in fieri, & conservari effectus physicus dependeat à fine; non est cur negetur finem esse veram & realem physicam causam; cùm præsertim ille per se propriè, ac realiter moveat, & dirigat; uti constat experientiâ v. g. infirmi, qui realiter movetur propter amatam sanitatem, quam recuperare intendit, ad sumendas amarissimas potiones, ad sectiones venarum &c.

819 Accedit, prout jam etiam insinuatum est, quòd finis causam Efficientem ad agendum moveat, & applicet; movere verò efficientem ad productionem effectûs, noñé est & movere physicè ad existentiam effectûs efficienter ponendam ab efficiente, & simul tribuere finaliter existentiam effectui, sive in genere finis influere existentiam in effectum? & hinc fit, quòd effectus realiter pendeat ab illa intentione, inclinatione, & amore, quo omnia in finem feruntur; & ab eo re ipsa oriatur, adeoqué finalis causa per verum & realem physicum influxum dans esse effectui, non est, ut plura alia argumenta omittamus, cur quisquam dubitet eam esse physicam & realem causam, si maximè perspexerit effectus reales, qui ab illa realiter procedunt.

820 Neque est, quòd aliquem deterreat ab assensu præstando dictis nostris existentia tantùm intentionalis finalis causæ; nam si existentia imaginaria, aut intellectualis tantùm passiones delectationis, tristitiæ, gaudij, timoris, producit in potentijs appetitivis, sæpe passivè tantùm se habentibus: & si potentia loco motiva determinat per verum influxum ad realem existentiam motus localis corporis; sanè & bonitas finis existens realiter intentionaliter tantùm, physicè causare poterit suos effectus in suo genere.

821 Nec etiam urget authoritas Aristot. vocantis finem primo de gener. causam metaphoricam; cùm enim 2. phys. & alibi passim idem reponat finalem causam inter cæteras physicas causas, ne contradicere sibi videatur, intelligendus est, quod 1. de generat. asserat finem non esse activum activitate causæ efficientis, quod omninò verum est, adeoqué translatè tantùm, & tropicè attribui fini activitatẽ, ob penuriam propriæ vocis in hac materia, prout sæpe contingit in alijs pluribus.

822 Ex quo tamen non sequitur id, quod intendunt Adversarij; tum quia à causa finali per se pendet effectus secundum rationem causandi ab alijs causis formaliter, imò & realiter distinctam; tum quia propriè finis omnia habet ad veram & physicam causam necessaria; scilicet

licet prioritatem naturæ, virtutem effectui proportionatam, ſecundum quam continet virtualiter effectum, etſi non ſemper realem entitativé, realem tamen ſecundum eſſe intentionale, & proportionatam ſuo modo cauſandi: tum demum, quia habet applicatam dictam virtutem mediante reali intentione vel naturæ, vel naturæ Authoris, vel intellectuali cognitione.

823 Ad alia, quæ ab adverſarijs adferuntur, ut, quòd idem non poſſit eſſe principium, & finis in creatis; quòd idem nequeat eſſe cauſa ſui ipſius, aliaqué hujuſmodi, facilis eſt reſponſio, ſi attendatur ad duplicem ſtatum intentionis ſcilicet, & executionis, in quo ſolet, & debet conſiderari finis.

Phyſica Virtus cauſativa cauſæ Finalis,

824 HAnc non eſſe cognitionem, ut quidam opinantur, ſed eſſentialem & intrinſecam ipſam objectivam bonitatem per cognitionem in cognoſcitivis agentibus, tanquam per conditionem repræſentatam, inde nobis fit longè probabilius, quòd virtus cauſativa finalis cauſæ in eo videatur collocãda eſſentialiter, à quo habet poſſe movere, cauſam præſertim efficientem ad ſui proſecutionem, quod neceſſariò à propria ſua perfectione, & bonitate, non autem ab ipſa cognitione habetur.

825 Conſtat id tum experientiâ quâ certum eſt, illud, quod cognoſcitur in fine eſſe id, à quo habet movere, & eſſe amabile, quod nullatenus convenire poteſt cognitioni, cùm ipſa non ſit in ipſo fine, ſed extra illum; tum quia virtus motiva finis eſt illa, ad quam habendam ponuntur media, & quâ habitâ quieſcit operans, quæ ſine dubio non eſt ipſa cognitio; ſitibundus namqué aut famelicus, non cupit, aut quærit potûs, vel cibi cognitionem, ſed ipſum potum, & cibum. Quæ cùm evidentia ſint, clarè ſequitur cognitionem non eſſe rationem, & virtutem formalem motivam finis, ſed duntaxat conditionem applicantem bonitatem finis.

826 Hinc licèt variatâ cognitione varietur motio potentiæ appetitivæ, non tamen propterea cognitio eſt plus quàm conditio, nam etiã variata approximatione agẽtis ad paſſum variatur effectus, nec tamen quiſquam dicet approximationem eſſe aliquid plus quàm meram conditionem.

827 Adeoqué neque à cognitione inprimis habet, ut ſit prior effectu; hanc enim prioritatem habet ex ſe quoad eſſe intentionis; licèt effectu ipſo poſterior ſit in executione; quod nihil obeſt prioritati finis; quia hic non cauſat, ut executioni jam mandatus, ſed quatenus exiſtens eſt in intentione. Neq; deinde quòd à cognitione ſolâ malum re ipsâ tale, habeat, quòd ſæpiſſimè ſub ratione boni appetatur, ſicut & impoſſibile ipſum, aliaqué complura, quæ tantùm ſub ratione boni ſolùm apparentis movent potentiam appetentem ad ſui proſecutionem; nam nullum prorſus eſt inconveniens, quòd realis cauſalitas, ſeu motio in genere cauſæ finalis, à bonitate apparente, ficta, vel impoſſibili procedat, ab eaqué dependeat eſſentialiter, tum quia cauſalitas finalis procedit per naturalem quandam ſympathiam, quæ in rationalibus præſertim agentibus, reperitur inter intellectum, & voluntatem (voluntati enim, ut moveatur, ſatis eſt ſi bonitas apparens, quâ vera & realis, vel ut impoſſibilis quâ actualis ab intellectu proponatur); tum quia hic per eſſe reale aliud à nobis non intelligitur, quàm id quod diſtinctum à formali cognitione, quâ in acceptione, etiam apparens, & impoſſibile dici poteſt reale, tum demum quia nihil omnino eſt quod ſicut participat rationem entis univerſaliſſimè ſumpti, non participet etiam rationem proprietatum ejus, quæ, ut dicemus, ſunt unum, verum, bonum; ac proinde quodvis malum, ac quodvis apparens, imò & impoſſibile, ſpecificativè ſumptum cùm habeat rationem tranſcendentalem bonitatis phyſicæ, phyſicè ſubire poteſt rationem cauſæ Finalis.

828 Quin imò abſolutè dici poteſt; quod etiam malum quâ tale cognitum, ſubeat rationem cauſæ finalis phyſicæ, eò quòd moveat realiter ad realem actum averſionis, & fugæ, in quo non videtur phyſicè loquendo, ulla poſſe eſſe difficultas aut inconveniens.

Phyſicæ cauſæ Finalis cauſalitas

829 CAuſalitatis finalis nomine aliud nihil intelligimus, quàm influxum, ſeu motionem, per quam finalis cauſa influit eſſe in effectum in ſuo genere; quam non conſiſtere in coëxiſtentia, & aggregato actûs dirigentis & actûs directi, ſeu ſimpliciter, ſeu connotante, & involvente voluntatem Dei exhibentis concurſum ſuum ad actum directum; ſatis conſtat proportione ſervatâ ex dictis ſuprà de aliarum cauſarum cauſalitatibus; cùm non minùs poſſit exiſtere in natura actus dirigens, & actus directus, quin alter alterum dirigat, quàm exiſtere poſſit ſeu materia, &, forma, abſque eo, quòd ſimul ſint unitæ, ſeu hæc efficiens cauſa, & hic effectus, abſque eo, quòd iſte ab illa ſit productus; poteſt namqué aliquis immemor omnino alicuius finis, v. g. ſanitatis, eligere ambulationem propter ſolam recreationem, & in eodem reali inſtanti pro poſteriori ſigno naturæ recordari ſanitatis ejuſqué bonitatem appetere; quod ſæpe fieri quotidiana ferè probat experientia.

Neque

830 Neque causalitatem finalis causæ consistere in ipsa actione efficientis, ut ordinatâ ad finem, vel quatenus fit propter finem, constat tum ex eo, quòd causa finalis sit reale membrum dividens causam physicam ut sic: tum ex eo, quòd causalitas materiæ distincta realiter sit à causalitate efficientis: tum quia causalitas finis consistit in ipsa motione, seu directione reali, quâ bonitas finis actu movet, & dirigit efficientem ad agendum propter finem; quæ motio subjectari debet in fine ipso, non secùs quàm actio subjectetur in ipso agente; tum demum quia actio productiva actûs directi, & finaliter causati essentialiter pendet à causa, tam materiali, quàm efficiente, cùm tamen nulla istarum causarum in actu secundo ad illum dirigat, efficiens namqué illum duntaxat facit, materia verò materialem tantùm suum concursum ad ipsum exhibet, ut certum est ex ipsa notione talium causarum.

831 Ac proinde meritò causalitatem finalem consistere asserimus in modo quodam vero, & reali, inter actum dirigentem, & directum medio, non secùs quàm causalitas efficientis in modo realiter distincto consistat. Cujus dicti ratio ulterior est communis illa, quâ necessitatem actionis, & unionis distinctæ suprà ostendimus, & indigentiam naturalem modorum suo loco in Metaphysica ostendemus.

832 Nec obstat, quòd videatur posse tolli talis indifferentia per actionem causæ efficientis aliquid propter finem operantis, benè namq; dicitur, quòd videatur tantùm, nam re ipsâ fieri id non posse patet ex ipsa diversitate muneris talium causalitatum, nam munus actionis est efficere, finalizationis dirigere, movere: illius circa solum effectum, hujus circa effectum, & effectionem ipsam versari, illius dare simpliciter existentiam, hujus autem solùm secundum quid.

833 Neque obest rursus, quòd quando ex cognitione alicujus objecti voluntas illud liberè amat, directio cognitionis ad amorẽ ab actione effectiva amoris indistincta sit, adeoq; servatâ proportione idem videatur dicendum de actibus physicis, quoties unus alium dirigit. Nam inprimis absolutè negatur antecedens, cùm cognitio ad actum amoris, non in genere causæ efficientis, sed solùm in genere causæ formalis extrinsecæ concurrat. Dato deindè etiam antecedente, consequentia adhuc non tenet, quia licèt aliquando actio directiva alicujus actûs liberi eadem esset cum actione effectiva ejusdem, hoc tamen non fieret ex natura, & essentiali conceptu actionum, sed ex peculiari natura talis actûs liberi, ipsiusqué libertatis, ex quo non potest desumi ratio apta ad probandum in actibus suaptè natura non liberis actionem effectivam, & directivam non distingui.

834 Nec obest demum, quòd nequeat assignari modificatum istius modi distincti ab actione efficientis; cùm, ut plurimùm causa finalis non existat, nec existere possit, siquidem potest esse subinde etiam aliquid impossibile. Quia contrà est inprimis, quòd ipsa causa finalis semper existat in intentione reali, & quà sic existens esse potest sufficiens modificatum suæ causalitatis. Deinde potest sat probabiliter dici, quòd modificatum hujus modi sit ipsa bonitas in specie sui impressa realiter existens; non secùs quàm dicatur cognitio causari ab objecto, & intellectu, licèt non sit ipsum objectum, quod immediatè secundum se causat cognitionem, sed species realis impressa objecti vicaria; pari modo licèt dicatur finis movere, & esse modificatum talis modi, non tamen necesse est, ut semper immediatè modificetur à tali modo, sed sufficit, si id fiat mediante specie impressâ objectivè ipsum repræsentante, ita ut species ipsa immediatum, finis verò sit mediatum dicti modi modificatum.

Physicæ causæ Finalis effectus.

835 AMorem finis, consultationem, electionem & positionem mediorum imò & possessionem, gaudium ac fruitionem finis, finalis causæ physicos esse effectus longè est probabilius, cùm omnes hi actus, & effectus temerè non ponantur, sed propter finem, seu finis gratiâ: si enim quis petat cur amem sanitatem, scientiam, virtutem; & cur consultem, eligam, & ponam media pro earundem acquisitione; & cur postremò illas cum gaudio & fruitione possideam? Aliud nihil respondebo, vel respondere potero, quàm propter bonitatem honestam, & delectabilem ipsius sanitatis, scientiæ, ac virtutis: nempe quia causa finalis est universalissima, & reperitur in omnibus operationibus agentium quidem quorumcunque, sed præsertim intellectualium, ideò in omnibus his actibus, quos enumeravimus eam reperiri est necesse.

836 Neque obstat, quòd possessio finis non ponatur ad ipsum finem consequendum transitivè; ponitur enim ad finem possidendum intransitivè, quod sufficit, ut dicatur esse propter finem; sicut enim qui amat propter bonitatem, quæ est in ipso amore exercet amorem propter amorem, tanquam propter finem intransitivè: sic possessio finis est propter bonitatem, quæ est in ipsa bonitate finis intransitivè efficaciter intentam in efficaci intentione finis; in qua sicut intenduntut cætera propter finem, ita ipsa possessio finis intenditur propter se.

Phy-

Physicæ causæ Finalis vis respectu agentium omnium.

837 BOnitatem finis non solùm esse causam finalem respectu intellectualium agẽtium, quæ utpote cognoscentia finis convenientiam cum sua natura, & proportionem media inter & finem, ut per illa hunc consequantur, proprijssimè dicuntur agere propter finem; verùm etiam respectu brutorum, & insensibilium; cùm hæc & agant re ipsâ, & agere dicantur propter finem; licèt enim non cognoscant finis convenientiam cum sua natura, nec mediorum utilitatem ad illum obtinendum; nihilominus per propensionem, seu inclinationem, & amorem sibi innatum, hoc est per suas potentias, seu potentialitates naturales, quãvis ad unum determinatas, efficaciter tendunt in bonum sibi conveniens, illudqué ferè amotis impedimentis semper consequuntur, perinde, ac si ipsum cognoscerent.

838 Agunt adeoqué propter finem, non solùm DEUS, Angelus, homo, brutum, & Zoophyta; sed etiam arbores, & germina, dum frondes, floresqué producunt ad fructus producendos, & convestiendos, imò & ipsa non viventia, cùm singula ferantur in suos fines sibi à natura, ejusqué Authore determinatos, eo ferè modo, quo sagitta ex arcu emissa, aut è bombarda globus, tendit in scopum à jaculante intentum: sic levia sursum, gravia deorsum tendunt, medijs scilicet qualitatibus ipsis inditis sibi ab ipsa natura regulatissimè omnia ad præfixum à supremo Opifice finem ordinante.

839 Neque est quod hanc naturæ ordinationem in dubium revocemus ex eo, quòd in universo tot sint redundantia, & superflua: uti multa animalia noxia, & venenifera, ipsaqué venena; nulliqué usui apta; cujusmodi sunt mixtorum plurima; Nam tollit dubium omne D. Augustinus 22. de Civit. DEI cap. 24. ubi docet cuncta facta esse ad ostendendam supremam potentiam, sapientiam, & Bonitatem summi Artificis; inter quæ nihil ostendit esse tam minutum, & exile, quod hoc munus pro virili non exequatur, cùm ea plus habeant admirationis, quæ molis minimum; plus enim formicarum, & apum opera stupemus, quàm immensa corpora balenarum; sic ipse.

840 Et profectò quantam in opifice arguit sapientiam vel unius pulicis crus, & aculeus, quæ cùm nostrorum aciem oculorum ferè effugiant præ tenuitate, tot tamen distincta sunt partibus, & ad proprios fines tam benè aptata, ut vix quidquam videatur esse admirabilius; quis enim potuit terebrare tam tenuem aculeum, qualis est culicis, vel pulicis? quis potuit in tenuissimis cruribus efficere meatus ad alimentum deferendum, quis distinguere nervos & arterias? Quæ si ad microscopium rectè perspiciantur, haud dubiè nequeunt non animum trahere in sui admirationem, & æstimationem maximam sapientiæ conditricis. Venenata autem & noxia non solùm dici possunt sapienter posita, quasi in administros Divinæ justitiæ, verùm etiam physicè sunt utilia ad plures curandos morbos, quos viventibus accidere ex necessitate materiæ est necesse.

841 Nec rursus regulatissimo ad finem naturæ ordini quidquam detrahunt tot, quæ in universo videntur valdè incomposita, & inordinata, qualia sunt monstra, inæqualitates aëris, tempestates, siccitates, nimiæ pluviæ, aliaq; hujusmodi, quæ cùm appareant esse contra leges universi, non apparent pariter esse posse propter finem. Nam certum esse constat, quòd multa ex ijs, quæ in mundo sunt, defectibilia sint ex natura propria: unde ex necessitate materiæ evenire debet, ut multa à suis particularibus finibus aberrent; ex quo oriuntur monstra, ut mox dicemus, accidunt etiam inæqualitates temporum, vel ex speciali supremi Numinis providentia, vel ex perpetua elementorum inter se contentione, in qua sæpe vincitur ab humido siccum, & è contrà; in quo tamen illud est mirandum semper, quòd tanta cum mutabilium causarum varietate, permaneat tamen tanto tempore ratus & stabilis ordo universi.

Physica causa Idæalis, seu exemplaris.

842 DUm hic agimus de causa idæali, nemo, præmonemus, existimet nos adstipulari Platonicorũ figmento, quo illi statuerunt idæas quasdam substantiales, insensibiles, incommutabiles, æternas, increatas, pluribus individuis specificè communes, & ab ijs participabiles, quas in Methaphysica meras esse chymæras ostendemus; verùm de idæali causa agimus, quatenus est forma, & exemplar quoddam, ad cujus imitationem aliquid per se fit ex intentione agentis, formaliter determinantis sibi finem; quam dari in quolibet artifice præsertim creato (nam de Divinis idæis agere transcendit limites philosophicos) necessariò evincit ratio illa, quòd creatus omnis artifex dum opus suum facit non casualiter, sed ex arte, habeat præfixum sibi ipsum opus artificiatum, uti patet in Polemico, qui ædificaturus castrum ex arte, habet sibi præfixum illud, illiusqué formam non solùm intelligibiliter in mente, sed etiam sensibiliter persæpe in charta, creta, argilla, ligno, &c, cui castrum fabricandum conformet.

843 Imò non rarò in latiori quadam acceptione sumptam idæam, etiam in brutis materialiter reperiri colligimus non obscurè ex simijs, canibus, alijsqué animantibus, quæ frequen-

quenter inspiciédo humanas actiones easdem exprimere conantes videmus;& audimus aves imitantes, vel loquelas hominum, vel ipsorum cantillandi, aut fistulandi modulos.

844 Idæalem porrò causam non concurrere physicè efficienter ad idæatum, sed solùm in genere causæ formalis extrinsecè determinantis; patet inde, quòd ea sit forma tribuens specificationem per imitationem, & non per aliquam effectionem; idæa namqué ut constat, ex ipsa nominis notione, est id, ad quod agens respiciens operatur; ad quod non opus est efficientiâ aliquâ, sed quâdam quasi potiùs patientiâ, ut patet in pueris discétibus juxta exemplar rectos formare characteres, atque in pictoribus pingentibus juxta imaginem sibi propositam &c. in quibus certum est quòd nec imago, nec exemplar efficienter concurrat cum puero, aut pictore ad pingendum, vel scribendum.

845 Nec obest quòd sæpe à Sacris Authoribus Divinæ idææ dicantur rerum effectrices; tum quia à Divinis ad res creatas nulla est paritas; tum quia illæ effectrices, seu efficaces vocantur non ratione sui præcisè, sed ratione Omnipotentiæ, per quam cuncta fiunt; quam sibi habent indivisibiliter adjunctam.

Physicæ causæ per accidens existentia, & quotuplicitas.

846 PRæter physicas causas per se, dari etiam physicas causas per accidens, hoc est non ordinatas à natura ad effectus, quos causant, sed cum illis contingenter tantùm, & præter intentionem connexas; patet, tum quia in vita humana necesse est contingere tam bona, quàm mala non prævisa; cùm ad omnes eventus extendere se non possit, quantumvis perspicacissima sit hominum providentia; tum quia dum vineam fodiens reperit thesaurum, & dum tegula è tecto cadens venti impetu delata, frãgit alicui plateam obambulanti caput, re ipsâ inventio illa thesauri, & capitis fractio procedunt à causis, quæ tales effectus nullatenus intendebant, neque ad illos per se ordinabantur.

847 Dividi verò solet causa per accidens in Fortunam & Casum; quæ, absit à Christiano Philosopho, ut intelligantur in significatione illa, quâ nomen Fortunæ, & Casûs ingeniosi poëticâ licentiâ suis in allegorijs usurpant Poëtæ; multò minùs in illa, in qua superstitiosa, & in tenebris gentilitatis nimiùm caligans usurpabat Vetustas, existimans Fortunam, & Casum quædam esse numina; in cujus errorem meritò cecinit ille;

Nullum Numen abest si sit prudentia; sed nos
Te facimus Fortuna Deam, cæloq; locamus.

848 Verùm à Philosophis horum nomine intelligitur collectio quædam causarum per accidens in ijs, quæ ob aliquem finem ex electione operantur: cujusmodi potissimùm nos sumus homines, qui propter limitatam nostram providentiam, non ita nobis possumus præstituere finem, ut illum in operando semper assequamur: vel si assequimur, non tamen semper ijs assequimur medijs, quæ nobis præstituimus; unde sæpe contingunt præter intentionem, & præscientiam tum bona, tum mala. Atque hinc illa ortum habuit denominatio, quâ Fortunati dicuntur ij, quibus accidunt plerumqué prospera; infortunati verò, quibus adversa ut plurimùm contingunt.

849 Ac propterea hæ causæ per accidens varijs epithetis à sapientibus indigitantur: dicuntur siquidem causæ cæcæ, quia nimirum effectus earum succedunt minimè prævisi; dicuntur instabiles, quia cùm subinde tantùm contingat illarum causalitas, stabiles in ea esse nequeunt: dicuntur fallaces propter suam contingentiam; dicuntur indeterminatæ; quia eadem causa, quæ per accidens producit unum effectum, potest etiam producere effectum contrarium; sic ludus idem, quia per accidens, & fortuitò jam lucrum causat, paulò post per accidens item causat incommoda & detrimentum.

850 Neque his obstat, quòd omne contingens revocari possit in aliquam causam per se, ut prudẽtiores faciunt, omnia revocando ad primam Causam. Nam ad hanc revocantur tantùm ultimatè, non verò proximè, & immediatè, quia etsi accipiatur tota collectio causarum, effectus fortuitus omnino non fit, si tamen comparetur ad causam proximam, cui effectus attribui debet re ipsâ effectus fortuitus est: adeoqué estò effectus omnes aliquo modo reduci possint in causas per se v. g. in Divinam Providentiam, respectu cujus nihil omnino fortuitò, vel casu accidit; cùm nihil omnino accidere possit præter ejus scientiam, dispositionem, ac providentissimam intentionem, attamen non potest esse semper causa per se, causa illa proxima & immediata, cui tales effectus contingunt.

851 Differentiam autem aliqualem inter Fortunam & Casum intercedere, receptæ jam satis indicant eorum definitiones: Fortuna siquidem definiri solet; quòd sit causa per accidens effectûs rarò contingentis in agentibus propter finem ex electione; Casus verò, causa per accidens effectûs subinde contigentis in agentibus propter finem sine electione. Reducitur demum causa per accidens (ut & id paucis indicemus) ad causam efficientem, cùm sit causa verè producens effectum, licèt ad illum non sit ordinata, illumqué præter ipsius intentionem producat.

Phyſicis cauſis per accidens Fortunæ, & Caſui oppoſitum Fatum.

852 QUemadmodum impiè ſolùm admittitur Fatum, ſi illius nomine intelligatur inevitabilis quædam neceſſitas orta, ex ſiderum influxibus, & aſpectibus, quibus indiſpenſabiliter humanas actiones omnes ſubjectas eſſe erroneè exiſtimant Aſtrologi; ita impiè negatur, ſi nomine Fati intelligatur ſeries quædam, ſive ordo cauſarum ſecundarum Divinæ Providentiæ ſubordinatarum, quatenus juxta illius ordinem, ſemperqué nobis ſuſpiciẽdam diſpoſitionem, ac permiſſionem infallibiliter operantur: in quo ſenſu poſt *Boëtium*, Chriſtiani Philoſophi Fatum rectè definiunt: quòd ſit inhærens rebus mobilibus diſpoſitio immobilis, per quam Divina Providentia ſuis quæqué nectit ordinibus: ſive quòd idem eſt; fatum eſt ordo cauſarum ſecundarum Divinam Providentiam exequentium.

853 Quam diſpoſitionem, etſi immobilis ſit, ſtabilis, ac infallibilis, nihil tamen officere humanæ libertati, libeat verbis eruditiſſimi Lipſij lib. 1. de conſtantia cap. 20, manifeſtum reddere: deliberant, inquit, homines abſque ulla vi, & eligunt per voluntatem, & tamen hoc ipſum, quod electuri fuerant, vidit ipſe Deus ab æterno; ſed vidit, non coëgit, ſcivit, non ſanxit: prædixit, non præſcripſit.

854 Ut verò & cauſarum naturalium ordinem oſtenderet Deus ſuæ liberæ diſpoſitioni ſubjectum, nonnunquam earum curſum immutavit: ſic ſol ſtetit in bello Gabaonitico, retractus eſt ad decem gradus, Ecclypſim paſſus in plenilunio; ignis in fornace Babylonis non combuſſit; pluraqué his ſimilia adducit Lipſius, quæ cuiqué benè diſpoſito ſatis luculẽter probant Fatum non eſſe infallibilem quandam effectûs futuri neceſſitatem, cui non homines modò, ſed res aliæ omnes inevitabili lege ſubjaceant, prout inſipienter antiqui docuerant Philoſophi, & etiamnum tenent impij Athei, ac ſuperſtitioſi nimiùm Aſtrologi; cùm præſertim indubitatum ſit, nihil omnino eſſe extra Deum, cujus diſpoſitio pleniſſimè Divino Dominio, ac diſpoſitioni non ſubjaceat.

855 Adeoqué rectè adhuc dicimus fatum eſſe ordinationem illam Dei extrinſecam, quâ ordinavit, & ordinat incomprehenſibili nobis combinatione res omnes in ſuos fines, & ad ſuos effectus. Quæ etſi certiſſima ſint; de Fato tamen dum loquendum eſt, cautè illud D. Auguſtini 5. de Civit. cap. 9. eſt obſervandum monitum: ſi propterea, inquit, quiſquam res humanas fato tribuerit, quia ipſam Dei voluntatem, & potentiam fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat.

Phyſicorum principiorum, & cauſarum effectus totalis, & ultimatus.

856 HUnc eſſe totum ſubſtãtiale naturale compoſitum, ad quod ponendum principia omnia, omneſqué cauſæ à natura, ejuſqué Authore ſapientiſſimè ſunt ordinatæ, nemini ſapientum non eſt compertiſſimum; quemadmodum & illud eſt indubitatum, ipſum à cauſis ſui intrinſecis, atque ab accidentibus, & diſpoſitionibus, quæ ad illius fieri & conſervari ſubſerviunt, eſſe realiter diſtinctum. Difficultas ſolùm in eo exoritur, quòd cùm ſuprà dixerimus unionem ſubſtantialem eſſe compoſitionem, ſive conjunctionem duarum rerum à natura inſtitutarum ad hoc unum tertium conſtituendum, an præter hæc tria aliquid aliud illud ſit? Affirmant nec pauci, nec indocti: negant plures, quorum ſententiam, ut & nos defendendam ſuſcipiamus, utpote longè probabiliorem, & ſacroſanctæ Fdei noſtræ principijs conformem magìs, magìſqué ſecuram, dicimus totum ſubſtantiale, & per ſe reſultans ex partibus eſſentialibus, cauſiſqué intrinſecis ſimul ſumptis, & unitis realiter, nec adæquatè, nec inadæquatè, nec modaliter, ſed ad ſummum ſolâ ratione ratiocinatâ diſtingui.

857 Quod aſſertum præter authoritatem tam Theologicã, quàm Philoſophicam ſuadet efficaciter, & quidem univerſim ipſa inconſequẽtia adverſariorum, qui compoſitum Divinum, quale eſt Chriſtus Dominus, compoſitum item continuativum, aliaqué compoſita accidentalia negant à partibus ſimul ſumptis, & unitis diſtinctum quid eſſe; cur igitur & idem non ſentiamus de compoſito naturali ſubſtantiali?

858 Deinde prima pars aſſerti oſtenditur, tum quia ſi totum ſubſtantiale, & per ſe eſſet quid realiter adæquatè à partibus ſuis diſtinctum, in ijſqué formaliter non conſiſteret, compoſitum non eſſet realiter compoſitum; ſi enim compoſitum ab illis realiter eſſet cõtradiſtinctum, nullas realiter haberet partes ſui conſtitutivas; quod autem partes ſui conſtitutivas realiter non habet, compoſitum non eſt, ſed ſimplex, ut patet in Angelo, qui ideo ſimplex eſt, quia ab omni collectione partium tam collectim, quàm unitim ſumptarum realiter diſtinguitur.

859 Tum quia ſi homo v. g. diſtingueretur realiter adæquatè à ſuis partibus unitim ſumptis, ſequitur evidenter partes eſſentiales hominis non eſſe de hominis eſſentia; cùm nihil eſſe poſſit de eſſentia alicujus, à quo diſtinctũ eſt realiter, alioquin dici poſſet, quòd lapis ſit de eſſentia Angeli, equus de eſſentia hominis: cùm nulla ſit aſſignabilis diſpar ratio; quæ ſequela cùm abſurda ſit, & à nemine admitti poſſit, admitti pariter non debet compoſitum ſub-

ſubſtantiale à partibus ſuis ſimul ſumptis diſtinctum eſſe realiter adæquatè.

860 Sed nec inadæquatè; quia quando duo inadæquatè diſtinguuntur, vel utrumque includit aliquid adæquatè & totaliter diſtinctum ab altero, vi cujus diſtinguitur ab altero per modum excedentis & exceſſi: ſic collectio omnium animalium, & collectio omnium intellectualium taliter diſtinguuntur, quia nempe collectio omnium animalium præter hominem, qui eſt intellectualis, includit bruta totaliter, & adæquatè diſtincta à collectione omnium intellectualium; & viciſſim collectio intellectualium præter hominem, qui animal eſt, includit Angelos adæquatè diſtinctos à tota collectione animalium. Vel alterutrum tantùm aliquid continet ab altero adæquatè diſtinctum, & tunc diſtinguuntur per modum includentis, & incluſi; ſic collectio omnium animalium, & collectio omnium hominum diſtinguuntur inadæquatè, quia ſcilicet altera tantùm ex illis includit bruta adæquatè diſtincta ab hominum collectione.

861 Ex quo clarè elucet, quòd ad hoc, ut totum dici poſſet inadæquatè diſtinctum à partibus ſimul ſumptis, & unitis, deberet includere aliquid adæquatè diſtinctum à partibus unitim acceptis, quod cùm aſſignabile non ſit, manifeſtum eſt totum à partibus unitis nec realiter inadæquatè diſtingui.

862 Multò minùs realiter modaliter, quia in compoſito nullus eſt excogitabilis modus diſtinctus ab ipſa unione partium, qui per ſe conferat quidquam conſtitutioni totius: niſi quis admittere velit hominem v. g. quâ talem modalem quandam eſſe entitatem; quia poſito tali modo, intrinſecè, & formaliter poneretur homo in eſſe hominis, quam ſequelam, utpote inauditam non facilè quis admittet.

863 Cùm ergò nec adæquatè realiter, nec inadæquatè, nec modaliter totum diſtinguatur à partibus unitim ſumptis, reſtat ut diſtinguatur ſolùm diſtinctione rationis ratiocinatæ; eò quòd poſſit concipi totum conceptu formali, & fortè methaphiſicè definitivo: abſque eo quòd concipiantur formaliter partes ut unitæ: ſic dum explicitè concipimus hominem, non concipimus item explicitè materiam, & formam ſimul unitas.

864 Neque obeſt dictis, quòd Ariſtoteles aſſerat ſex, aliquid plus eſſe, quam bis tria, & ſyllabam B. A. non eſſe tantùm B. & A. tum quia ſi quid probat inſtantia, probat etiam contra adverſarios, negantes compoſita accidentalia eſſe quid diſtinctum à partibus unitis, tum quia authoritate allatâ nihil probatur aliud, niſi quòd totum præter partes ut quod, importet etiam partem ut quò, unitionem ſcilicet, vel unionem ab ijs re ipsâ diſtinctam.

865 Minùs obeſt quòd partes & unio cauſent totum realiter; id enim de illis diſtributivè, & ſeorſim acceptis, non verò collectivè, & unitim ſumptis verificatur. Aliquid plus difficultatis habet, quòd partes etiam ſimul ſumptæ, & unitæ ſint cauſæ intrinſecæ, veræ & reales totius; cùm igitur nihil cauſet ſe ipſum connaturaliter, neceſſarium videtur totum ab ijs realiter eſſe aliquid diſtinctum, tanquam effectus à cauſa totali ſimul ſumpta. Verùm huic difficultati ſatisfit dicendo, quòd partes ſimul ſumptæ cauſent, & conſtituant totum ſecundum perfectionem tranſitivam, & ſecundum ly ſimul, non autem ſecundum perfectionem intranſitivam: cujus ratio, & ſimul explicatio dicti eſt, quia in toto v. g. humano debet conſiderari duplex eſſe, & duplex perfectio, tranſitiva ſcilicet, & intranſitiva: hæc eſt illa, quam habet materia per ſe ipſam, anima per ſe ipſam, & unio per ſe ipſam, quæ perfectio non eſt intrinſecè cauſata à partibus: tranſitiva verò eſt illa, quam materia habet ab anima, per quam conſtituitur animata, & anima à materia, per quam conſtituitur quodammodò materiata, quæ perfectio cauſatur, & conſtituitur à partibus; cauſari enim intrinſecè eſt accipere perfectionem intrinſecam, & eſſe alterius intrinſecum; ſicut cauſare intrinſecè eſt intrinſecè dare ſuum eſſe, & perfectionem alteri, cùm igitur anima det corpori ſe ipſam & viciſſim, non eſt mirum, quòd in ratione, ac perfectione tranſitiva animati, & materiati cauſetur totum à partibus unitim ſumptis, in ratione ſimul, in quantum ſcilicet conſtituunt ly ſimul, & communicant intrinſecè exercitè ſibi ſuam ad invicem perfectionem.

866 Quod autem dicunt, de ſuppoſito diſtincto à partibus unitis, non facit ad præſentem quæſtionem, in qua tantùm quæritur, quo pacto totum diſtingvatur ab omnibus conſtitutivis partialibus ſimul ſumptis; non verò per quid totum jam compoſitum conſtituatur in eſſe ſubſiſtentis: hæc enim longè alia eſt quæſtio, quam breviter ut hic expediamus, dicimus.

Physicum compoſitum ſubſtantiale in eſſe ſubſiſtentis

867 CONſtitui per entitatem quandam poſitivã modalẽ realiter modaliter diſtinctam ab ipſo compoſito, ſeu natura, quã complet & terminat. Quod Dictum quoad priorem ſui partem facilè patet, tum quia ſubſiſtentiæ nomine intelligimus complementum quoddam, & perfectionem ſubſtantialis compoſiti, ſeu naturæ, cujuſmodi eſſe nequit aliquid negativi, cùm hoc nullam importet perfectionem; tum etiam quia ſubſiſtentia increata (ex cujus notitia præſertim orta eſt præſens inter Philoſophos de ſubſiſtentia & ſuppoſitalitate quæſtio) eſt quid poſitivum, cùm Perſonæ Divinæ nec conſti-

conſtituantur, nec conſtitui poſſint negationibus, ut conſtat; ac proinde Verbum Divinum aſſumens humanam naturam verè eam ſibi uniens non illam univit alicui negationi à ſe diſtinctæ, ſed propriæ ſuæ Perſonæ.

868 Adeoqué à paritate rationis, cùm aliunde ſubſiſtentia nobis non innotuerit, quàm ex Myſterijs Fidei, in creatis idem continget: ſicut enim Divina natura ſubſiſtit, & redditur incomunicabilis per aliquid poſitivum diſtinctum virtualiter intrinſecè, ita natura humana reddetur ſubſiſtens, & incommunicabilis, utpote Divinâ incomparabiliter imperfectior, 873 per aliquod poſitivum diſtinctum realiter: cùm aliunde in creatis nulla detur defacto virtualis intrinſeca diſtinctio, ſeu formalis ex natura rei, ut ſupponimus ex dicendis in metaphyſica.

869 Neque his obeſt, quòd ſi ſubſiſtentia humana eſſet quid poſitivum, fuiſſet etiam ſimul aſſumpta à Verbo, quod dicere Fides prohibet, nam Verbum aſſumpſit ſolùm omnem entitatem poſitivam, quæ intrinſecè conſtituit, & componit compoſitum, ſeu naturam humanam; adeoqué cùm ſubſiſtentia, eſtò quid poſitivum ſit, non conſtituat, & componat humanum compoſitum, benè ſequitur eam non fuiſſe aſſumptam à Verbo.

870 Neque obeſt denuo, quòd natura humana Chriſti eſſet ſpoliata ſua naturali perfectione, & complemento, adeoqué unita Verbo eſſet in quodam quaſi violento ſtatu. Nam tunc ſolùm aliquid dicitur eſſe in ſtatu violento, ex ablatione alicujus perfectionis naturalis, quando aliunde non ſuppletur per aliquid æqualis, vel majoris perfectionis, quæ ipſi datur loco ablatæ; cùm ergò infinities perfectiùs natura humana ſubſiſtat per ſubſiſtentiã Verbi, quàm propriâ ſubſiſteret, conſequenter dici non poteſt, quòd in ſtatu unionis cum Verbo ſit in ſtatu violento.

871 Ratio verò quæ nobis ſuadet alteram partem Dicti, deſumitur ex inductione ſufficienti, quâ oſtenditur non poſſe ſubſiſtentiam aliter à compoſito ſubſtantiali, ſeu naturâ diſtingui, quàm modaliter; neque enim diſtingui poteſt ut res à re; cum ſic ſubſiſtentia eſſet quid abſolutum, & conſequenter multiplicaretur fruſtrà illius unio ad naturam, quam faceret ſubſiſtere; neque etiam diſtingui poteſt, ſeu formaliter ex natura rei, ſeu virtualiter intrinſecè, cum hæ diſtinctiones defacto non dentur in creatis, uti ex loco paulò ante citato ſupponimus; non etiam ſufficit ſola diſtinctio rationis, alioquìn Divinum Verbum aſſumendo naturam, realiter aſſumpſiſſet etiam ipſius ſubſiſtentiam, quod ut conſtat ex dictis dici non poteſt: cùm igitur alia nulla ſuperſit diſtinctio, quàm modalis, rectè inferimus ſubſiſtentiam realiter modaliter diſtinctam eſſe à natura.

872 Neque obſtat 1. quòd Verbum ſupplens ſubſiſtentiam naturæ, quam aſſumpſit, ſupplere debuiſſet rationem modi, quod dici non poſſe patebit ex ipſa modorum natura. Nam licèt verum ſit, quòd Verbum nequeat ſupplere modum, qui ſit involvens imperfectionem eſſentialem, negatur tamen talem eſſe modum ſubſiſtentiam, utpote terminus naturæ per modum ſuppoſiti, uti patet ex eo, quòd tam realitas ſupplens, quàm modus, qui ſuppletur, habeat idem nomen, & eundem effectum formalem ſaltem in genere talem.

873 Neque obſtat 2. quòd ſubſiſtentia non ſit determinatio eſſentialis naturæ ad illud, prout requirit eſſentia modalis. Nam ſubſiſtentia eſſentialiter determinat naturam ad ſubſiſtendum ſeu ad ſuppoſitum; hoc eſt determinat humanitatem ad hominem; eadem enim humanitas adjuncta ſubſiſtentiæ manet homo, non ſecùs quàm homo determinetur per ubi ad locum.

874 Nec obſtat 3. quòd ſicut ſubſtantia non poteſt conſtitui in eſſe ſubſtantiæ per accidens aliquod, ita natura non poſſit conſtitui in eſſe abſoluto per modum ſubſiſtentiæ, qui eſt eſſentialiter reſpectivus. Nam hæc inſtantia ſolùm probat non poſſe conſtitui per ſubſiſtentiam alterius compoſiti in eſſe abſoluto, quod verum eſt, non verò propriam; ſicut enim conſtituitur in eſſe compoſiti per modum unionis, ita conſtitui poteſt in eſſe ſuppoſiti ſeu ſubſiſtentis per ſubſiſtentiam, quæ eſt modus naturæ completæ.

875 Neque obſtat 4. quòd in Chriſto Domino ſuppleatur ſuppoſitum per ſubſiſtentiam Divinam realiter diſtinctam diſtinctione majoris realitatis, quod indicare videtur etiam ſubſiſtentiam creatam taliter eſſe diſtinctam à natura, quam reddit ſubſiſtentem. Nam hæc inſtantia nimium probat, quia ſicut ex eo, quòd ſubſiſtentia Chriſti ſit Divina, non benè infertur ſubſiſtentiam humanam Divinum quid eſſe: ſic ex eo quòd ſubſiſtentia Verbi realiter abſolutè diſtinguatur à natura humana non benè inferretur, quòd creata ſubſiſtentia eodem modo diſtinguatur.

876 Neque obſtat 5. quòd ſubſiſtentia faciat naturam omnino terminatam, & independentem ab alio ente totali, ſeu ſuppoſito, adeoquè non poſſit eſſe modus; quia ſi eſſet, eſſentialiter dependeret à natura, quam reddit independentem. Nam illatio iſta contra modalitatem ſubſiſtentiæ, non ſubſiſtit, quia cauſa formalis non exercet effectum ſuum formalem circa ſe ipſam, ſed circa aliud à ſe: ſicut enim albedo non eſt alba, ſed facit aliud album, ita ſubſiſtentia reddit naturam independentem ab alio, licèt ipſa dependeat à natura; ex quo benè ſequitur naturam non eſſe in ſubſiſtentia, ſed ſubſiſtentiam in natura tanquam

in ſuo

in suo modificato, verùm plura, quæ de subsistentia hîc adduci possent, quia propriè sunt tractationis Theologicæ, scientes præterimus, & revertimur rursus unde digressi, ac dicimus

Physicum compositum substantiale à naturis, quibus componitur, naturale intrinsecè denominatur.

877 Multifariam, multisqué modis tam naturale, quàm natura à Philosophis usurpatur; propriè, & in rigore hoc loco omissis alijs acceptionibus, nomen naturæ sumimus prout significat principium intrinsecum, & constitutivum entis substantialis materialis completi; quo sensu substantia materialis, seu totum substantiale completum ens naturale dicimus ab ipsis naturis, seu principijs intrinsecis, quibus constituitur.

878 Porrò naturæ sic sumptæ, prout est universale principium omnis entis naturalis præsertim materialis, quidditas benè explicatur; dicendo eam esse principium, & causam motûs & quietis in eo, in quo est primò, & per se, & non secundum accidens; est namque primum, & radicale principium, ac causa vel activa, vel saltem passiva motûs sensibilis intrinseci enti, quod per ipsam constituitur, & positivè ad illum inclinans. Dixi principium primum, & radicale, quia principium proximum, & instrumentale motuum naturalium possunt subinde esse etiam accidentales potentiæ, quæ sine dubio naturæ non sunt, ut constat tam in primis quatuor qualitatibus, quàm & specialiter in gravitate, & levitate.

879 Unde etiam à ratione naturæ excludun-
tur, primò privatio, quæ licèt sit principium à quo motus, non tamen est motûs causa. Deinde causæ instrumentales, quæ non sunt causæ radicales, primæ, & fundamentales. Tertiò causa efficiens, quæ causare potest etiam motum extrinsecum. Quartò habitus scientifici, & artes, quæ licèt sint principium operationis intrinsecæ, sunt tamen in operante contingenter, nec illum constituunt. Quintò unio partium essentialium naturalis corporis: cùm illa non sit principium, & causa motûs, & quietis, sed sola ratio principiandi & causandi compositum, adeoqué ipsa tantùm naturarum causalitas. Sextò compositum ipsum, seu Ens ipsum substantiale completum, sive simplex sit, sive compositum, nam illud eminenter, hoc verò formaliter natura non est, sed tantùm habens naturas; ut Aristoteles 2. phys. text. 12. expressè docet, inquiens: quod autem ex ijs est, hoc est naturis, (natura quidem nõ est, sed naturis constans;) hoc est materiâ, & formâ substantiali, quibus duabus convenire potissimùm rationem naturæ; & quidem materiæ patet, quia est principium passivum motûs sensibilis intrinseci, in eo subjecto denominationis, in quo ipsa est, tanquam illius constitutivum & causa, cur compositum per se moveatur motu generationis, augmentationis, alterationis &c.

Ex quo tamen minimè sequitur omnes motus esse simpliciter naturales; cùm materiæ non simpliciter, & secundum se, sed prout existit in composito ratio naturæ conveniat, eò quòd sic sumpta est principium passivum determinati motûs, cum inclinatione ad illum.

880 Formam autem substantialem, sive materialis illa sit, sive immaterialis, esse propriè naturam, patet, tum quia ex se habet ut sit principium motûs convenientis composito; tum quia est ratio adæquatè specificans naturalitatem ipsorum motuum in se ipsis; tum demum, quia est principium formale actionum omniũ, quæ in composito, quod constituit, reperiuntur, & fiunt.

881 Dixi etiam immateriali formæ, seu animæ rationali convenire rationem propriam naturæ, quod verum est non solùm respectu statûs conjunctionis, sed etiam separationis; tum quia in hoc statu manet adhuc in actu primo essentialiter forma, & consequenter ordinata ad corpus sensibile; tum quia non est de ratione formali naturæ, ut in actu secundo & proximo principiet formaliter motum, & quietem: tum demũ quia anima separata est principium suarum intellectionum & volitionum in se ipsa, prout jam suprà, & in metaphysica, est ostensum.

Physica certitudo existentiæ realis naturæ.

882 Naturam dari, & existere adeo est evidens, ut jure ridiculum Aristoteles appellet illum, qui eam vel à priori vel à posteriori demonstrare tentaret. Eò quòd illam dari notum per se sit, ipsoqué sensu manifestum. Quod tamen intelligendum est de demonstratione potissima, seu à priori, eò quòd nullam habeat causam, ex qua ejus existentia inferri possit; ejus namque causa efficiens est solus Deus liberè operans, finis verò cur dari debeat nullus apparet, præter meram Dei voluntatem: definitio deniqué, quæ est veluti causa formalis, est apta ad probandas solùm ejus proprietates, non verò existentiam.

883 Posse tamen demonstrari illius existentiam à posteriori, & demonstratione physicâ, patet tum à pari ex demonstratis de existentia materiæ & formæ: tum quia nemo nisi insipiens negaverit dari operationes aliquas naturales; ex quibus posse fieri aliquem bonum, & evidentem syllogismum, cujus præmissæ non contineant formaliter conclusionem, & quodam modo sint illâ notiores, constat ex syllogistico hujusmodi discursu: si dantur plures &

plures motus, & quietes ſenſibiles in rerum universitate benè conſtituta, datur ſaltem aliquod illorum principium intrinſecum, & cum inclinatione ad illa, ſed dantur in rerum universitate benè conſtituta plures motus, & quietes ſenſibiles, ergò dabitur ſaltem illorum aliquod principium, quod eſt natura. Major hujus ſyllogiſmi hypothetica cùm nihil abſolutè affirmet, non continet formaliter conſequentiam, quæ abſolutè infert, & affirmat exiſtentiam naturæ: quæ tamen major videtur evidens ex eo, quòd universitas malè eſſet conſtituta, ſi ex tot motibus, qui in illa dantur, nullus eſſet bonus illi ſubjecto, in quo eſt: minor pariter evidens eſt, ut experientiâ eſt notum, neque continens concluſionem, ut per ſe patet. Bonus igitur eſt, & evidens ille diſcurſus, evidenterqué phyſicâ evidentiâ concludit exiſtentiam naturæ; quod benè advertit Ariſtoteles, quando dixit: id eſſe ipſo ſenſu manifeſtum.

Phyſica naturæ ipſius natura, ſeu definitum commune datæ ſuprà definitivæ explicationis.

884 HAnc non eſſe illam conſtat quam Platonici exiſtimârunt, animam mundi ſitam in medio univerſi, res omnes intimè penetrantem ijſdemqué vitam, & operationem dantem, quam chymæricam eſſe patet; tum quia talis anima, vel eſſet ſubſtantia completa, vel incompleta; ſi completa, non poſſet informare mundum, cùm ens ſubſtantiale completum nequeat eſſe forma alterius; ſi incompleta ergo eſſet forma informans, adeoqué vel animata, vel inanimis; non animata, quia eſſet vel vegetativa; & hoc non, nam egeret pabulo, quo nutriretur, quod tamen pro illa nullum eſt aſſignabile; vel ſenſitiva; ſed neque id dici poteſt, ſubjecta namque eſſet perpetuis, innumeriſqué cruciatibus, quando præſertim plurimæ partes orbis diffinduntur, & conculcantur; multò minùs dici poteſt rationalis, quia quem in finem uniretur terræ, ſaxis, ſtipitibus, cùm illa ad ipſius operationes nullatenus inſervire poſſit; neque poteſt aſſeri illam eſſe inanimē; nam quo pacto forma inanimis tot res, tamqué diverſas, & ab invicem diſtantes informaret, vivificaretqué?

885 Aptiùs proinde poſthabitis chymæricis figmentis, dicimus naturæ phyſicè ſumptæ naturam aliud non eſſe, quàm ipſam collectionem certarum inclinationum, quæ in rebus ſingulis reperiuntur, ad ipſarum, totiuſqué univerſi conſervationem, ab ipſo rerum Conditore errori nullatenus obnoxio rei cuicunque inditarum. Quæ veritas nobis eluceſcit tum ex regulatiſſima ſubordinatione, & proportione rerum omnium ad invicem; tum ex eo, quòd res omnes in ſuos certos, ac determinatos fines ferantur; tum demum, quia cuncta ſe tueri conantur contra adverſantes; operam dant ſuæ conſervationi, & propagationi; ſe, ſuaqué fovent; amiciùs adhærent ſibi ſymbolis, quàm diſſymbolis, &c. quæ nullatenus aliò refundi poſſunt, quàm in inſtinctus, & inclinationes propriæ naturæ.

Phyſica naturalis inſtinctûs quiditas.

886 CUm toties inter Sapientes recurrat mentio naturalis inſtinctûs, quid ille ſit, & in quo conſiſtat, libeat paucis diſquirere; quâ in quæſtione probabilius nobis videtur aliud nihil eſſe talem inſtinctum, quam qualitatem quandam ab Authore naturæ rebus à primæva ſua origine ſuperadditam ad finem cuiq; proprium obtinendum neceſſariam.

887 In quam ſententiam, præter Angelici Doctoris authoritatem, adducit nos argumentum deſumptum ex varijs qualitatum generibus, quæ ad abſolutam, & cumulatam rerum perfectionem in natura reperiuntur: eas enim qualitatum formas in univerſo contemplamur, ut aliæ ſint motrices tantùm, quæ vim, ſaltem nobis notam, agendi, & alterandi non habent, quales ſunt qualitates motrices elementorum: aliæ, quæ immutant, & alterant corpora, in quibus ſunt, non tamen per ſe movent eadem localiter; cujuſmodi ſunt primæ quatuor qualitates, aliæq; ex his ortæ, quamplures: aliæ ſunt quæ neque movendi, neque alterandi vim habent, ut diaphaneitas, opacitas, denſitas, raritas, &c.

888 Cùm igitur dentur tres dictæ qualitatum differentiæ, cur non admittatur & quarta aliarum qualitatum, quæ & ſimul motrices, & alteratrices ſint, reliquaqué omnia præſtent, quæ ad finem à natura præſcriptum rebus omnibus conſequendum ſunt neceſſaria? ſicut enim datur qualitas impreſſa, quâ projecta feruntur in ſcopum à proijciente præfixum; ita neceſſe eſt dari qualitates aliquas rebus ipſis ſuperadditas ab Authore naturæ, vi quarum connaturaliter in ſuos ferantur fines, & averſentur illa, quæ ab eo aſſequendo impedire ipſas poſſent; quod maximè verum eſſe conſtat in agentibus & compoſitis, quæ libertate carent, & non valentibus formaliter ſe ſe ſuum ad finem movere.

Phyſicæ naturæ ars imitatrix, & æmula.

889 ARtis nomen etſi multipliciter uſurpetur, nobis tamen hoc loco, nomine artis venit habitus quidam in mente Artificis reſidens, dictanſqué quâ ratione arte factum ſit faciendum;

dum; unde non immeritò ab Aristotele ars dicitur, habitus intellectualis cum vera ratione effectivus, quæ ultima particula non intelligenda est, quasi ipsa ars formaliter, & reduplicativè accepta esset re ipsâ productiva, sed tantùm quòd sit modificativa physicæ actionis: cùm ars ipsa non eliciat ipsam actionem, sed tantùm se habeat directivè & imperativè ad hoc, ut activa naturalia passivis certo modo, & lege applicentur: quod certum est non solùm respectu artium, quæ dicuntur instrumenta naturæ, quales sunt agricultura, chymica, medicina, aliæqué his similes, sed etiam respectu earum, quæ inducunt ex se formas in materiam secundam, quales sunt artes cœlandi, pingendi, sculpendi, &c. Virtus enim exercitiva hujusmodi artium simpliciter naturalis est, cùm moveat instrumentum ad demendam hanc vel illam partem ligno, vel marmori, ad ducendam istam, illamvé lineam, ad talem intentam ab artifice figuram formandam. Ex quo patet facilè discrimen artem inter & naturam? licèt utraque habeat aliquid, in quo cum altera conveniat; sicut enim Natura, ita & Ars subjectum supponit, in quod formam suam introducat: & sicut effectus naturæ imitatur reales idæas, quas in primo Agente deprehendit, ita effectus artis imitatur intentionalem formam, seu idæam artificis; & sicut demum natura ab imperfectioribus ad perfectiora procedit, ita id ipsum ars præstat, ut patet.

890 Quibus non obstantibus Ars tamen est semper naturâ imperfectior, illiusqué effectus hujus effectibus imperfectiores: tum quia natura verè efficit suos effectus, ars autem duntaxat verosimiliter, cùm sistat plerumq; in exterioribus, atque in sola superficie, & hinc quò propiùs ad opera naturalia accedit, eò illa est perfectior; tum quia effectus naturales sunt activi, & quasi vivi; arte facti verò velut emortui nullam vim effectricem habentes, utpote qui aliud non sunt, quàm compositio, ordo & figura, ipsaq; plerumque quantitatis dispositio.

891 Nihilominus si ars comparetur cum natura, per ipsius naturæ inclusionem; cui perficiendæ & expoliendæ advenit, haud dubiè effectus naturæ & artis simul conspirantium, perfectiores sunt effectibus naturæ secundum se solitariè sumptæ. Quod verum esse experientia satis testatur; licèt etiam verum sit, quòd ars ex vi sua nunquam sit effectiva operum naturæ, prout sufficienter patet ex ipsa artis essentia paulò antè explicatâ.

892 Neque obest, quòd sanitas, quæ est effectus naturalis sæpè causetur ab arte medica; nam id fit ab arte solùm directivè, non verò physicè efficienter; si enim ea physicè arte medicâ causaretur, magni præsertim Domini, qui secum semper Medicos apud se habent, rarissimè morerentur, cùm tamen experientiâ constet contrarium, verumq; sit tritum illud: miserè vivit, qui medicè vivit. Imò neque ab ipsis pharmacis sanitas propriè causatur, nisi solùm dispositivè, sed ab ipsa natura, quæ remoto prohibente, semetipsam ad debitam sibi reducit temperiem: atque hinc fit, quòd dum natura nimiùm fracta, & debilitata est, illi nulla ampliùs medicina sit proficua: quibus tamẽ adhuc non obstantibus

Physicos aliquos reales effectus potest ars industriè applicando activa passivis per vires agentium naturalium producere.

893 CUjus veritatem nobis ostendit ocularis experientia; vidimus namqué quòd ex aqua trisalatina distillata, in vitro inclusa, absq; radice plantula succrescat, virore elegantissimo ornata; vidimus ex rore majali debitè collecto, ac disposito, & in vitro hermeticè consignato, juxta praxim præscriptam à Doctissimo P. Kirchæro lib. 1. cap. 3. de Luce & Umbra, mirabiles effectus Vere insequenti produci.

894 Vidimus purpuream rosam albescentem, candidamqué reddi sulphure accenso suffumigatam: vidimus tulipas, ac gariophyla eodem artificio diversissimis variegari coloribus: vidimus vinum frigefieri igne, in flascone stanneo argillæ subhumidæ infosso; vidimus ovum repletum majali rore per longissimã in altum perticam ascendens: vidimus glaciem fieri in ferventissimo æstu, per mixtionem salnitri cum eadem, & agitatione quadam non multùm violenta ejusdem.

895 Vidimus cancros adusto vino perfusos rubefactos, ac coctis quàm simillimos, ex scutella prorepentes. Vidimus gallinaceum gallum, alioquin macerrimum, spatio mediæ horæ pinguissimum redditum infuso illi ad os mediocriter calefacto butyro, & agitatum, donec concideret, ac immediatè cæsum, & in aquam frigidam injectum. Vidimus maturos botros priusquam sol Tropicum cancri attingeret, beneficio vivæ calcis ad vitis radices infossæ.

896 Alias quàmplures pro asserto nostro evidentissimas omittimus experientias, quas præsertim apud P. Cabæum, Franciscum Restam, P. Bernardum Cæsium, & novissimè apud P. Casparum Schotum in mirabili, quam edidit, Philosophia, est reperire, facillimè à quocunq; qui ijs delectatur, & pro ijs tempus, sumptusq; habet, factibiles. Ex quibus deducimus, quòd

Physicè per Artem chymicam, verum, ac genuinum aurum fieri possit.

897 ARgumentum ad id asserendum nobis præbet physica non repugnantia, quæ tam ex parte

parte materiæ, quàm ex parte loci, ac modi eluceſcit; & quidem ex parte materiæ, ſive hæc accipiatur pro prima, quæ quantùm de ſe eſt, indifferens eſt, & capax omnium formarum; ſive pro ſecunda & proxima, cùm cætera metalla cognationem quandam habeant cum auro, dicanturqué aurum inchoatum, ut eruditè demonſtrant PP. Cabæus 4. meteor. & Cæſius de mineral. lib. 3. ex parte verò loci, in quo fieri debet, nullam eſſe repugnantiam, patet inde, quia non ſolùm in imis terræ viſceribus, ſed etiam in fluminum ripis, atque in terræ ſuperficie, imò in ipſis vineis, & vitibus, ut authenticè conſtat de vineis Tokayenſibus in Ungaria, aurum producitur, & ſuccreſcit. Ex parte autem modi id fieri poſſe facilè conſtabit ſcienti, quòd ſolaris calor ejuſdem ſit rationis cum calore ignis, & noſcenti multò mirabiliorem eſſe mutationem alimenti in carnem, & oſſa aliti, quàm mutationem cupri, vel argenti in aurum.

898 Ratio autem convincens eſt, quòd ſi activa paſſivis congruè applicentur, qualia ſunt variæ ſulphuris, & Mercurij cum cupro, vel argento permixtiones, non tantùm eſt poſſibile, ſed etiam neceſſarium, ut ſequatur talis effectus, prout patet in tranſmutatione hiſce in Provincijs ferè quotidianâ, præſertim ferri in cuprum, cupri in auricalchum; ex quibus probabiliſſimè deducimus, etiam hactenus artis operâ verum fuiſſe aurum productum, quale 901 fuit illud, quod Raymundus Lullus Londini in Anglia exhibuit, ex quo cuſi ſunt duplones illi, qui vulgò, roſa nobilis, vocitantur. Plures alios verum confeciſſe aurum, eorum adducendo nomina, & irrefragabilem authoritatem teſtantur paulò ante citati PP. Cabæus & Cæſius. Certè nos ipſi virum illuſtriſſimum novimus, qui ex libra argenti vivi, ſeu Mercurij duos lottones auri confecit, quod tale erat, ut ad probationem omnem tam lapidis lydij, quàm mallei, tam bilancis, quàm ignis, & cujuſcunqué alterius experimenti, perfectiſſimè ſibi conſtabat.

899 Nec obeſt, quòd Ars chryſopæia decretis pontificū, Cæſarumq́; prohibeatur; id namq́; jure fit meritiſſimo, tum ob pericula magnarum deceptionum, quæ induci poſſunt, & in- 902 ductæ etiam fuerunt, in humanum conſortium ab iniquis, & pretioſæ hujus Artis minùs peritis hominibus, qui aurum fictum pro vero ſæpè ſuppoſuerunt, maximo cum damno multorum; tum quia Ars iſta, præſertim veram non callentibus Philoſophiam, noxia ſit tam in bonis temporalibus, quæ inanem ſæpe ob ſpem conſumunt, quàm in ſpiritualibus, cùm plurimi ex rudioribus hujuſmodi artificibus depre- 903 henſi fuerint cum Dæmone pactum habuiſſe: adeoq́; propter abuſum vulgo interdicta eſt meritò; quod indè conſtat, quia viris Principibus, valdeq́; opulentis, illius conceditur exercitium, licèt & ipſis mirum quantum cautela commendetur, né vel ipſi decipiantur, vel damnum humanis commercijs aliquod, decepti inferant.

Phyſicè animalia imperfecta beneficio Artis poſſe produci eſt probabilius.

HUujuſmodi namqué animalcula naturaliter generantur ex materia putri confluentibus in illam ſpiritibus ſeminalibus, quorum, ut ſuprà oſtendimus, ingens copia per aërem circumvolitat; per artem autem ita poſſe materiam aliquam diſponi, ut virtute hujuſmodi ſpirituum activorum producatur aliqua talis forma alicujus imperfecti animalis, non videtur ratio, cur negemus; cùm præſertim experientia id nobis ſuadeat, quâ conſtat ab Ægyptijs & Chinenſibus ex ovis in fornaculis per calorem artificiosè diſpoſitis ingentes pullorum greges educi. Quod experimentum ipſi vidimus in Academico Tyrnavienſi Collegio, ubi ex duodecim ovis ritè poſitis infra lares foci, octo pullos poſt dies aliquot prodijſſe conſpeximus. Conſtat item ex inteſtinis mortui vituli in fimo debitè diſpoſito ſepultis, integra apum examina prodire; ex aſperſione aquæ per pavimentum pulvere conſperſum magnam pulicum enaſci copiam, &c.

901 Neque obſtat, quòd ex his inferre quis poſſet etiã perfecta animalia artis operâ produci poſſe; quamvis enim admittat ſequelam recentior quidam ſecutus Avicennam; illam tamen eſſe falſam conſtat inde, quòd omnia animalia perfecta habeant unicum nativitatis principium, cùm generentur in materno utero, in quo fit eorum organizatio, nutritio, & augmentatio, quæ cùm ſint actiones vitales à principio vitæ eſſentialiter dependentes, non videntur ullatenus ſuppleri poſſe per artem. Sicut

Phyſicè nemo per Artem reddere ſe poteſt inviſibilem, & invulnerabilem, multò minùs immortalem.

RAtio, quæ primam aſſertionis partem nobis ſuadet, eſt, quòd ij omnes, qui hactenus ſeſe reddere inviſibiles attentârunt, tanquam Magi & Malefici judicibus capitales dedêre pœnas; unde indicium clarum habemus, & moraliter certum, non poſſe id fieri naturaliter; quidquid contradicat Mizaldus ajens, quendam pretioſum lapidem ore geſtatum vim habere reddendi inviſibilem geſtantem.

903 Contra quem ſtat validiſſima phyſica ratio; ad hoc enim ut quis reddatur inviſibilis, quocunqué tandem medio, vel fierì deberet per abſolutam, & perfectam corporis opacatio-

tionem, quod in meridiana luce certum est 907 fieri non posse, nisi admittatur posse simul esse Lucem, & tenebras, vel cerè per prohibitionem specierum ab objecto emanantium, quod etiam fieri non potest, cum objectum sit agens necessarium, adeoqué semper producat speciem in totam suæ activitatis spæram amotis impedimentis.

904 Nec obest, quòd Magi sese invisibiles reddant; nam id fieri operâ Dæmonis addensantis aërem, quo corpus occultetur, & quidem imperfectè valde, cùm hujusmodi corpus velut umbra, ac spectrum quoddam apparere accuratius à spectantibus, sit certum.

905 Ratio secundam partem asserti suadens est, quia si naturaliter quis reddere se posset invulnerabilem id fieret præsertim virtute radicis Boronicæ, vel ossium piscis Antropomorphi, qui capitur in mari orientali ad Philippinas Insulas, cui admirandam vim contra vulnera inesse scribit eruditissimus P. Nierembergius in sua Naturali Historia; ex neutro autem horum hæc invulnerabilitas potest provenire, tum quia principes maximè uterentur illis tam pro se, quàm pro suis exercitibus, cum faciliori pretio, quam cataphracturæ pro uno exercitu comparari possint: tum quia nullus unquam eorum, qui talia jactant, se ictui benè oneratæ bombardæ, aut gladij fortiter vibrati sese obijcere præsumit; tum quia talis invulnerabilitas fieri deberet, vel per indurationem cutis, ita ut illa tanquam validissima lorica resistere ictui posset, vel per emollitionem ejusdem cutis, ac totius carnis, ac corporis, quibus duobus solùm modis ictus omnis refringitur, neutrum verò dici posse satis constat.

906 Ratio demum tertiæ partis est, quia tametsi fortè beneficio artis, ut ostendit P. Lessius tract. de valetudine conservanda, in multos annos vita prorogari possit, & etiam senes rejuvenescere queant, uti multorum experientiâ comprobatur, simpliciter tamen contrà certam vim mortis se defendere, vix est probabile ullum reperiri nostratibus medicamen in hortis, ad id sufficiens, nisi quis arborem vitæ, mortalibus justo Dei judicio ignotam hactenus, singulari Numinis benevolentiâ repererit, cujus fructuum esu conservari diutissimè vitam posse, & fortè per multas annorum myriades, est satis probabile. Verùm quia de his infrà adhuc recurreret mentio, pro nunc occasione Artis, & Naturæ hæc dicta sufficiant. Intereà ex his, de proprietatibus entis naturalis aliqua disserturi, ad easdem gradum faciamus.

Physici motûs, seu primæ proprietatis entis naturalis existentia.

907 DAri verè, & realiter motum, contrà recentiores quosdam, qui obsoletam Zenonis sententiam rursus è falsitatis tenebris ad aliqualem veri similitudinis speciem reducere vano conatu attentârunt, experientiâ manifestum est, & ratione, experientiâ quidem, quia sensui debitè applicato clarum fit, quòd res generentur, & corrumpantur perpetuâ vicissitudine, sicut crescunt & decrescunt, alterantur, & denuò se se ad suum statum reducunt, transeunt de loco in locum, aliaqué his similia, quæ impossibilia facta sunt physicè, & connaturaliter, absque eò, quòd detur verus, & realis motus.

908 Ratione autem id ipsum ostenditur; tum à causa finali motûs, quia cum res creatæ semper & ubiqué esse nequeant, quòd solius Dei est proprium, ideò aliquo saltem modo ut sint, & dum sunt ut participent aliquatenùs perfectionem Dei, utqué suis conjungantur finibus motu necessariò egent: sic sitiens ad levandam sitim, fontem, aut cellam vinariam, ut adeat, est necesse: sic lapis amotus à centro, ut se se illi restituat, deorsum tendat est opus; adeoqué & ut res sint, & ut finem, ad quem sunt, consequantur, vero, & reali motu indigent.

909 Tum à causa efficiente, & formali, quarum virtus, potentia, & naturalis impetus frustraneus prorsus esset, nisi daretur motus, cum in actum nunquam absque eo prodire posset: tum demum à termino ipsius motûs; cùm enim res sint de novo, quæ prius non erant, & dum sunt, semper aliter se habeant, nec unquam in eodem permaneant statu, sed tendant semper ad suum non esse, fateri necessariò debemus dari motum, per quem, & ponantur in esse, & positæ successivè imutentur, tandemq; rursus transeant ad non esse.

910 Quæ licèt evidentissima sint, ipsisqué notiora notissimis, attamen umbras ijs affundere conantur quidem ex eo, quòd motus subsit oculorum fallaciæ, uti patet dum è navi mobili littus ipsum moveri, ipsamqué navim immotam persistere judicamus. sic notatus funiculus, vel virga insummitate accensa immotum orbem describere videtur: sic notâ aliquâ inustâ trocho, dum celerrimè gyratur, circulum immobilem designari apparet; sic stella cadens, vel exhalatio continuatâ successione accensa, moveri videtur, licèt nullo modo moveatur; sic qui vertigine laborant, omnia moveri quæ quiescunt, existimant; quod idem accidit ebriosis, infirmis, nimiâ irâ percitis, aut motu in gyrum circumactis; sic eorum, quæ motu æquali feruntur, tardius remotiora videntur moveri; sic si per eandem lineam oculus & mobile pari velocitate incedant, ipsum mobile quiescere apparebit, &c. Ex quibus arguunt non ita certum, & manifestum

eſſe dari motum, prout peripathetici pronunciant,

911 Verùm ipſis ſe ſuis conficiunt telis, ſi enim ex navi mota ipſis videtur littus moveri, reipſâ igitur navis movetur, ob cujus motum talis fit apparentia: ſimiliter funiculus, vel virga accenſa, & circum agitata ſtabilem repræſentat circulum, quod non fit alteri, quàm per motum funiculi, vel virgæ in gyrum motæ, adeoqué & hæ, & aliæ adverſariorum experientiæ non pro ipſis, ſed contrà eorum ſtant ſententiam.

912 Non diffitemur quidem ſenſus, & præſertim viſum pluribus obnoxium eſſe fallacijs, nihilominùs ſi debitè applicentur in juſta diſtantia, & removeantur impedimenta, impoſſibile cum Ariſtotele cenſemus, ut ſenſus circà ſuum ſenſorium fallantur; nam fierinè poteſt ut calami, quo ſcribo, & linguæ, quâ loquor, motus non ſentiatur? quod adeò certum eſt, quam eſt certum, quòd cognoſcam me ſcribere, vel loqui, quâ certitudine in phyſicis nullâ major eſt dabilis.

913 Argumenta verò Zenonis non tam impugnant motum in genere, quàm motum localem; imò nequé hunc, ſed ejus ſolùm diviſibilitatem in infinitum; quare cum ſpatium à mobili pertranſiri non debeat, prout diviſibile, ac infinitum, ut Zeno ſupponebat, ſed ſolùm prout eſt aliquod continuum, ac finitum, & determinatum, bene poterit totum pertranſiri.

Phyſici motus quidditas, quotuplicitas.

914 DEfiniri communiter ſolet motus cum Ariſtot. 3. phyſ. Quòd ſit actus entis in potentia prout in potentia, hoc eſt; motus eſt actus entis, quod eſt inpotentia ad aliquam formam, vel effectum, vel terminum, ità ut ſit actus ipſius; ſed talis, qui ſe ipſo non actuet completè, & ut quod ſic ut adhuc non debeat ulterius actuari per aliam formam, ad quam acquirendam motus naturâ ſuâ ordinatur; adeoqué ſi quis clarioribus terminis motûs quidditatem explicatam ſibi deſideraret dicimus; motum propriè eſſe tranſitum mobilis à termino à quo, ad terminum ad quem cum per illum mobile recedat à mera potentia, & accedat ad actum perfectum, & ideò eſt quid medium potentiam inter & actum; ac propterea appellatur actus imperfectus, quia ſic differt à mera potentia, quæ eſt terminus à quo; & ab actu perfecto, qui eſt terminus ad quem, ut de utroque ſuo modo participet.

915 Neque obeſt quòd data motûs definitio videatur convenire diſpoſitionibus, quæ ſunt etiam quædam via, ſeu tendentia ad terminum; nam diſpoſitiones eſtò ſint aliquomodò, non tamen merè ſunt via, & tendentia, quod conſtat; tum quia ſunt proprietates ſubſtantiæ; tum quia etiam ad illas datur motus & tendentia, cùm detur actio illarum productiva; tum quia poſitis diſpoſitionibus poteſt non ſequi forma ſubſtantialis; ad motum autem ſequi neceſſariò debet terminus; implicat enim mobile in ipſo motu quieſcere, & non acquirere, terminum, dum illum acquirit.

916 Sic definitus naturalis motus eſt comunis tam inſtantaneo quàm ſucceſſivo; adæquatè dividitur in notiſſimas illas quatuor motus ſpecies, nempè in Generationem, Augmentationem, Alterationem & Lationem: tot enim ſunt ſpecies motus quot ſunt termini illius diverſi, quos eſſe tantum quatuor patet inductione. Nam vel terminus eſt ſubſtantia, & motus ad illam eſt generatio, ſeu motus à non forma ad formam, cui apponitur corruptio, ſeu motus à forma ad non formam: vel terminus eſt quantitas, & dicitur augmentatio, ſeu motus ad majorem quantitatem, cui opponitur decretio, vel dimminutio, quæ eſt motus à majori ad minorem quantitatem: vel terminus eſt qualitas, & dicitur alteratio, ſeu motus ad qualitatem; vel terminus eſt ubi ſeu locus, & dicitur Latio, ſeu motus ad locum, & præter has quatuor motûs naturalis ſpecies alia non eſt aſſignabilis, quantumvis poſteà harum ſingulæ rurſus multipliciter dividantur, ut ex infra dicendis ſatis conſtabit.

Phyſici motûs à mobili, & termino Diſtinctio.

917 MOtum à mobili, & utroqué termino diſtingui realiter modaliter nobis eſt probabile inde, quòd mobile indifferens ſit ad hunc vel illum motum, vel etiam ad carentiam motûs, ſeu quietem, adeoqué determinari ultimò debet per aliquid, quod eſſe nequit aliud quam motus, cum illi conveniat vera modi ratio. In quo non eſt peculiaris aliqua difficultas, qualis fortè apparere poſſet aliquãdo in diſtinctione inter motum, actionem, & paſſionem: ſed & hæc facilè reſolvitur, ſi dicamus, quòd quando hæc tria ſimul reperiuntur in eodem ſubjecto, & circà eundem terminum, diſtinguantur tantum ratione ratiocinatâ, cum talis diſtinctio ſufficiat ex eo, quòd in contrarium nulla adferatur, vel adferri poſſit urgens ratio ex hypotheſi, quòd nulla detur virtualis intrinſeca, aut formalis ex natura rei diſtinctio de facto in creatis, prout infrà oſtendemus.

918 Diximus tamen, quando hæc tria reperiuntur ſimul, quia certum eſt, quòd aliqua actio ſit quæ realiter neque paſſio eſt, neque motus; cujuſmodi eſt creativa, ſive etiam actio ipſa efficientis creati quatenùs ſe tenet ex parte agentis in eoqué recipitur; conſtat namqué

ex

ex suprà dictis, realiter eam distingui à motu & passione, prout hæc est causalitas mobilis, seu subjecti. Adeoqué motus, actio & passio, quæ se tenet ex parte termini actionis differũt inter se solummodò, quòd non eodem modo explicentur, & concipiantur in ordine ad i- 922
psum terminum: actio enim concipitur, ut procedens ab agente, illudqué denominans respicitqué terminum in ratione effectûs; passio autem concipitur ut recepta in subjecto, & respicit terminũ, ut quid passo impressum ab agente: motus verò concipitur ut actus mobilis, siue passi, & respicit formam ut terminum, nec dum mobili, impressam, sed mox eidem imprimendam. Verùm ne in his logicis difficultatibus diutius immoremur, sicut nec in 923
illis; quas quidam hic movent de unitate specifica, & numerica motûs, dequé motuum ad invicem oppositione: hinc ad unam, alteramvè physicam propriè quæstionem de motu violento, & neutro resolvendam progrediamur.

Physici naturalis motûs oppositio cum violento, & neutro. 924

919 OPpositio hæc desumi potest physicè; vel ex principio, vel ex termino: hinc motus naturalis violentus sunt contrarij in principio, inclinante, hic à principio contra nitente: & ideo ab Aristot. definitur esse id, quod est à principio extrinseco nullam vim conferente passo; hoc est renitente passo per inclinationem contrariam. Nomine verò passi intelligitur vel compositum totum, vel etiam forma ipsa, cui hæc violentia ab extrinseco infertur; hic formæ aquæ, imò toti composito aquæ, violentus est calor, cùm ad hunc nullatenùs concurrat aqua quæ potiùs contrà propriam inclinationem illum pati cogitur.

920 Nec obest quòd mors dicatur viventi violenta licet sæpè sit ab intrinseco, nam violenta solùm est quatenus ab extrinseco occiso- 925
re cùm contra nitentia passi infertur; cæteroquin si, prout à principijs intrinsecis, quæ in mixto sunt, spectetur, naturalis omninò est, ut infra patebit.

921 Præter autem naturalem motum, & violentum, dari etiam neutrum, qui neque sit secundum, neque contra naturam & inclinationem subjecti; qualis motus ut communi pro nunc utamur exemplo, esset, quo ignis (si daretur) constitutus in circumferentia concava cœli lunaris supra aërem raperetur à cœlo lunæ motu circulari, quia videlicet talis motus nec esset juxta, nec contra naturam illius ignis, qui deferretur in gyrum retinent eandem distantiam à centro. Præter hos datur item mo 926
tus supernaturalis, qui talis dicitur; eò quòd sit supra omnes vires activas, & passivas cujuscunque entis creati, & creabilis, de quo non physici, sed Theologi est agere.

Physico motui opposita physico quies.

DAri physicam quietem, qui negat, vel ab illo redarguitur ad quem Poëtarum Princeps aiebat:

Tytire tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Formosam resonare doces Amaryllida sylvas.

Experientia scilicet sensuum quietem physicam ita comprobat, ut tam certus sim me fessum in lecto, quantumvis incomodo quiescere, quam sum certus solem lucere in meridie.

Experientiam confirmat ratio; tum quia res quævis fini suo conjuncta, ab eodem separari non exigit, eò quòd sit in quiete physicè sibi competente: tum quia finis, seu terminus motûs est quies, prout communi omnium sensu patet; omne siquidem quod movetur spontè suâ, ut tandem quiescat movetur, prout universalissimâ constat inductione.

Quid autem sit quies hæc physica, satis constat ex illius definitione communiter recepta, quâ dicitur esse, physica in termino persistentia; licèt hæc definitio solius positivæ quietis propriè explicet naturam; privativæ enim, quæ est persistentia in carentia formæ, & negativæ quæ solùm datur in parte temporis minori & minori, quacunque parte certâ, assignabili, & determinatâ, clarum est non posse nisi juxtà nostrum intelligendi modum convenire. Dicitur nihilominùs quies quocunque ex his modis sumpta motui quâ tali opposita, eò quòd nequeat ille esse cum ista in eodem indivisibiliter mobili permanentes, uti infra ostendemus.

Physici entis naturalis proprietas altera, seu Locus.

QUia sensibili manifestum est experientiã, corpora huc illucqué moveri, diversasq; acquirere distantias, & approximationes cum alijs corporibus; idcircò loci nomine à Philosophis intelligitur spatium aliquod, in quod succedentia sibi naturalia creata entia recipiuntur, & ratione cujus dicuntur esse hìc, vel ibi, in hoc illové spatio. Dari autem sub hoc primo conceptu locum, videtur omninò indubitatum ex communi hominum sensu, tum quia ad hunc acquirendum ordinatur motus localis, tanquam ad suum terminum, non secùs quàm motus generationis ordinetur ad substantiam, augmentationis ad quantitatem, &c.

926 Rectè definitur, quòd sit superficies prima corporis ambientis immobilis: quia nempè eò ipso quòd aliquod corpus non habeat super-

ſuperficiem talem, ſub qua contineatur, prout multi opinantur probabiliter de cœlo empyreo, quod quia convexâ carere ſuperficie exiſtimant, ideò etiam non eſſe in loco propriè aſſeverant.

927 Dividitur aptè in extrinſecum, & intrinſecum; illum data jam definitio adæquatè explicat; locus ſiquidem, ex communi Philoſophorum conſenſu, non ſolùm continere debet locatum, ſicut veſtes continent hominem, vel vas vinum; ſed continere illud ita debet, ut ipſa ſuperficies ſimul cum corpore locato transferri aliò non poſſit, ſed eandem ſemper ſervet diſtantiam ab illo, à quo ipſius ſumitur immobilitas.

928 Neque ex eò quòd dicatur locus ſuperficies, inferri poteſt illum eſſe ſpeciem quandam quantitatis; cùm enim ſuperficies dupliciter ſumatur, nempè prout eſt intrinſeca continenti ſeu locanti, & ut eſt extrinſeca contento, ſeu locato, priori modo ſuperficies, ut eſt quaſi menſura continentis participat propriè rationem ſpeciei quantitatis; ut autem menſura contenti, & locati extrinſeca eſt, ſubit veram rationem loci, adeoqué ſuperficies quantitativa, & ſuperficies localis, eſtò fortè ſint quid unum materialiter, quantum ad id, quod quælibet eſt ultimum continentis, diverſæ tamen ſunt formaliter realiter rationis, utpote conſtitutæ per reales diverſas rationes formales: patet hoc inde, quòd ſi daretur ſuperficies aliqua (quam dari poſſe de abſoluta potentia repugnare non videtur) circumſcribens aliud corpus, abſque ullo corpore, cujus eſſet ſuperficies, foret illa tam bene locus illius corporis, quod intra ſe contineret, quàm ſit defacto, dum inhæret ſuperficies alteri corpori. In quo non apparet magna difficultas, ſicut eſt in aſſignando termino, unde ſuam

Phyſica localis ſuperficies deſumat immobilitatem.

929 SUnt namqué Philoſophorum plures, qui exiſtimant eam explicari poſſe per immobilitatem negativam, conſiſtentem in eo, quòd non neceſſariò moveatur ad motum locati, licèt ſubinde cum eodem poſſet moveri. Verùm hoc placitum diſplicet ex eò, quòd expreſsè ſit contra mentem Ariſtot: ajentis: vas eſſe locum mobilem, locum autem eſſe vas immobile, adeoqué dicere debet abſolutè negationem motûs ita, ut per ſe abſolutè moveri non poſſit; alioquin aliquid poſſet moveri, & tamen manere in eodem loco, quod implicat.

930 Alij dictam immobilitatem ſalvare conantur per quandam æquivalentiam, hoc eſt ita, ut ſuperficies dicatur immobils inde ſolùm, quòd in illo ſpatio, in quo prius erat hæc ſuperficies alia ſuperficies ſuccedat, non ſecùs quàm in decurſu fluminis aqua aquæ ſuccedit in eundem locum. Verùm nec hæc opinio ſubſiſtit; certum namqué eſt talem ſuperficiem phyſicè non fore immobilem prout requiritur ad ſalvandam de ea Ariſtotelis ſententiam; ad variationem enim ſuperficiei: continentiam ipſam quoqué | numero variari eſt neceſſe; adeoqué eſtò ſuccedat altera ſuperficies ejuſdem rationis, non tamen ſuccedit eadem numero, ſicqué diverſitas loci variatur, idemqué non manet talis immobiliter.

931 Alij proinde videntes inſufficientiam harum opinionum, ad ſalvandam immobilitatem loci recurrunt ad reſpectum quendam, quem ajunt habere locum ad quaſdam partes mundi fixas, cujuſmodi dicunt eſſe terræ centrum, & cæli axes, ſeu polos: ſed nec horum arridet ſententia; tum quia magna inter doctos eſt controverſia, an aliquæ dentur realiter, & phyſicè tales partes fixæ antè intellectûs noſtri deſignationem; tum quia licèt darentur, nihil tamen conducere poſſent ad immobilitatem loci; nam & poteſt dari, præſertim per adverſarios, motus neuter; & poteſt aliquid ſervare eandem diſtantiam à punctis fixis prædictis, & tamen mutare locum, ut patet in populis, qui habitant Zonam torridam directè ſub circulo æquinoctiali, qui dum ſe movent rectâ ab uno gradu latitudinis ad alteram, adhuc æqualiter diſtant â punctis fixis, & tamen certum eſt, quod locum mutent; tum quia ipſa puncta fixa etiam debent eſſe in loco, cui ut ſuperficies ſit immobilis; tum quia ſi Deus, prout facere poteſt, moveret ſimul & ſemel totum univerſum, tunc mutarent omnia corpora ſuum locum, licet ſervarent cuncta eandem diſtantiam ad puncta fixa.

932 Aptiùs proindè alij pro hac immobilitate ſalvanda recurrunt ad ubi intrinſecum, per quod volunt ſuperficiem fieri immobilem, ſed nec hi magis verè, quod bonâ eorum pace ſit dictum, philoſophantur, quàm præcedentes. Tum quia non minùs Ubi intrinſecum debet eſſe in loco extrinſeco, ad quem affigit locatum, quàm ipſa puncta fixa: tum quia cum dentur Ubi diſtincta, poſſunt illa mutari, immutato loco; ut conſtat ſi plura, ut fieri poteſt, ſucceſſivè Ubi idem corpus affigant eidem loco; non ſecùs, quàm juxta Doctrinam adverſariorum, per mutationem, & variationem unionum ſibi ſuccedentium in nutritione viventis manet idem vivens mutatis ſucceſſivè unionibus: pari ratione mutatis ſucceſſivè ubicationibus maneret locatum immobile, adeoqué ab ipſis ubicationibus intrinſecis locato, immobilitas loci extrinſeci haberi non poteſt.

933 Quare cum alius modus non reſtet (namquòd aliqui recurrant ad ſpatia imaginaria, ſubſiſtere minimè putamus, ut ſtatim oſtendemus)

mus) existimamus optimè explicari posse loci immobilitatem per ordinem ad primi Motoris immensitatem, quæ est spatium aliquod verum, & reale, non quidem materiale, sed spirituale, eminenter partes habens, ac totalitate essentiæ suæ ubiqué diffusum, cui coëxtendi possunt entia quæcunqué creata ita, ut singulis eorum minimis partibus, & punctis, si quæ in ijs dantur, Immensitas eminenter multiplex punctualissimè correspondeat: nõ secùs quàm 936
si aër v.g. esset diffusus in immensum, correspõderet cuicunqué locato intra ipsum, ita, ut pars aëris parti cujuscunqué locati adæquatissimè coæquaretur; quod longè aptius intelligi potest de Divina Immensitate, ut à paritate rationis constat ex eo, quòd sicut Divina essentia est prima essentia, origo, & fundamentum omnis essentiæ, ita Divina Immensitas est primum, & intimum spatium, origo, & basis primordialis, & immobilis omnis loci; juxta Apostolicum illud effatum Act. 17. non longè est ab uno quoqué nostrum; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus; nec solùm tanquam in causa efficiente, sed etiam tanquam in sede, loco, & fundo nos capiente, sustentante, conservante, & undiqué circumambiente.

934 Si enim in allato textu solùm de efficientia, & conservatione activa, ut quidam interpretantur, sensus esset, non probaretur efficaciter DEUM non longè esse ab unoquoqué nostrum; sol enim longissimè distans à terra, in ea tamen lumen, calorem, & alia innumera producit, & conservat: adeoqué necessariò intelligi debet effatum Apostolicum, quòd nos in DEO simus, & vivamus tanquam in Domicilio firmissimo, locoqué immobili, juxta illud D. Dionysij de Divin. nominib. c. 10 DEUS est custodia & domicilium omnia conservans, & continens: rursusqué DEUM vocat sedem, & fundum, in quo omnia firmantur & recumbunt: cui eleganter subscribit Arnobius lib. 1. 938
adversus gentes, ubi sic habet: ô Summe rerum visibilium, & invisibilium Procreator: tu prima causa es, locus rerum, ac spatium cunctorum, quæ sunt. Cùm DEUS igitur juxta horum sanctorum sensum, ut plures alios omittamus, immobilis, & immutabilis sit locus rerum omnium; cur non optimè loci nostri extrinseci immobilitas per ordinem ad Divinam ejus Immensitatem desumatur?

935 Dices, quia implicante Divinâ Immensitate non implicaret id, per quod dicuntur creaturæ esse in loco immobili, cùm adhuc formaliter conservarent suas ad invicem distantias, quas defacto habent. Verùm instantia hæc non urget, nam implicante DEO non tantùm implicarent formaliter distantiæ, quas defacto ab invicem creaturæ habent, quin prius, quàm intelligeretur DEUS abire in chymæram perprius intelligerentur, & reverâ abirent in chymæram cætera omnia; non secùs, quàm videamus, quòd priusquam extinguatur ignis, omnia quæ ab ipso illuminabantur tenebris obducantur. Cujus ratio velut à priori est, quòd priusquam cessaret primus Motor entitativè, prius cessaret illius motus, & operatio; sicut è contra priùs intelligitur entitativè esse quàm intelligatur operari, ut constat ex dictis suprà de causis.

936 Dicet fortè adhuc quispiam: locabilitatem creaturarum esse proprietatem earundem, nihil autem Divini esse posse creaturæ ullius proprietatem. Inprimis enim talis nihil contra nos dicit, utpote qui non dicimus immensitatem DEI esse locabilitatem creaturarum, sed tantùm id, per ordinem ad quod immobilitas loci desumitur. Deinde locabilitas tantùm formalis & secundum id quod dicit in recto est creaturarum proprietas, non verò locabilitas passiva, seu secundum id quod in obliquo dicit, in ordine ad quam desumitur illius immobilitas; neque enim terminus, ad quem dicunt ordinem creaturæ locabiles, sed ordo ipse, seu ipsa formalis potentia quâ locari possunt, quæ in recto importatur, est proprietas creaturarum.

Physicus locus intrinsecus.

937 PRæter locum realem extrinsecum dari & intrinsecum, qui communi nomenclaturâ dici consuevit Ubi, indubitatum est apud omnes; solùm controvertitur quidnam illud sit, & in quo consistat? Nos conformiter ad suprà dicta dicimus hoc esse modum quendam locatis inhærentem, vel adhærentem, illaqué ultimò determinantem ad talem propinquitatem, vel distantiam respectu aliorum corporum, realiter modaliter distinctum à re locata, ipsoqué loco extrinseco.

938 Ratio id nobis suadens, ut plures alias prætereamus, est, quia locabilia cùm sint ex se indifferentia ad existendum in hoc potius, quàm in illo loco, indigent necessariò aliquo determinativo, ad hoc ut potius sint hìc, quam alibi; quod determinativum, & dicitur ubi, quia est de prædicamento physico ubi; & locus, quia est terminus, qui per motum localem acquiritur; & spatium, quia cum corporibus extensis sit debitum, est aliquid essentialiter extensum.

939 Quod patet etiam ipsa sensuum experientia, cùm enim videmus Antonium v.g. in ambitu, non certificamur solùm de Antonio, & de ambitu, sed adhuc de aliquo alio, hoc autem aliud est, ubi, quod propterea est sensibile, non minus quàm albedo, cùm non minùs de illo per sensum certificemur, quàm de albedine, imò magis, quia ubi à pluribus sensibus percipi potest.

940 Duplex autem esse hoc ubi fluens scilcet, seu successivum, quod per motum acquiritur, & constituit locatum in spatio majori, quàm sit ipsum mobile: & permanens, quod acquiritur solùm transacto motu, & constituit locatum in spatio æquali. Ad quam distinctionem si quis adverterit, complures facilè, quæ contra ubi modale opponuntur difficultates, dissolventur.

Physici ubi intrinseci subjectum, agens, & respectus.

941 Quemadmodùm non solùm corpora, sed etiam reliqua omnia entia, DEUM unicum si excipias, sunt indifferentia ad existendum in hoc, vel illo loco, ita non sola corpora pro subjecto inhæsionis, sed etiam cętera entia pro subjecto adhæsionis, præter DEUM, admittenda necessariò sunt respectu intrinseci ubi. Cujus necessitatis ratio est communis illa, quam in subjecto assignando pro reliquis modis adhibemus, quæ cùm in DEO locum habere nequeat, eò quòd ille ratione suæ immensitas sit essentialiter determinatus ad coexistendum omni spatio possibili; ideo reliqua omnia entia rationem subjecti, seu inhæsionis, seu adhæsionis respectu ubi intrinseci subire possunt, unico DEO excepto.

942 Causa porrò efficiens ubicationis est potentia ipsa loco motiva mobilis non impedita, quæ sufficienter determinatur ad hoc potius ubi, quàm aliud à motu, vel actione, quâ potentiam motivam habens, huc vel illuc habile est se movere.

943 Respicit autem ubi intrinsecum, & essentialiter rem ipsam ubicatam immediatè, quam actualiter, & essentialiter determinat ad existendum in hoc spatio; mediatè verò spatium ipsum extrinsecum, ipsamqué DEI Immensitatem, cui facit rem immobiliter, & quasi activè locatum correspondere, & coëxistere; siquidem ubi illud, per quod determinor ad esse hic, per essentiam suam me determinat ad coëxistendum & spatio extrinseco, & æquivalenti parti divinæ Immensitatis, à qua hic extrinsecus locus suam desumit immobilitatem.

Physicæ ubicationis ab actione productiva, & conservativa distinctio.

944 VBicationem rei, sive ubi ipsum intrinsecum, quæ duo pro eodem sumimus, nè nodum in scirpo, ut quidam faciant, quæramus, defacto realiter distinctam esse ab ipsa actione productiva, & conservativa, ut asseramus, suadet illa ratio, quâ constat, quòd dum vel animal movetur de loco in locum, vel lapis deorsum ad centrum, aut ignis sursum à centro, producant talem motum, per quem ubi emanat successivum, quoad spatium, quo in casu illa mobilia producunt suas successivas ubicationes; non producendo sui actionem productivam; alioquin anima equi movendo se ipsam produceret etiam se ipsam, & consequenter idem defacto produceret se ipsum, cùm se ipsum producere aliud non sit, quàm producere actionem sui productivam, ut ex dictis patet.

945 Neque est quòd quis obijciat actionem productivam, aut conservativam, esse inseparabilem realiter ab ubicatione; nam taliter argumentans fallitur in eo, quòd sic identificaret rem ipsam, & ejus indifferentiam ad essendum in loco. Accedit illud, quòd actio productiva, aut conservativa terminetur ad esse rei simpliciter, ubicatio autem ad esse rei cum addito in loco, quod verum est, licèt creatum ens ullum exspoliari non possit defacto omni ubi, cum nihil creatum existere queat, quòd non sit DEO intimè præsens, cujus Immensitas, ut jam diximus, omnis locati, & locabilis est locus; non quidem ita quasi ubicunqué est immensitas ibi esse debeat locatum, sed sic, ut sit intimè immensitati præsens, quatenus eminenter æquivalet illa, per sui partes eminentiales huic, illiqué locabili. Ex quo satis patet indifferentia tam locandi, quàm ipsius loci extrinseci & immensitatis eminenter multiplicis, quæ necessariò tolli debet per ultimam aliquã determinationem, quæ alia non est, quàm ubicatio.

Physicæ Ubicationis respectu totius compositi unitas.

946 DEfacto totum compositum substantiale, omniaqué illius constitutiva sufficienter poni in loco per unicum ubi totale, & adæquatum, adeoqué non esse opus ubicationibus distinctis, quarum unâ ubicetur materia, alterâ forma, tertiâ unio, nobis fit manifestum, tum à pari ex dictis suprà de unitate unionis in composito: tum quia sicut unica quantitas sufficit ad omnia constitutiva compositi materialis extendenda quantitativè; ita unicum ubi ad extendenda localiter, seu ad ponenda in loco omnia, quæ sunt in composito sufficiet: cum præsertim omnia, quæ in composito sunt constitutiva, intimè sibi sint præsentia.

947 Tum quia nulla est necessitas tribuendi his partibus essentialibus diversum realiter ubi, distinctumqué numero locum intrinsecum; ex eo enim quòd materia prius naturâ approximata sit agenti, atque adeò prius locum occupet, quam unio vel forma, solùm argui potest materiam prius naturâ ubicatam esse, quàm formam, vel unionem; non verò quòd ubi, sive locus unius partis, sit diversus à

loco

loco intrinseco alterius partis secum unitæ, sibiqué intimè præsentis.

948 Quòd præterea anima hominis à quantitate non recipiat effectum formalem quantitativé extensi, sicut ab ubi recipit effectum formalem locati, nihil contra thesim nostram urget; cùm illud oriatur ex animæ, utpote entis spiritualis: incapacitate ad effectum formalem quantitatis, qui haberi nequit nisi per inhæsionem, quam incapacitatem non habet anima respectu effectûs formalis ubicationis, qui habetur per solam adhæsionem.

Physicus idem locus capax est supernaturaliter duorum, pluriumvé corporum.

949 QUi status quæstionis communiter exponi solet terminis illis; an possint duo, pluravé corpora se invicem in eodem loco adæquato compati, & penetrare? in quo nos sequimur affirmativam partem, loquendo de potentia DEI absoluta; naturaliter enim id fieri non posse satis patet tum experientiâ, quâ constat nos non posse penetrare muros, pervadere aggeres, aut montes, nisi prius illos excavemus. Tum ratione, quia omnia corpora affecta sunt quantitate, cujus formalis effectus, ut mox dicemus, est occupare locum impenetrabiliter.

950 Nequé est quod nos retrahat ab hac veritate seu pila ventosa, quæ repleta quantocunqué aëre, adhuc amplius inflari potest; seu vas cinere aut farinâ repletum, quod plurimum adhuc aquæ admittit, & ferè tantundem, ac si vacuum foret; seu poculum vino ad summa labra plenum, in quod, magnus numerus aureorum injicitur, absque vini effusione; quæ experientiæ salvari non posse videntur absque naturali penetratione corporum.

951 Nam prima solùm ostendit aërem priorem in pila ventosa addensari per additionem alterius aëris, locum à primo desertum occupantis. Secunda verò ostendit ob raritatem cinerum, vel farinæ plurimum cum ijs in vase aëris intermisceri, qui per aquæ effusionem expellitur succedente aquâ in locum illius. Tertia pariter non penetrationem aureorum cum vino ostendit, sed solùm ipsam vini naturam, cujus superiores partes tum ob innatam humido inclinationem, tum ob ipsius vini levitatem provenientem à spiritibus, qui vino insunt; hi enim in figuram sphæricam naturaliter coëuntes, impediti præsertim à siccitate labrorum poculi, non diffluunt, uti constat inde, quod labris Madefactis statim vinũ dilabatur.

952 Quin fieri potest, ut videmus in alio loco positum plus liquoris capiat, quàm in altero, propter convexitatem, quam facit in vase: ut eruditè P. Clavius in primum sphæræ demonstrat, vas idem plus aquæ capere ad radicem montis, quàm si ponatur in cacumine; quia scilicet in cacumine circulum majorem, & minùs convexũ efformat, in radice autem minorem, & convexũ magis. Absolutè tamen, & super naturæ vires duo corpora posse poni in eodẽ loco, est ratio à non repugnantia; & authoritas, quâ id factum esse indubitatè constat.

953 Neque obest effectus formalis quantitatis, qui est actualis impenetrabilitas; nam hæc non penetrationi, sed penetrabilitati solùm repugnat, cùm igitur penetratio sit supernaturalis & miraculosa, & in actu secundo, impenetrabilitas verò naturalis, & in actu primo, clarum est nullam in hoc intervenire posse repugnantiam. Atque ex his

Physicum idem corpus esse posse in pluribus locis adæquatis tam definitivè quàm circumscriptivè.

954 PAtet, tum ex Fidei nostræ Sacrosanctis principijs, quibus certi sumus, quòd connaturalis Christi Domini statura loco circumscriptivo ad dexteram Patris in Cœlis circumscripta, in hostijs consecratis replicata definitivè, seu sacramentaliter existat; prout idem accidit in ultima cœna, quando Christus circumscriptivè assidens mensæ, simul post consecrationem peractam sacramentaliter erat, & definitivè in sacramento.

955 Tum quia defacto constat id sæpius etiam alijs Sanctorum corporibus evenisse, ut de SS. Ambrosio, Antonio Patavino, Catharina Senensi, Ignatio Loyola, Francisco Xaverio, alijsqué refert Bellarminus lib. 3. de Eucharistia. Tum demũ quia si poni potest in duobus locis vel definitivè ut accidit in Vener. Sacramento, vel in uno definitivè, circumscriptivè in altero, multò magis poterit in duobus, aut pluribus locis esse circumscriptivè; cùm in priori casu præter miraculum positionis in duobus locis, sit etiam aliud, nempè positio corporis, seu rei materialis ita, ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte; facilius siquidem est corpus statuere in duobus locis modo corpori proportionato, qualis est circumscriptivus, quàm improportionato, qualis est definitivus: iste enim modus essendi in loco importat esse totum in toto, & totum in qualibet parte; ille verò ita dicit rem esse in loco, ut tota quidem sit in loco adæquato, non autem tota in qualibet loci parte.

956 Nec obest, quòd idem nequeat esse in duobus temporibus adæquatis simul; hoc enim solùm provenit ex eo, quòd duo tempora ex ratione sua intrinseca, ut mox dicemus, nequeant simul esse; si enim hæc simul esse possent, ex parte corporis esset etiam potentia, illis coëxistendi, imò si uni tempori coëxisteret, coëxisteret necessariò & alijs temporibus, simul cum eodem coëxistentibus.

Phy-

Physica actio respectu locati existentis in duobus, aut pluribus locis.

957 PRobabilius nobis videtur eam esse non posse solam adductionem, sed requiri necessariò iteratam productionem ejusdem locati; cùm enim nullum locatum extendi possit ultra suam capacitatem, & virtutem passivam, nisi ejusdem virtus crescat, & augeatur, & potentia iterum locans inveniat illud jam antecedenter coextensum suo loco adæquato, reperit capacitatem passivam extensioni locati jam adæquatam; adeoqué nisi augeat ejusdem virtutem, non apparet, quo modo idem locatum possit occupare alium adæquatum locum; alioquin non esset, cur 961 dici non posset idem naturaliter posse esse in pluribus adæquatis locis; si enim non adæqueretur capacitas passiva locati, per unum locũ adæquatum, cur non posset dari talis potentia loco motiva, quæ illam ulteriùs extenderet etiam connaturaliter? potentia verò loco mo- 962 tiva seu adductiva, nec auget, nec augere potest passivam capacitatem locati, cùm realiter, & virtualiter relinquat locatum unum idemquè solùmqué multiplicet ubi, ut constat, adeoqué necessariò admittenda est nova ejusdem locati reproductio, eò quòd necessariò requiratur virtus, & capacitas locati æquivalenter saltem multiplex, quam haberi non pos- 958 se per solam adductionem satis liquet.

Quod confirmatur amplius ex igne, qui si unus idemqué ponatur simul in centum subjectis à se invicem dissitis, simul & semel omnia succendet: ex plumbo bilibri replicato, quòd si ponatur ad plures bilances causabit æquipondium; ex lapide qui positus in pluribus clivis producet motum deorsum, tendetq; ad centrum: ex forma replicata potente informare plures materias; ex homine, qui in 963 duobus, aut pluribus locis videre potest Constantinopoli Imperatorem Turcarum, Romæ Christianorum summum Pontificem.

959 Adeoqué quod hinc consequitur, ex unico homine replicato integri formari possunt exercitus, illiqué longè maximi & validissimi, quibus aureus replicatus pro stipendio, pro victu unicus panis, unicus pullus, unicum vini poculum pro commeatu abundantissimè sufficeret; quod mirum non videbitur Christiano Philosopho, qui lumine Fidei instructus novit ex quinq; panibus, ac duobus piscibus quinq; hominum millia refecta, atque ex fragmentis, quæ supererant duodecim sportas repletas 964 fuisse.

Physicum nihilominùs ubi, per quod res replicata uni loco affigitur, cum eadem alibi replicari nequit.

960 LIcèt enim idem subjectum poni possit hic & alibi, ipsum tamen ubi esse non potest hic, & alibi; nam sicut subjectum idem etsi divinitus possit recipere duas formas contrarias, duosqué effectus formales contrarios, fieriqué simul album & nigrum, unum tamen contrarium nequit recipere formalem effectum sui contrarij; sic calor esse nequit formaliter frigidus, nec albedo formaliter nigra; pari ratione cum esse hìc per hoc ubi, & esse alibi per idem, sint effectus formales oppositi, & incompossibiles, licèt idem subjectum esse possit utrobiqué, idem tamen ubi, seu esse hìc, non potest esse alibi; alioquin quies posset moveri, motus actualis quiescere, manens rotunditas rotunda esse posset quadrata, &c.

961 Ex quibus rectè deducimus accidentia, quæ non sunt de naturali, ac debita perfectione, subjecti replicabilis, ipso replicato non necessariò in duobus locis poni, cùm possit Deus reproducere hominem non reproductis accidentibus ab illo distinctis, & separabilibus.

962 Unde sequitur, quòd Petrus v. g. possit esse Græcij Religiosus, in Castris Cæsareis miles, in Aula Consiliarius, alibi albus, alibi niger, &c. imò alibi mortuus, alibi vivus, & alibi in gratia alibi in peccato; quamvis ut benè observat P. Koning, credendum sit Deum non permissurum, ut talis homo alium gratiæ statum haberet in uno loco, quàm in alio; spectaret proinde ad Divinam Providentiam hominem talem replicatum constituere in talibus circumstantijs, in quibus, auxilijs extrinsecis adjutus, ab occasionibus peccandi præservaretur: estò esset æquivalenter multiplex ratione multiplicium actionum reproductivarum totalium.

Physico Loco Vacuum oppositum.

963 NOmine Vacui intelligimus spatium omnis loci pleni expers, quod nec dari in natura defacto, nec dabile esse viribus ullius agentis creati ptobabilius est inde, tum quia esset omnino inutile; nam motus omnis localis sufficienter fieri potest per medium fluidum ac tenue, cùm hoc cedat locum mobili; tum quia vacuum esset naturæ rerum pernicioſum, utpote impediens contiguitatem corporum & consequenter actionem agentium; contiguitas enim cùm necessaria sit ad hoc, ut agentia in passum agant, quæ actio requisita est ad conservationem & bonum universi, maximum illâ sublatâ tolleretur naturæ bonum.

964 Tum deniq; quia corpora ad sui conservationem non minus naturaliter exigunt mutuam contiguitatem, quàm mutuam impenetrabilitatem; sicut igitur corpora naturaliter penetrare nullatenus se se possunt, ita nec ullo modo discontinuari per vacuum; & hanc ob cau-

causam videmus ad vacuum impediendum, gravia ascendere, descendere levia corpora, quæ aliàs motum exigerent, reddi immobilia; patet id luculentis experiẽtijs, quarum prima est in duabus tabellis perfectè planis sibi invicem debitè superimpositis, quas nullâ unquam vi ab invicem divelles, si ex medio æqualiter divellere eas tentaveris. Eodem modo scutellam ligneam secundum sui cavam partem, aquæ immersam nunquam extrahes, si eam ex medio æqualiter traxeris. Altera experientia fit in follibus, eorum ostiolo inferiori benè obfirmato, qui potiùs disrumpentur, quàm ut diduci se patiantur. Tertia in dolio carente ex superiori parte omni spiraculo, ex quo, etsi plenum sit, merum nunquam effluet. 967 968

965 Quarta in scyphone oblongo in puteum, aut vas demersо, ex quo aërem omnem si exsuxeris, senties post aërem succedere liquorem, ne vacuum interveniat. Ex quibus patet causa, cur vinum ex superiori vasis parte extrahatur per scyphunculum? cur aqua in altum educatur per anthleas? cur lampades, quæ vulgò Cardani, seu rectiùs, Theodosij Imperatoris, qui earum inventor fuit, dicuntur, oleum sibi ipsis ex epistomio nemine agente affundant? cur per cucurbitulas sanguis ex humano corpore eliciatur? cur in vitro thermometro, seu thermoscopo aqua ascendens, aut descendens mutationes temporis certas indicet? cur, dum aqua quocunqué vase incluſa congelatur, vas illud magno fragore disrumpatur? cæterorumqué plurium hujusmodi naturæ mirabilium, per quæ vacui sive natura, sive impossibilitas in natura luculenter comprobatur; ita quidem, ut si dari deberet vacuum in aëre nostri hemisphærij, ne id fieret, ascenderet ipse globus terraqueus, quantumvis gravissimus.

966 Experientijs, quæ adferuntur in contrarium, quarum una ab argento vivo, per fistulam vitream desuper clausam delapso assumitur: altera verò, quæ per violentam aëris ex globo vitreo, aut æneo extractionem, seu exhaustionem, adducuntur, satisfit facilè refundendo id, vel in exhalationes, quibus corpora omnia abundant; vel in particulas magis spiritosas ipsorum corporum; si præsertim sint liquida; vel deniquè in aërem intra corporis poros inclusum. Contactus item duorum corporum solidorum salvatur optimè, absque admissione Vacui, eò quòd duo corpora solida nunquam regulariter loquendo immediatè se tangant, sed semper mediet aliquid aëris, quod tamen non impedit contactum ad sensum.

Physica causa motûs, quo gravia & levia ad impediendum vacuum extra suum centrum feruntur.

FUêre nonnulli, qui hanc existimârunt DEUM esse, sed in re physica, quòd ad DEUM immediatè recurrant, ab alijs Philosophis taxantur; & meritò quidem, quando propè certum est hunc motum causari ab illo ipso physico agente, qui locum evacuat, ex eoqué corpus expellit; hoc enim dum facit, attrahit simul corpus contiguum in locum corporis expulsi; uti inde constat, quòd majorem experiamur difficultatem, quando asserem v. g. ex aqua attollimus, sequente illum aquâ ad impediendum vacuum, quàm si ipsum attollamus tantùm sequente aërem.

968 Potest etiam probabiliter dici, quòd ipsa corpora gravia, & levia saltèm partialiter se moveant ad vacuum replendum; cùm talis motus bono communi universi deserviat, ad quod tam gravia, quàm levia innatam habent inclinationẽ. Quibus non obstantibus, adhuc

Physicè vacuum est dabile solius rerum Moderatoris potentiâ.

969 QUod ut adstruamus nobis argumento est, quòd nulla vel implicantia, vel ratio dari possit, cur DEUS, ut supremus naturæ Dominus, nequeat annihilare totam v. g. primam regionem aëris, & impedire nè aqua, & terra sursum ascendant, aut nè corpora alia contigua deorsum ferantur ad vacuum replendum, cum aliunde & potestas illa corporum, quâ trahuntur ad mutuam conjunctionem localem, & resistunt divulsioni, finita sit ac limitata, adeoqué potens superari ab infinita DEI virtute; & solius DEI sit dispensare in universalibus naturæ legibus, quibus ipse non tenetur, utpote earum Author, & supremus Legislator.

970 Dixi solius DEI potentiâ, quia licèt spectando vim illam corporum, quâ vacuo resistunt, & ex altera parte potentia alicujus supremi Angeli, videatur induci posse vacuum; cur enim Angelus talis, ex Academico v. g. Auditorio expellere non posset totum aërem, & impedire nè alius subintret? nihilominùs si virtus Angelica spectetur, ut perfectissimè substans Divinæ Providentiæ, quâ defacto mundus gubernatur, non videtur posse per Angelum induci vacuum, eò quòd illud sit toti universo inutile, pernicioſumqué, in talibus enim effectibus, qui in grave damnum redundant Universi, & perturbant rerum ordinem, licèt aliunde potentia effectiva Angeli esset illis proportionata, DEUS tamen subtrahit Angelis ordinarium suum concursum, nè tales cadent effectus; quod patet inde, quia defacto quivis Angelus secundum vires suas spectatus, potest Solis, Lunæ, stellarumqué cursum invertere: potest Dæmon mare totum in terras effundere, fontes & flumina claudere, homines suffo-

care, aliaqué multa facere, quæ illius vires naturales non excedunt: & tamen illa nullatenus perficit, quia DEUS ad talia perficienda concursum suum illis non præbet; vi cujus negationis talis concursûs, dicuntur Angeli simpliciter talia non posse, adeoqué nec Vacuum inducere.

Physici motus quinam fieri possent in vacuo, si hoc daretur.

971 PHysicos aliquos motus, si vacuum daretur, dabiles esse in illo, illud nobis suadet, quòd motus localis suapte naturâ terminetur ad ubi intrinsecum rei, quod sine dubio in vacuo reperiretur; si enim quis in eo staret brachio extenso, cur non posset illud hinc inde vel in orbē agitare? Dices quia id deberet facere in instanti: Verùm hæc instantia fallitur in supposito, supponit siquidem successionem motûs ex sola medij resistentia provenire, cùm proveniat etiam tum ex ipsa distantia terminorum, inter quos datur motus; tum ex ipsa gravitate, vel levitate mobilis, vi cujus istud movetur juxta exigentiam illarum; non secùs quàm si in vacuo imprimeretur impulsus lapidi, lapis etiam per adversarios moveretur eâ velocitate, quam exigeret talis impulsus; cùm igitur gravitas & levitas æquivaleant impulsui impresso, pro ratione majoris, vel minoris gravitatis, aut levitatis, determinaretur in vacuo tanta velocitas vel tarditas.

672 Quod si Aristoteles contrarium asserviss̄e videatur, dicendus est, uti eum explicat D. Thomas, quòd non nisi ad hominem contra Veteres probaverit motum in vacuo fieri in instanti; nam cùm illi dicerent in quolibet motu locali intervenire Vacuum, Aristoteles assumens eorum principium ex illo intulit, quòd si in motu locali interveniret vacuum, motus localis fieret in instanti.

973 Porrò in vacuo fieri non posse motum progressivum animalium, aut violentum projectorum, probabilius esse videtur inde; tum quia in medio vacui projectum, vel animal se sustinere non posset, cùm tamen necessariò ad motum progressivum requiratur sustentatio progredientis, ut patet in animalibus, è quibus terrestria in suis motibus sustentantur à terra, aquatilia ab aqua, volatilia ab aëre: tum quia homo, qui in vacuo Auditorio staret, ita pedes pavimento affixos haberet, ut eos movere inde non posset ob vacuum, quod naturaliter ad talem motum sequeretur.

974 Unde si globus ferreus tangeret nostri Auditorij fornicem, in quo esset vacuum, decidere non posset, eò quòd discontinuaretur à fornice nullo alio corpore succedente; quod naturæ repugnat: si tamen esset in medio Auditorio vacuo descenderet ad pavimētum ex opposita ratione, ut contiguus pavimento fieret: si tamen totus elementaris mundus in nihilum abiret, & in vacuo illo statueretur lapis, probabilius videtur, quòd in tali casu ille quietus consisteret, tum quia extra se non haberet centrum, ad quod moveri posset; tum quia suum intra se centrum habens ad illud omnes ejus partes inclinarent, non aliter, quàm nunc globus terraqueus firmus consistat, eò quòd omnes ejus partes ad medium, seu terræ centrum inclinent.

Physicè spatia nulla Imaginaria independenter ab operatione intellectûs dantur, darivè possunt.

975 SPatij imaginarij nomine illud intelligimus, quod mens nostra, non potens aliter concipere DEI Immensitatem, sibi imaginatur, non secus quàm non potens concipere DEI æternitatem fingit sibi tempus aliquod infinitum: cujus imaginationis objectum nullum esse extra DEUM independenter à fictione intellectûs nostri, patet; tum quia si daretur, vel esset ens Creatum, vel Increatum; non primum, quia esset aliquid reale ab æterno; non secundum quia esset DEUS ipse; utrumqué autem de tali objecto dici implicat; esset igitur illud objectum, si daretur extra DEUM, adeoqué essentialiter penderet à DEO; quidquid autem à DEO dependet potest à DEO destrui, & ab illo esse, quod habet, absolutè tolli, ac dimoveri; per adversarios verò non potest illud DEUS tollere ab esse, adeoqué non esset dependens à DEO; sed nec independens, quia quidquid DEUS non est, & tamen aliquod habet esse, quodcunqué demum illud sit, à DEO essentialiter dependet: quod cum dici nequeat de spatijs imaginarijs, consequens est illa realiter non dari.

976 Accedit, quòd si realiter darentur, & quidem ab æterno, DEUS per suam immensitatem illis coëxstitisset ita ut re ipsâ simul Immensitas DEI & immensitas horum spatiorum sibi coæquales, & coæquatæ fuissent, quod est absurdum; si enim admittatur aliquid quod adæquet terminativè Divinam Immensitatem, & cui Divina Immensitas adæquatè coëxistat, & coæquetur, dici primò posset dari aliquid simpliciter immensum extra DEUM. Secundò dari terminum Divinæ immensitatis. Tertiò dari alium DEUM extra DEUM, quod dictu erroneum est, & hæreticum: probatur tamen, quia hæc immensitas quasi passiva talium spatiorum talis esset, quæ absolutè coæquaret ita Divinæ Immensitatis, quasi activam amplitudinem, ut nihil omninò in DEI Immensitate esset, quod non correspondaret secundum omnia passivæ illorum spatiorum immensitati, prout adæquatum receptum adæquatur adæqua-

quato recipienti; amplior enim non esset DEI Immensitas immensitate talium spatiorum, cum illa esset in his spatijs, ut volunt Adversarij, & vicissim hæc spatia talia essent, ut ampliora non essent ipsa DEI immensitate, quia hæc commensuraretur illis adæquatè sumptis, & hæc eam reciperent adæquatè sumptam, sicqué extra DEUM aliquid esset immensum, DEO æquale in immensitate, adeoqué alter DEUS.

977 Nec est quòd quidam confugiant ad esse negativum talium spatiorum; si enim illa quid negativum forent, vel esse deberent negatio repugnantiæ corporis ad existendum in illis, & consequenter, cùm essent negatio negationis, essent aliquid positivum: vel consisterent in negatione corporis cum tali determinata præsentia: sed neque hoc dici potest, quia negatio corporis cum hac determinata præsentia destruitur per positionem corporis cum hac determinata præsentia; spatium autem imaginarium destrui non debet per corporis exi- 981 stentiam cum determinata hac præsentia; nam si corpus ex vi hujus præsentiæ destrueret spatium, non posset ex vi illius constitui in spatio; siquidem nihil potest occupare id, quod non est in rerum natura, neque aliquid esse in aliquo, quod simpliciter non est: cum igitur corpus occupet locum, quando habet hanc præsentiam, & est in tali loco, tunc debet esse locus occupatus in quo est, qui tamen esse nequit; quia negatio corporis tollitur necessariò per positionem corporis.

978 Neque argumentum jam vulgare quod pro spatijs imaginarijs realibus adfertur communiter desumptum ex possibilitate plurium mundorum à DEO producibilium, est alicujus ponderis; nam sicut producerentur mundi ipsi, ita spatium reale, in quo essent, simul à DEO produceretur, non secùs, quàm defacto productum simul fuit tempus, in quo mundus 982 iste conditus est.

979 Nec plus probat aliud, quo dicunt inter tales mundos futuram aliquam distantiam, quæ salvari nequit nisi per spatia imaginaria; nam imprimis non dantur, sed tantùm darentur in casu illo spatia aliqua imaginaria inter illos mundos; & deinde distantia illa non formalis, sed solùm aptitudinalis foret ab ipsis mundis indistincta; quia nempè mundi illi extra hunc mundum positi, haberent ex se capacitatem continendi alia corpora intra se, quæ capacitas non est spatium aliquod intermedium distinctum ab ipsis mundis, sed essent mundi ipsi, qui ratione suarum præsentiarum apti essent continere alios mundos, qui inter illos produci possent, non ratione spatij intermedij; si enim aliquod tale daretur illud esset positivum, non imaginarium, non secùs quàm parietes hujus Auditorij retinentes has numero suas præsentias ad invicem inter se distare dici possent, licèt omnia corpora cum aëre intermedio annihilarentur; quæ distantia non ratione spatij ipsius, quod ex hypothesi nullum foret, sed solùm ratione præsentiarum parietibus auditorij, inter quos vacuum esset, conveniret.

Physici entis tertia proprietas, seu Finitas.

980 AUthoritate constat, & ratione, omnia entia naturalia, quæ defacto dantur, finita esse, & limitata; authoritate quidem, quia S. Script. affirmat Sap. 11. DEUM omnia in numero, pondere, & mensura condidisse: ratione verò, quia quæcunque facta sunt per actionem finitam, & limitatam sunt producta, uti universalissimâ inductione patet, adeoq; quidquid extra DEUM defacto existit necessariò esse debet finitum & limitatum.

981 Accedit Authoritati, & rationi experientia, quâ constat ens quodvis naturale de se hoc habere, quòd moveri possit ac debeat, adeoq; necessariò requirat finitatem sui; si mobile enim haberet, molem infinitam occuparet omne spatium, sicqué non daretur locus, ad quem per motum transire posset; unde mobile non esset; & consequenter nec naturale, si finitum non esset. Ut autem hæc entis naturalis proprietas, ejusqué natura melius innotescat, explicari hoc loco solet Infinitas illi opposita; sicut enim explicato objecto meliùs innotescit natura actûs, qui ad illud ordinatur, ita explicato uno contrario, meliùs elucet alterum ipsi oppositum.

Physici Infiniti nomen, quidditas, & multiplicitas.

982 INfiniti nomine communiter intelligitur aliquid carens omni fine, & termino, ut constat ex Æternitate DEI, quæ tam à parte ante, quàm à parte post dicitur, & est infinita, hoc est carens principio & fine. Et licèt infinitas, si vox spectetur, videatur esse quid negativum, si tamen ad significatum vocis attendatur, positivum quid esse statim deprehendetur; finitatem enim involvere necessariò aliquam carentiam, seu negationem, patet ex fine lineæ quantitativæ, qui nobis maximè est notus, & ex cujus proportione aliorum finitatem intelligimus: iste namqué est ultimum ejus, post quod, vel primum ante quod non est aliud accipere; seu ut clarius, est ulterioris extensionis sive à parte ante, sive à parte post, sive utrinque saltem consecutivè, negatio; unde rectè inferimus infinitatem esse rationem formaliter positivam, cùm sit id, quod semper ulterius, & ulterius extenditur; secundùm quam rationem excedit omne ens finitum ut constat

ex in-

ex infinitate DEI, quam nemo abſque temeritate, & errore negaverit eſſe quid poſitivum.

983 Porrò infinitum extra DEUM, de quo hic agimus, quantumvis illimitatum, rectè deſcribitur dicendo; quòd ſit id, cujus ſemper eſt aliquid extra accipere, ſeu tale aliquod totum, tot partibus conſtans ut ſucceſſivè accipiendo partem poſt partem ſemper remaneant partes aliæ in infinitum accipiendæ, abſque eo, quòd unquam per finitas, & ſucceſſivas acceptiones exhauriri poſſit.

984 Sic utcunque deſcriptum infinitum (nam illius naturam connaturaliter nemo perfectè aſſequi poteſt, ex eo quia nulla noſtra operatio, ſive materialis, ſive ſpiritualis ſit, excedit noſtrum eſſe, & hinc illas ſolùm imagines rerum mente complectimur, quæ intra nos cadunt; & quia nos finiti ſumus in eſſe, non eſt mirum, quòd perfectè naturam, eſſentiamqué infiniti non percipiamus) ſic inquam definitum Infinitum phyſicum, vel eſt tale, ut verificari de illo poſſit, quòd ſit poſitum totum à parte rei, ita ut nihil illius remaneat ponendum, quod dicitur infinitum actu, ſive categorematicum, vel eſt tale, ut de illo nunquam verificari hoc poſſit, ſed potiùs quòd aliquid illius ſemper remaneat ulterius ponendum, & hoc infinitum ſyncategorematicum appellatur, ſeu partim actu partim potentiâ finitum in infinitum.

985 Quod rurſus dividitur tripliciter, aliud enim eſt in augmento, ita ut illi ſemper poſſint aliqua addi abſque fine additionis; in diminutione aliud, quia ex illo ſemper poteſt detrahi abſq; ullo fine, quæcunque tandem ſit illa pars quæ detrahitur: aliud demum, quod eſt ratione utriuſque, quia nimirum ſemper illi poteſt aliquid addi, & ſemper ab illo aliquid detrahi.

986 Categorematicum autem infinitum creatum (nam ut ſuprà inſinuavimus, de increato agere eſt extra orbitam philoſophicam) ab ipſius Patronis dividitur ſextupliciter; nimirum in Infinitum ſecundum eſſentialem omnimodam perfectionem, quale eſſet creatura, quæ haberet eſſentialiter perfectionem omnem à DEO ad extra communicabilem; in Infinitum ſecundum unam aliquam tantùm perfectionem ſubſtantialem, in Infinitum quantitativum, ſeu in quantitativa actuali extenſione: in Infinitum in intenſione; in Infinitum in numero, & in Infinitum in duratione. Circa quæ, ut quid ſentiamus, pateat, dicimus:

Phyſicè dabile, imò defacto dari Infinitum ſyncategoremacicum, negari non poteſt.

987 QUod verum eſſe patet, tum ex infinita DEI potentia nunquam exhauribili per finitam productionem rerum: ſemper namqué poteſt ſuperaddere aliud & aliud, quando præſertim ex parte producibilium nulla eſt impoſſibilitas; quis enim neget poſſe DEUM producere creaturas non tot quin plures, ſeu finitas in infinitum, quantitatem majorem, ſemper, ac majorem &c; tum quia certum eſt ex Chriſtianæ philoſophiæ infallibilibus principijs Angelos, animaſqué rationales duraturas abſqué termino in æternum: ſimiliter eſt indubitatum, quòd corpora naturalia poſſint ratione ſuæ quantitatis dividi in plures, & plures partes, abſqué termino ullo: ratione ſui motûs moveri in infinitum; ratione generationis & corruptionis, in infinitum multiplicari, uti defacto fit; Adeoqué negari non poteſt dabile, quin defacto dari ſyncategorematicum infinitum.

988 Cujus eſſentiæ manifeſtè repugnat eſſentia categorematici ita, ut nunquam illud in hoc tranſire poſſit; quod clarè patet, tum in numero dierum æternitatis à parte poſt, qui nunquam exhauriri poſſunt; dato enim quovis numero finito, major eſt aſſignabilis, ita ut nulla ſit futura collectio comprehendens omnes collectiones dierum futurarum, nam illa vel finita, vel infinita eſſet; ſi finita non comprehenderet omnes; ſi infinita, eſt tum contra hypotheſim, quâ conſtat quæſtionem procedere de collectionibus ſolùm finitis, tum quia quod futurum eſt, eſſe debet aliquando præſens aliquando præteritum, ſicqué pertranſiri poſſet, quod eſt contra rationem infiniti ſimpliciter talis: tum quia talis collectio clauſa eſſet die hodiernâ, ut primâ, & die illâ aſſignabili, quâ verum eſſet dicere, hodie eſt tota ſimul collectio illa, quæ futura erat, ut ultimâ totius collectionis die.

989 Quod idem dictum de cogitationibus Angelorum & animarum rationalium futuris deinceps per totam æternitatem: Tum de infinito in extenſione, vel intẽſione tantùm finitâ poſſibili: extenſio namqué talis, vel intenſio, nequit comprehendi unicâ collectione, ſed pluribus, & pluribus abſque termino; adeoqué eſſe nequit ullatenus categorematica, alioquin hæc claudi poſſet actu terminis. Tum in diviſione quantitatis per quam omnes partes, quæ manent peractâ diviſione ſunt inæquales, quæ proinde comprehendi nequeunt collectione unicâ, ne admittamus quantitatem palmarem conſtare infinitis actu partibus æqualibus non communicantibus. His poſitis

Infinitum Categorematicũ abſolutè in perfectione eſſentiali repugnat.

990 ASſertionem iſtam, ſicut, & ſequentes hîc probamus argumentis merè phyſicis, reſervatis phyſico-mathematicis in locum proprium;

prium; adeoqué creaturæ essentialiter infinitæ repugnantia suadetur inde, quòd repugnet creatura, quæ contineat perfectionem omnem simpliciter possibilem; tum quia omnis creatura sicut est essentialiter à Deo dependens, ita à perfectione Dei non tot quin pluribus perfectionis essentialis gradibus distat; adeoqué quâcunque assignatâ, alia est assignabilis, quæ magis quàm prior ad perfectionem Dei accedat; plus enim distat Deus à quavis creatura quantumvis perfecta, quàm sol à formica; sol autem vivens aliquod formicâ perfectius generare suo modo potest, adeoqué & Deus producere creaturam perfectiorem quâcunque assignabili; alioquin creatura illa infinita perfectissima esset, & talis, ultra quam Deus non posset aliam producere, sicqué à Deo tantùm finitè distaret, quod dictu repugnat.

991 Tum quia infinitum categorematicum in essentiali perfectione deberet actu in se habere omnem perfectionem possibilem, quod implicare inde patet, quia si contineret omnem perfectionem possibilem, & ut omittam alias, deberet habere intellectum infinitum, infinitam voluntatem, infinitam potentiam activam, & actus harum potentiarum infinitos, adeoqué per essentiam suam essentialiter intelligeret, essentialiter vellet, essentialiter operaretur, ita ut hæ actiones illi essent identificatæ, quod concedi non posse creaturæ ulli evidenter ostendunt innumera absurda, quæ ex his sequerentur; qualia sunt: quòd creatura talis esset essentialiter omniscia, omnipotens, æterna, immensa, infinita, suimetipsius absolutissima Domina, perfectissimè libera, &c. quæ perfectiones uni, soliqué Deo attribui tantùm possunt.

Physicè repugnat in quantitate continua categorematicum infinitum.

992 QUam repugnantiam, ut ostendamus, supponimus absolutè verum esse illud principium lumine naturæ notum: impossibile est ut pars totius sit toto vel major, vel ipsi æqualis; quidquid excipiant quidam asserentes illud habere locum in solis finitis entibus; sed quàm congrua sit rationi talis exceptio inde elucet, quòd omne totum creatum sit id, quod præter partem continet aliquid aliud, & æquale sit id, quod alteri perfectè congruit; non potest sanè dici hæc non competere infinito categorematico, quod totum esset creatum, alioquin negare etiam quis posset illud esse in genere accidentis, extensum divisibile &c. quia eâdem ratione dici posset istas esse proprietates entis, & quantitatis finitæ: imò eâdem ratione posset quis dicere, dabilem esse chymæram compositam ex pluribus entibus completis, licèt nullum aliud ens componi ex illis posset; Omnipotentiam Dei posse ponere realiter contradictoria, licèt potentiæ finitæ non possint: demum posse dari ens necessariũ simul, & contingens; licèt nulli enti creato hoc convenire queat; rerum enim creatarum finitati tribui posset talis impotentia tanquam ejus proprietas; imò eodem jure quis dicere posset falsum esse in infinito principium illud: quodlibet est, vel non est; multaqué his similia, quæ ne admittendo universam invertamus philosophandi rationem, necessariò dum de infinito agitur in primis principijs philosophicis, ijsqué naturæ lumine notis est sistendum.

993 Quo posito cùm infinitum categorematicum in extensione evertat principium illud suprà positum; evidenter sequitur illud repugnare; quòd autem evertat illud, patet, quia si daretur trabs, quæ inciperet in medio foro Græcensi, & infinitè extenderetur actu versus orientem, posset sine dubio faber quivis lignarius ex illa exscindere hic Græcij mille orgias; posset haud dubie deinde Deus residuum talis trabis attrahere usque ad idem forum: & tunc vel illa trabs residua occuparet totum illud spatium, quod prius occupabat, vel non? si primum: jam pars & totum occuparent idem spatium, eiqué corresponderent, & consequéter essent inter se æqualia, juxta illud: quæ æqualia sunt uni tertio, æqualia sunt inter se: si secundum; ergo jam Deus ex parte orientis videret in spatio infinito aliquem terminum, ultra quem se non extenderet trabs mille orgijs imminuta in sua extensione, ac consequenter videret in trabe & ultimum palmum, & utrinqué terminatam, quod dici non posse de infinito categorematico constat, cùm sic esset clausum finitis terminis, quod illi repugnat, siquidem esset finitum & infinitum, terminatum & interminatum, ut patet.

Physicè repugnat infinitum categorematicum in quantitate discreta, seu numero.

994 HÆc repugnantia pariter fundatur in alio certissimo principio: non potest idem realiter esse maximum, & non esse; quod principium falsum fore, si daretur infinitum categorematicum in numero,; patet; quia ille est numerus maximus, qui comprehendit omnes species, & omnia individua numerorum; nam quis alius foret numerus maximus si talis non esset? infinitus autem numerus necessariò cõtineret species omnes, omniaquè numerorum individua, hoc ipso quod infinitus esset; nam si vel unâ specie, aut individuo careret infinitus numerus non esset, uti constat à pari de infinito essentiali in omni genere, quale solus est Deus Opt. Max. cui si addi posset vel unica,

perfectio excogitabilis, eò ipso nec infinitus, nec maximus, nec DEUS foret.

995 Quòd autem numerus ille infinitus, maximus non esset, quæ est altera contradictionis pars probanda, ostenditur: tum quia ille numerus non est maximus, qui ab alio exceditur; atqui numerus infinitus hominum v. g. excederetur à numero oculorum, digitorum, ac capillorum eorumdem, ut patet; tum quia si daretur infinitum oculorum constans ex oculis dextris, & sinistris, numerus oculorum tantùm dextrorum, vel esset finitus, vel infinitus? non primum, quia per additionem etiam finitam alterius numeri oculorum sinistrorum non posset fieri infinitus: nõ etiam secundum, quia sic numerus infinitus dextrorum nõ esset maximus, cum excederetur ab infinito dextrorum simul, & sinistrorum, ut in comperto est. Atque ex his repugnantijs

Physicè repugnat quodvis aliud infinitum categorematicum creatum in quocunqué genere.

996 QUam veritatem, ut prætereamus plures, quas passim reperire est apud recentiores præsertim philosophos, ejusdem ostensiones, universim sic demonstramus. Si daretur infinitum categorematicum, illa, quam intra se contineret, multitudo seu perfectionum, seu numerorum, seu partium quantitativarum, &c. esset multitudo, ut nemo negabit, & non esset: quod probatur, quia omnis multitudo creata est aliquod compositum, seu aggregatum, quale non foret multitudo illa infinita; cùm necessariò ad hoc ut compositum quid esset, deberet constare partibus: partes autem illius multitudinis, nec finitæ, nec infinitæ esse possent; non finitæ, tum quia nihil finiti potest constituere infinitum; cùm inter finitum, & infinitum nulla sit proportio: tum quia si quæ esset pars finita talis infiniti, quælibet esset infinitesima, adeoqué æquales inter se sub eâdem nempè denominatione aliquota, ut ita dicam, & per idem infinitum multiplicata idem producens, quod dici non potest de parte aliqua finita; sed nec infinitæ essent illius multitudinis partes, quia pars alicujus totius non potest esse id, quod formaliter tot, ac tanta continet, quot ac quanta totum ipsum: prout cuilibet parti infinitæ infiniti accideret, ut ex dictis, est manifestum.

997 Cùm igitur multitudo infinita habere nequeat partes, multitudo non erit, adeoqué se ipsam evertit, dum importat implicantiam in adjecto, quasi diceretur multitudo simplex; quia nimirum infinitas quæcunqué actu dabilis, vi ipsius infinitatis in unitatem abit: sic DEUS infinitas perfectiones in unam simplicem unitatem colligit: sic continuum infinitudinem potentialem partium contrahit in unitatem actualem juxta Aristot. & communem Peripatheticorum: sic unica negatio actionis conservativæ tollere potest ens omne ab existentia.

Physicæ quædam rationes pro infinito categorematico resolvuntur.

998 HÆ præcipuè desumuntur à patronis categorematici infiniti ex Divina Omnipotentia, ejusqué termino: ex rerum possibilitate in statu possibilitatis consideratarum; ex DEI Omniscientia; & ex negationibus infinitis, quæ ex non admissione rerum infinitarum necessariò consequuntur. Verùm nullum ex his argumentis adeò est efficax, & irresolubile, ut nos cogat ad immutandam, vel in minimo nostram de infiniti categorematici implicantia, sententiam; & quidem non.

999 Prima, tum quia falsò innititur suppositio relationis transcendentalis DEI ad creaturas; tum quia potentia DEI infinitè perfecta est ex eo quòd possit producere creaturas non solùm successivè, sed etiam simul non tot quin plures, & perfectiores, ac perfectiores in infinitum in quocunque genere possibili.

1000 Neque etiam secunda adversariorum ratio intentum probat; nam possibilia in statu possibilitatis eo, & non alio modo sumi debent, quàm re ipsâ sint; cùm igitur non sint collectivè seu in una aliqua collectione objectiva simul, sed solùm distributivè, ita ut res nulla excogitabilis sit non possibilis, ideo nec in statu ipso possibilitatis, tam parùm quàm in statu actualitatis possibile est infinitum categorematicum, adeoqué id erit in statu puræ impossibilitatis, cùm repugnet, ut per ullam potentiam unquam reducatur in actum: patet id in entibus successivis, quæ implicant simul poni; in durationibus rerum, quæ semper esse possunt majores ac majores: in generationibus, quæ nullæ fieri possent, si omnia, possibilia individua simul essent posita: in eo item, quòd quidlibet cum quolibet esset continuum, seu unitum cum quo unibile est, & simul ab eodem divisum, cùm utrumque sit positivè possibile.

1001 Nec tertia pro infinito categorematico ratio desumpta ex objecto Omniscientiæ Divinæ efficaciùs assequitur finem, ob quem est excogitata, nam DEUS cognoscit totum, quod est cognoscibile distributivè, non verò collectivè; cùm enim DEUS res perfectissimè cognoscat illas consequenter cognoscit prout sunt in se ex parte ipsius objecti; adeoqué si infinitum categorematicum in se repugnat, repugnat etiam in mente DEI; & si in se collectivè tale non est, nec in Divina mente tale erit: quis enim confibularet, aut in unum colliga-

ret,

ret. ac colligeret cuncta? ipsané Dei cognitio? at ea purè speculativa est nihil ponens in objecto. An ipsa Dei Omnipotentia? sed hæc nihil operatur circa objectum in statu puræ possibilitatis consideratum. An fortè res ipsæ inter se sunt vinculatæ occulto nobis vinculo? at hoc ipsum quòd occultum sit, non est ratio illud asserendi, nisi chymæras velimus fingere in rebus, quæ inter se sunt essentialissimè distinctæ.

1002 Cognoscit igitur Deus quidquid est cognoscibile simul simultate suæ unius, ejusqué indivisibilis cognitionis, non verò simultate aliquâ objectivâ seu tenente se ex parte ipsorum objectorum cognoscibilium, cujusmodi nulla est assignabilis: sic dum cognoscit omnes dies, & cogitationes futuras in æternitate, nec cognoscit infinitum actu, nec finitum actu, sed finitum in infinitum in potentia, id est effectus in potentia latentes taliter, ut nunquam tot possint educi, quin educi possint plures & plures, nunquam verò possint actu educti esse infiniti, sicqué rectè dicitur infinitum potentiâ continere actum permixtum potentiæ, ita ut semper maneat ampliùs & ampliùs ponibile.

1003 Neque in his omnibus fieri potest transitus, ut quidam putant, à sensu distributivo ad collectivum, quia transitus iste tunc solùm factibilis est, quãdo prædicatum aliquod ita convenit singulis in aliqua multitudine contentis, ut convenire possit etiam omnibus simul: & hinc valet: materia, forma, & unio sunt ens creatum: ergo est totum ens creatum: non verò materia, forma & unio, sunt entia incompleta, ergo totum est ens incompletum, quia scilicet esse ens incompletum convenit solùm singulis, esse verò ens creatum convenit non solùm singulis partibus, sed etiam toti.

1004 Ultima demum ratio desumpta ex negatione infiniti, infinitum dari in negationibus minimè probat; tum quia dici potest unicam solùm esse negationem, per quam omne infinitum negatur; sicut si dabile esset actu, unica tantùm esset actio illius productiva in actum; tum quia tot sunt negationes tantùm, quot sunt res, quæ negantur; res autem quæ negantur, sunt solùm finitæ in infinitum, adeoqué & negationes ipsæ tantùm finitæ essent in infinitum. Alias, quæ adferri solent pro categorematico infinito, rationes, quia passim solutæ reperiuntur, & sufficienter ex dictis expediri possunt, ut quæstioni de infinito finem statuamus, scientes præterimus.

Physici entis naturalis quarta proprietas, seu quantitas.

1005 Ultima ordine, sed dignitate præcipua, entis naturalis proprietas est quantitas, tot punctis interpuncta, tot lineis delineata, tot superficiebus contenta, tot divisionibus, atque numeris discreta, & involuta, ut unanimi consensu fateri omnes debeant eam esse labyrinthum, in quem introitum multi, exitum nemo hactenus invenerit, ita ut nullus humanus intellect⁹ quantumvis perspicacissimus, hactenus fuerit, qui paleæ, vel pili unius structuram evolvere potuisset; crediderim equidem, ut humani ingenij, vel in unguis compositione cæcutientis elatio, detumescat.

1006 Porrò quantitatis nomine, quam dari nemo dubitare potest, nisi sensus & rationis impos, illa entis naturalis passio intelligitur, vi cujus res quælibet dicitur tanta, vel quanta, magna, aut parva, &c. & per quam extenditur vel in ordine ad locum, vel in ordine ad tempus⁹.

1007 Illius definitionem tradidit Aristotel. 5. metaph. quando dixit: quantum esse id, quod est divisibile in ea, quæ insunt, quorũ utrumq; vel unum quodque unum quid, & hoc aliquid aptum est esse; hoc est quantum est, quod potest dividi in partes, quæ sunt in ipso, quarum partium quælibet potest esse unum, si scilicet ab altera parte dividatur.

1008 Porrò dividi solet, & rectè, quantitas in Continuam & Discretam: discreta est multitudo, sive numerus, qui definitur, id quod est divisibile in non continua: Continua verò est magnitudo quælibet; quæ si omnes partes habeat simul existentes, sicut habet v. g. palmare lignum, dicitur permanens; si verò partes habeat, quæ consistere simul non possint, dicitur successiva.

1009 Harum utramque realiter distinctam esse à re ipsa quanta, & authoritate, & ratione est certum: authoritate quidem, quia fide est certum remanere in hostia consecrata quantitatem panis pereunte ejusdem materia; hostia enim consecrata æquè est post consecrationem cum manu impenetrabilis, ac antea: æquè calefit, ac humectatur secumqué trahit cætera omnia accidentia, quæ ante consecrationem habebat, quòd fieri non posset nisi in hostia esset quantitas. Ratione verò, quia non magis repugnat conservari à Deo quantitatem sine materia, quàm lumen sine dependentia à sole, cur enim negetur hæc quantitatis subjectio respectu Dei, cùm eadem concedatur lumini? Cùm igitur lumen dependens à sole realiter à sole distinguatur; non est cur negemus quantitatem pariter, realiter distingui à materia.

Physica quantitas non componitur, nec componi potest ex punctis indivisibilibus.

1010 Nulla dari defacto, imò nec fortè de possibili dabilia esse, puncta ulla indivisibilia, seu

seu Zenonistica, & formalia, seu inflata & virtualia in quantitate, nobis inde physicè fit certum; & quidem primùm, quia si darentur indivisibilia Zenonistica, sequeretur quòd mobile velocissimum non posset plus spatij intra horam v. g. conficere, quàm conficiat mobile tardissimum; licèt enim velocissimum sit mobile, in quolibet tamen instanti temporis non posset acquirere de novo plus spatij, quàm sit unius puncti; & licèt sit tardissimum, minus acquirere non potest spatij, quàm sit unum punctum; adeoq; singulis instantibus tantundem spatij conficiet mobile tardissimũ, quantum velocissimum; atque ita canis venaticus nunquam assequi posset leporem, quantumvis fessum unico passu præcedentem; nunquam Ungaricus miles assequeretur Turcam unico gradu à se fugientem; atque æquè velociter perveniret ad metam, qui tardigradum asinum stimulat, quàm qui velocissimo equo insidet, quæ cùm absurda sint, & contra rationem, ac experientiam, puncta Zenonistica, ex quibus illa sequuntur, reijcere meritò debemus.

1011 Imò nec de possibili fortè illa esse dabilia, constat ex eo, quòd omninò superflua, & ad nullum finem dirigibilia forent: nam estò illa darentur, compositioni tamen quantitativæ nullatenus possent deservire; sive illa infinita essent, sive finita; tum quia unum indivisibile additum alteri impossibile est, ut faciat extensionem continuam; nam vel unum tangeret alterum secundum se totum, & sic cum illo penetraretur, nec occuparet spatium majus, vel illud tangeret solùm secundum sui unam partem, & sic indivisibile non esset; tum quia si infinita essent, daretur infinitum actu, & quidem ordinatum, ac utrinque terminatum, linea enim palmaris constaret punctis infinitis actu, in quibus assignari posset primum & ultimum saltem secundum ordinem, omniaqué puncta intermedia essent ordinatè inter se dispositа unum post aliud, alioquin constituere *1016* non possent longitudinem. Tum quia dari non posset una quantitas major aliâ; siquidem quælibet ex indivisibilibus infinitis componeretur.

1012 Quòd autem nec finita esse possent, præter argumenta evidentia Mathematica, quæ suo loco infrà adferemus, argumentum physicum est, quòd non posset dari motus velocior, & tardior; tam enim equus velocissimus, quàm tardigrada testudo per unum indivisibile motûs acquirere nequiret nisi unum indivisibile spatij.

1013 Neq; dici potest equum velociùs moveri quàm formicam, quia per pauciores morulas motum interrumpit, quàm formica: si hoc enim esset verum, in formica movente sese deberet esse illius quies longè sensibilior, quàm motus; nam post singula motûs instantia deberet quiescere per instantia propè innumerabilia.

1014 Hoc patet clariùs in Celoce, quæ moveri solet adeo velociter, ut spatio unius horæ conficiat viginti quinque milliaria Italica, ea enim datis punctis moveretur solùm per millionesimam partem horæ, alijs verò horæ partibus quiesceret; quod constat inde, quòd stellæ, quas vocant fixas, spatio unius horæ, ut Astronomi observârunt, conficiant majus spatium, quàm sit per millionem repetitum spatium 25. milliarium, adeoqué Celox intra horam quiesceret per nongenta nonaginta novem millia instantium, unicoqué tantùm moveretur: sic pila bombardæ, quæ, ut docent Polemicæ periti, duobus minutis temporis conficit quatuor Italica milliaria, quo tempore quædam stellarum conficiunt plusquam 840. millia milliarium, quæ se habent ad quatuor milliaria, sicut 105. millia ad unum, & consequenter dum pila bombardæ moveretur, post unum instans motûs, quiesceret 105. millibus instantium, quòd quis credat conscius virtutis motivæ globi ex bombarda emissi adeò vehementis, & violentè, ut post unum instans motus per 105. millia instantia maneat otiosa: adeoqué mera videtur esse chymæra dicere continuum componi ex indivisibilibus Zenonisticis.

1015 Nec majori usui sunt puncta, seu indivisibilia, quæ inflata dicuntur; tum quia admissis talibus punctis, ijs concedi deberet æqualis, si non major, perfectio, quoad occupationem loci, quàm concedatur animæ rationali, vel Angelo; cùm Angelus positus in suo loco adæquato naturaliter sibi competente, nequeat esse in loco decuplo majori, hoc autem deberet necessariò concedi punctis illis inflatis uti ipsi ipsorum Patroni docent, quod adeò absurdum visum est ingeniosissimo P. Hurtado, ut puduerit ipsum id oppugnare.

1016 Ex quo facilè deduci potest talium punctorum implicantia: cùm præsertim estò darentur, ex illis tamen componi non posset continuum, eò quòd ens materiale ex illis compositum non distingueretur in virtute occupandi spatium ab ente spirituali, cùm esset totum in toto, & totum in qualibet spatij parte; quo semel concesso ratio non supereſt, cur non possimus etiam dicere terram, vel solem, vel etiam totum cœleste spatium esse unicum punctum, sed extensum ad spatium illud ampliſſimum, quod defacto vel à mortalibus in terra occupatur, vel à sideribus in cœlo occupari videmus, quo quid esse potest absurdius dictu in veræ Philosophiæ?

Physica puncta continuativa aut terminativa in quantitate non dari, est probabilius.

Hujus

1017 HUjus majoris probabilitatis argumentum est, quòd videatur implicare ut punctum tangat partem, siquidem nequit coëxtendi & coæquari ipsi parti, alioquin punctum indivisibile non esset, sed tantum quâta est ipsa pars, cui coæquaretur; deberet enim jungere partem parti, secundum omnes partes partis, adeoqué punctum parti esset æquale, quod dici non potest. Et præsertim spectato fine, ob 1021 quem talia puncta continuativa defenduntur ab eorum Patronis; ideo enim ea admittunt, ut sint uniones partium, & consequenter ipsarum modi; hoc autem dici non posse patet, quia de essentia omnis modi est, ut sit intrinsecus suo modificato; intrinseca esse nequeunt puncta continuantia, cùm punctum parti divisibili lineæ intrinsecum esse non possit, alioquin non esset minus, sed æquale omnimodè partibus, quas continuaret.

1018 Eadem ratio militat contra puncta terminantia; & insuper accedit illa, quòd absque talibus punctis continuum esse possit terminatum; hoc ipso enim quòd partes continui dicant negationem ulterioris extensionis, sufficienter terminantur; sicqué continuum terminatur positivè se ipso, & negativè per ipsam ulterioris extensionis negationem; quæ negatio fundatur in ipsa positiva partium entitate: & quia continuum terminari potest secundum varias figuras absolutè, & in ordine ad se spectatum, semper negabit ulteriorem profunditatem, latitudinem, & longitudinem; spectatum verò in ordine ad alia continua diversimodè figurata, quæ potest tangere, aliquando in ipso contactu negabit profunditatem, superficiem, & lineam, aliquando profunditatem tantùm, & superficiem, aliquando solam profunditatem.

1019 Neque per hoc detractum quidquam imus Mathematicæ Scientiæ, quia nos hîc agimus de punctis, lineis, superficiebus, & corporibus secundum considerationem physicam versantem circa illa, ut non abstracta à materia sensibili, non verò secundum considerationem Mathematicam, quæ abstractum suum objectum à sensibili materia, considerat illud solùm prout non abstrahens à materia imaginaria, uti suprà initio Logicæ insinuavimus, & infrà ampliùs fortè ostendemus; cùm autem hactenus 1023 dicta tam continuæ quàm discretæ quantitati promiscuè conveniant, ideo speciatim ut de continua agamus, consideranda venit ipsa imprimis

Physica quantitas continua non constans minimis physicis.

1020 QUantitas continua, cujus primus & essentialis conceptus, prout à substantijs, reliquisquè accidentibus realiter distinguitur, formaliter consistit in radicali impenetrabilitate seu exigentia proxima extensionis partium non secundum se, sed respectu & in ordine ad locum; aptissimè in concreto definiri solet, quòd sit id, quod est divisibile in semper divisibilia, non ex indivisibilibus, sed ex partibus in infinitum divisibilibus compositum, quod certum est ex dictis.

1021 Licèt veritatem hanc revocent in dubium ingenioси quidam recentiores, qui post Doctissimum P. Cabæum 4. meteor q. 7. probabiliter valde, utpote maximè humano captui satisfacientes, existimant continuum componi ex minimis physicis, sive ex particulis finitis minimis, & physicè tantùm indivisibilibus. Verùm quia nobis non licet, nec modò vacat præfixos excedere limites, bonâ eorum pace, illorum non amplectimur placitum; tum quia minima ista physica non videntur tollere difficultatem, quam omnes in explicatione compositionis continui experiuntur, cùm talia minima saltem supernaturaliter sint ulteriùs divisibilia; tum quia talibus minimis admissis dari non possent lineæ inter se incommensurabiles, contra comunem & certam doctrinam Euclid.; linea enim tunc aliud nihil esset, quàm multitudo aliqua minimorum infinita ordinatè dispositorum; quælibet autem multitudo est cum alia comparabilis, ut numerus ad numerum, quod ad commensurabilitatem & requiritur & sufficit, uti patet ex 10. Elem. prop. 6. & sequentibus. Ac proinde

Physica continua compositio, nec fit ex partibus omnibus actu distinctis.

1022 SI enim continuum constaret partibus omnibus realiter distinctis actu, præterquam quòd minimus pilus actu esset categorematicè infinitus, idem ipse constaret necessariò ex meris indivisibilibus; nam esse partes omnes in continuo distinctas actu, est singulas habere suam unitatem numericam, & singulas posse numerando accipi, cùm unum sit indivisum in se, & divisum à quolibet alio; si igitur partes re ipsâ sunt actu distinctæ, re ipsâ unum non erunt, sed quælibet distinguetur à quacunqué alia, quæ non est ipsa.

1023 Distinctio enim actualis inter omnes partes continui si daretur quoad dandam unitatem parti, æquivalet divisioni, quia hæc distinctio est talis, ut admittat contrarias negationes, & vi cujus non solùm potest dici hoc & illud, sed etiam hoc in re non est illud; adeoqué cùm de illis dici possint contradictoria, quælibet pars haberet suum distinctum esse ab alia, & unaquæqué esset entitas una ab alia distincta, sicqué quælibet foret ulteriùs indistinguibilis, & consequenter indivisibilis: nam entitas quævis, quæ indistinguibilis est, à fortiori

tiori eſt indiviſibilis, niſi quis ludere velit in nomine; ſiquidem certum eſt, quòd omnis diviſio neceſſariò præſupponat diſtinctionem; cùm igitur nequeant partes actu diſtinctæ ulteriùs diſtingui, non poterunt etiam ulteriùs dividi, & conſequenter erunt ſicut indiſtinguibiles ita & indiviſibiles; adeoqué continuum conſtans ex partibus actu diſtinctis, conſtaret ex meris indiviſibilibus.

1024 Neque eſt quòd admirabundi quidam dicant, Petrus eſt indiſtinguibilis à Paulo, ergò eſt indiviſibilis: mons Schökll indiſtinguibilis eſt à monte Arcis Græcenſis, ergò eſt indiviſibilis. Nam cuilibet intelligenti eam, quæ in his terminis latet, æquivocationem, ſtatim innoteſcit, quòd hoc ipſo, quòd Petrus ſit indiſtinguibilis à Paulo, ſit realiter diſtinctus à Paulo, ergo etiam hoc ipſo quòd Petrus ſit indiviſibilis à Paulo, hoc eſt actu diviſus à Paulo, non ſit ampliùs in potentia Logica dividendus à Paulo, quia jam actu eſt ab ipſo ſeparatus, & diviſus; idemqué dic de montibus, alijſqué hujuſmodi inſtantijs, nè fiat tranſitus à ſuppoſitione determinata, ſeu perſonali, ad ſuppoſitionem ſimplicem, ſeu abſolutam, quod in materia alioquin obſcuriſſima, ſæpiſſimè contingit. Hoc ipſum autem debitè applicando partibus in continuo, ſi eſſent omnes actu diſtinctæ, manifeſtè elucet, illas omnes fore indiviſibiles. Sed

Phyſica compoſitio continui neq; conſtare poteſt ex partibus tantùm potentiâ diſtinctis.

1025 HOc inde nobis perſuademus, quòd quæ realiter diviſibilia, & ſeparabilia ſunt, diſtinguantur inter ſe actu ante ipſam actualem ſeparationem; partes autem continui determinatæ, v. g. caput, collum, manus, &c. in humano continuo, vel quatuor palmi in ulna ſunt realiter ab invicem ſeparabiles, adeoqué hæ partes determinatæ, cùm determinatæ menſuræ menſuranti correſpondeant, diſtinguentur ante omnem ſeparationem; alioquin dicere quis poſſet, quòd corpus & anima dum ſunt in compoſito unita, non diſtinguantur actu, ſed ſolùm, cùm ſeparantur, incipiant actu diſtingui. Accedit quòd de partibus finitis, & determinatis continui verificentur actu contradictoria; verum namqué eſt dicere, quòd caput non ſit pes, quòd palmus A ligni non ſit palmus B. Ex quibus omnibus non difficile eſt oſtendere

Phyſicam compoſitionem continui conſtare partibus partim actu, partim potentiâ diſtinctis, ſeu finitis in infinitum.

1026 PArtes enim in continuo quolibet ſunt non tot quin plures ſemper minores & minores, ita ut nunquam deveniri poſſit ad certam & determinatam minimam, & conſequenter ſunt infinitæ ſyncategorematicè; ad infinitum autem ſyncategorematicum eſſentialiter requiritur, ut aliquid illius ſit partim actu partim potentiâ, adeoq; neceſſe eſt, ut partes in continuo partim actu partim potentiâ diſtinctæ ſint; ſi enim partes omnes eſſent actu diſtinctæ tantùm, nullam involverent poſſibilitatem, ſi tantùm potentiâ, nullam actualitatem; quomodocunque ergo ponantur ex hiſce duobus modis ſingillatim, non ſufficient ad conſtituendum ſyncategorematicũ infinitum; adeoq; ut verum ſit, quod omnes concedunt Peripathetici, non tot quin plures partes eſſe in continuo, ſeu ſyncategorematicè infinitas, neceſſariò dici debent partim actu, partim potentiâ diſtinctæ; cùm nemo negare poſſit omne continuum eſſe in Ariſtotelica ſententia unum actu, poteſtate autem plura, ſic aqua muræ eſt quidem actu una, poteſtate tamen dividi poteſt in plures minores & minores.

1027 Nec eſt quòd quis dicat continuum eſſe diviſibile in partes, vel quas modò habet, vel quas modò non habet; non primum, quia partes omnes eſſent actu diſtinctæ; non etiam ſecundum, quia per diviſionem non acquirit novam entitatem. Contra enim eſt, quia continuum diviſibile eſt in partes, quas modò habet, & eo modo, quo illas habet; cùm igitur eſſentialiter habeat partes partim actu, partim potentiâ diſtinctas, neceſſarium eſt ut poſſit tantùm in eaſdem dividi, & hoc ratione infinitudinis ſyncategorematicæ, quæ neceſſariò in continuo involvitur; adeoqué dum dicitur diviſionem præſupponere diſtinctionem vel actualem, vel potentialem, vel utramque ſimul, verum eſt; tantùm actualem, eſt falſum: uti optimè patet ex ſingularibus extra naturam univerſalem præciſam realiter diſtinctis, ex effectibus qui intra potentiam cauſæ ſunt omnino ijdem, extra illam diverſi, ex partibus exiſtentibus in toto extraqué illud &c.

1028 Neque quis replicet rurſus, quòd implicet, ut partes aliquæ diſtinguantur in continuo ſolùm potentiâ, quia implicat ut quæ actu non diſtinguuntur poſſint actu diſtingui, cùm idem ſint actu. Nam id verum eſt reſpectu eorum, quæ in diſtinctione retinent eandem actualitatem, non verò reſpectu eorum, quæ per diſtinctionem eandem mutant; quod accidit in continuo, in quo partes potentiales non diſtinguuntur actu retinendo eandem actualitatem, ſed mutando illam, ita ut loco partium, quæ non diſtinguuntur actu ſuccedant aliæ æquivalentes actu diſtinctæ; ſic in palmo duo ſemipalmi non diſtinguuntur actu ſi remaneant cum eadem actualitate; at quia loco palmi ponuntur duo ſemipalmi, qui continentur in potentia palmi, ideo mutando actualitatem ſuam

suam fiunt distincti: adeoqué quæ sunt realiter separabilia retinendo eandem actualitatem sunt actu distincta, sic quilibet è quatuor palmis in ulna, qui ulnare continuum constituunt, potest ab altero separari, & dividi retinendo eandem palmarem actualitatem, ideò realiter unus ab altero est distinctus actu; at verò quæ sunt realiter separabilia ita ut per separationem non retineant eandem actualitatem non sunt actu, uti diximus, sed potentiâ tantùm distincta, cujusmodi sunt omnes partes inclusæ, & indeterminatæ in continuo.

1029 Cujus rei ratio, & explicatio est, quia omnis potentia potest reduci in actum transmutando id, quod est potentiâ tale in aliquid actu tale, v. g. quia aqua actu frigida, est calida potétiâ, potest per calefactionem transmutari in calidam actu; sicut ergo frigidum actu, sed calidum potentiâ potest per calefactionem transmutari in calidum actu, sic continuum carens aliquibus partibus actu distinctis, sed habens illas in potentia potest per actualem distinctionem, & divisionem transmutari in continuum tales partes habens actu.

1030 Neque est difficilius, quòd ex non habente aliquas partes distinctas actu fiat habens illas actu distinctas, quàm quòd ex non habente calorem actu fiat habens calorem actu; nam sicut actu non calidum, est calidum potentiâ, sic actu non habens partes actu distinctas, est habens eas distinctas potentiâ: Nullum siquidem datur continuum separatum, in quo non dentur plures partes actuales, licèt deveniatur statim ad partes potentiales, quæ non constant ex partibus actualibus, sed faciunt unum cum partibus actualibus; adeoqué ex continuo non potest discontinuari pars ulla, quæ non constet partibus pluribus, & sit totum, quasi potentiale, habens plures partes, quia nimirum eo ipso talis pars crearetur, cùm nihil in illa esset, quod ante extitisset: partes igitur potentiales sunt semper in continuo constante ex multis partibus actualibus, & hoc vi infiniti syncategorematici, quod in quovis continuo involvitur.

1031 Neque demum quis dicat hoc explicandi modo accumulari potiùs quàm explicari difficultates, quæ in continui compositione involvuntur, nam hac ratione nec potest explicari corporum contactus; nec potest salvari ipsa partium continuatio absque multiplicatione infinitarum unionum; neque potest dari discrimen inter continuum, & contiguum.

1032 Nam contrà est imprimis ostendendo quo pacto sphœricum tangat planum, nempe in puncto negativè tali; hoc est, non quòd illud tangat in aliqua indivisibili entitate excludente omnem dimensionem; sed quia ratione diversæ figuræ quam habet, illud incommensurabiliter tangit; sive quod idem est, sphœra ita est plano proxima, ut nulli ejus parti determinatæ sit proxima; cùm autem toti plano absque penetratione magis approximari nequeat, estò singulis ejus partibus approximari possit in infinitum, ideo sphæra dicitur tangere planum in indivisibili negativè, non positivè, eò quòd impossibile sit, ut pars curva positivè unquam coæquetur rectæ.

1033 Deinde ad illam multitudinem unionum, dicimus, non tantùm multitudinem, sed nec unam quidem dari in continuo unionem; cùm enim partes quantitativæ ejusdem continui homogeneæ sint, sufficienter se ipsis uniuntur positâ solùm debitâ approximatione cum cæteris requisitis; adeoqué superfluit unio distincta in continuo, non minùs quàm superflua sit in conjunctione accidentium ad substantiam; sicut enim per hoc præcisè, quòd albedo ponatur in subjecto, præcisis quibuscunque alijs illi inhæret, eidemqué dat suum formalem effectum albi: ita ex duabus guttis aquæ debitè applicatis, & approximatis resultat statim una aqua major; non secus quàm ex duobus caloribus positis in eadem parte subjecti, & se ipsis unitis consurgit qualitas intensior; debita enim approximatio cùm à singulis guttis aquæ tollat negationem ulterioris extensionis, per quam erant duæ, facit ex duabus unam ponendo aliam extensionem; non secùs quàm actio, quæ rem extra causas ponit, faciat rem hoc ipso existentem.

1034 Demum salvatur etiam per nostram hanc de compositione continui sententiam, sufficienterqué solvitur id, quod de distinctione contigui, & continui addebatur; in quo esse nequit difficultas, si benè intelligantur eorum definitiones, quatenus ad invicem ipsa comparantur: Contigua enim sunt illa, quorum extrema sunt simul, hoc est simultate fundamentali per quam ea ita sibi sunt proxima, ut inter illa nihil quoad sensum mediet: Continua verò dici solent illa, cujus partes copulantur termino communi, negativo scilicet; ex eo enim quòd partes continui dividi possint, habemus fundamentum concipiendi in illis aliquod indivisibile, quod negativum dicimus, eò quòd quasi designet divisionem, & sectionem possibilem.

Physicæ Quantitatis Discretæ, seu successivæ notio, quidditas & quotuplicitas.

1035 NOmine Quantitatis Discretæ, seu successivæ, intelligunt Philosophi ipsum quando rei, seu tempus, cui res quælibet creata coëxistens, ac commensurata durare dicitur: hanc quidam nec malè quintam entis naturalis proprietatē dicunt; sed quia est de genere quantitatis, aptiùs sub nomine quantitatis generico, unica tantùm tam continua, quàm discreta

ta quantitas pro proprietate physici entis assignatur, licèt magis specificè, & divisim loquendo, duæ dici possint.

1036 Discretam autem hanc quantitatem dari, & esse in natura tempus reale, à nemine, qui quidpiam sapit, negari potest, cùm evidens sit dari motus successivos, eosqué durare, quorum duratio aliud non est, quàm tempus, quod etsi sit nobis notissimum, naturâ tamen suâ difficillimum est intellectu, uti benè id declarat D. August. lib. 11. confess. aiens: quid est ergo tempus? si nemo ex me quærat scio, si quærenti explicare velim, nescio.

1037 Attamen debita cum reverentia tanti Doctoris, ausi sunt plus aliquid Peripathetici, secuti Aristotelem, qui temporis naturam aliquatenus explicaturus 4. phys. asserit: tempus esse numerum motûs secundum prius & posterius: hoc est, non numerus numerans, qualis est actus intellectûs, partes motûs numerantis, easqué in unum colligentis, sed numerus numerabilis, seu numeratus quatenus substare potest numero numeranti, quovè utimur ad rerum durationes mensurandas, non secùs quàm utamur spatio ad mensurandas earundem ubicationes.

1038 Unde tempus re ipsâ aliud non videtur esse, quàm numerus partium motûs, quæ dum transeunt, possunt vel absolutè, vel cum certo conatu numerari; sic tempus quo durat una circulatio diurna solis est numerus partium motûs, quæ possunt numerari à motrice intelligentia dicente, unum, duo, tria, &c. ac propterea in data descriptione dicitur numerus motûs, ut nempe denotetur illud nõ esse quascunque unitates numerabiles, sed tantùm partes motûs: & nè putetur esse numerus partium motûs simul coëxistentium, sed successivarum, adduntur ideo illæ particulæ secundum prius & posterius, cum illæ solùm partes, quæ sibi invicem succedunt, dicantur priores & posteriores. Sic utcunque descriptum tempus dividitur in extrinsecum & intrinsecũ: quam divisionem sufficienter comprobat unanimis Philosophorum consensus.

Physici temporis extrinseci Dimensio, ejusq; ultima mensura.

1039 EXtrinsecum tempus constat illum esse numerum motûs secundum prius & posterius, quo omnes nostras actiones, & rerum quarumlibet durationem metiri solemus; adeoq; esse debet mensura notissima, communis omnibus, invariabilis, & divisibilis in partes plurimas, ut sic sit ad dimetiendum aptior: atque hinc ex communi ferè populorum consensu tempus extrinsecum reputatur esse ipse solaris motus tam annuus, quàm diurnus, utpote ex omnibus maximè notus, & usitatus, quiqué circulationibns suis diurnis 365. cum dimidia, signa Zodiaci percurrens annum constituit, atque juxta hunc tam annuum, quem in duodecim menses partimur, quàm diurnum, quem 24. horæ constituunt solis motum durationes rerum omnium sublunarium extendimus, & dimetimur ita, ut dicamur tot horis, diebus, &c. fuisse, vixisse, &c.

1040 Verùm quia cùm ipse solis motus, cæteraq; sidera, ac cœlestia corpora durent, nihilq; creati esse possit sui duratio, hinc necessarium est statuere aliquam aliam ultimatam mensuram, cui & ipse solis motus, cœlestiumqué reliquorum corporum durationes ultimò commensurentur, quam aptiùs assignare nequimus, nisi assignando ipsam Primi motoris Æternitatem, formaliter quidem indivisibilem, eminenter tamen, & virtualiter multiplicem. Cujus nostri placiti ratio est, tum quia si posset talis mensura desumi per ordinem ad aliquid aliud, maximè desumeretur per ordinem ad tempus imaginarium, uti complures docent; hinc autem desumi nequit: tum quia tale tempus nullibi est, tum quia hoc ipso quòd imaginarium est ens reale physicum esse nequit, tum quia estò ens reale esset, adhuc se ipso illud non duraret, neque suæ durationis mensuram à se ipso desumeret, sed necessariò ab aliquo alio.

1041 Spatium igitur imaginarium quomodocunque explicetur ad commensurationem, & periodos temporum certas, & determinatas habendas, non est aptum, adeoque ultimò desumi illæ debebunt per ordinem ad ipsam Divinam æternitatem eminenter multiplicem. In qua difficultate proportionaliter discurrimus eodem modo, & ijsdem rationibus, quibus suprà, immobilitatem loci extrinseci desumendam esse ostendimus à multiplici virtualiter, seu eminenter DEI Immensitate.

Physici temporis intrinseci, seu durationis existentia, quidditas & quotuplicitas.

1042 PRæter tempus extrinsecum omnibus rebus creatis commune, dari etiam particulare & proprium cuiq; rei intrinsecum, quod propria cujusq; rei duratio communiter nuncupatur, & est id, quo res formaliter perseverat in tempore, non potest esse sapientibus dubium. Non consistit illa in sola rei existentia; cùm dari possit existentia Petri v. g. absque eo quòd Petrus duret uno mense, vel año; si enim duratio Petri menstrua, vel annua esset re ipsâ ejus existentia, sequeretur rectè eam esse indivisibilem, permanentem, totam simul, atque successionis expertem; nam in ea nec esset præteritum, nec futurum, sed duntaxat præsens, cùm hæ temporis differentiæ convenire

non

non possint, nisi rei, quæ partes distinctas, ac fluentes habet; quod enim præsens est futurum non est, sicut id quod præterijt nec præsens, nec futurum est, ut constat.

1043 Sed neque consistit in aggregato rei existentis & temporis extrinseci, cui res collabitur: potest siquidem dari res, & hæc pars realis temporis absque eo, quòd res duret hâc parte temporis, illiqué coëxistat, adeoq; quod est rem durare in hoc tempore, est aliquid distinctum ab aggregato existentiæ rei, & existentiæ temporis extrinseci secundum se sumptæ.

1044 Nec urget id, quod nonnulli dicunt, durationem Petri in instanti A esse Petrum & instans, & volitionem, quâ Deus efficaciter statuit ut Petrus tali instanti duret. Nam sicut dici non potest rem esse quantam, qualem, ad aliquid, &c. formaliter per volitionẽ Dei, ita dici nequit rem esse durantem per extrinsecam à volitione Dei denominationem: si enim Petrus durat per volitionem Dei, certè pari ratione quis dicet Petrum existere per aliquod Divinum prædicatum, ut Manichæi delirabant.

1045 Distinctam insuper esse durationem ab ipsa actione, vel primò productiva rei, vel deinde ejusdem conservativa censemus probabilius: primum patet inde, quòd aliud sit rem existere ab his determinatis causis, aliud existere in hoc determinato tempore potiùs quàm in alio; illud per actionem productivam habetur formaliter, hoc verò per durationem: actio enim per quam res producitur, est prior prioritate viæ, & ut quo ipsâ re productâ, duratio verò per quam res durat, non est prior, sed posterior re productâ; ideo namq; res durat, sive existit hoc tempore, quia absolutè existit, & non è contra. Alioquin quo pacto intelligi posset prius naturâ rem existere in tempore quàm absolutè existat? certè pro illo priori existeret absolutè, & non existeret; existeret absolutè, quia existere in tempore, sicut existere in loco absolutam existentiam supponit; non existeret absolutè, quia per ipsam existentiam in tempore existeret.

1046 Confirmatur hoc totum inde, quòd duratio sit essentialis ratio formalis intrinseca, quâ res formaliter & intrinsecè perseverat tali tempore in esse, accepto per actionem productivam, quæ simpliciter terminatur ad esse ipsum rei, non verò ad tempus rei, cùm res in primo instanti sui dicatur incipere, non verò durare, ut constat.

1047 Ex quibus etiam patet durationem ab ipsa actione cõservativa distingui, quia nempe hæc abstrahit ab eo, quòd res sit heri, hodie, &c. prior vel posterior alterâ, adeoqué ut potiùs sit hodie quàm cras, opus est aliquâ aliâ formâ determinatâ, & determinante ad esse hodie superveniente rei jam productæ, & positæ in esse extra causas, quæ forma aliud non est, quàm modus seu modalis entitas successiva realiter modaliter distincta à re, & tempore extrinseco: cùm sit ultima actualis determinatio rei, secundum se indifferentis ad durandum hoc vel illo tempore, ad hoc determinatum tempus: quod cùm sit essentialiter divisibile, & successivum, perpetuoqué fluens per momenta priora & posteriora, consequenter ipsa duratio, quæ est determinatio ad tempus essentialiter successivum, necessariò opus est, ut sit pariter successiva, siquidem intelligibile aliàs non esset, quo pacto extenderet diversimodè existentiam rei, eamqué commensuraret successivo tempori.

1048 Neque id quod quidam dicunt de æternitate indivisibili Dei quidquam urget, cùm ab ea ad durationem creatam nulla sit paritas, eò quòd toto genere differant.

1049 Nec etiam id quod alij adferunt, multum premit, videlicet quod ex duratione essentialiter successiva sequeretur Deum nõ posse conservare rem aliquam uno instanti, postquam semel extitit in anteriori; hoc siquidem libenter admittimus utpote tam parum officiens perfecto Dei dominio, quàm chymæræ impossibilitas Divinæ omnipotentiæ; sicut enim Deus nequit producere chymæram ex eo tantùm, quòd hæc essentialiter produci implicet; ita nec potest durationem essentialiter affixam instanti A, ponere, & conservare instanti B, eò quòd illi repugnet existere in instanti B, cùm essentialiter affixa sit instanti A.

Physica Duratio indivisibilis creata probabiliùs dari nequit, sicut nec Duratio ad durationem formaliter.

1050 ARgumentum, quo ad primum asserendũ inducimur est; tum quia si dabilis esset duratio, defacto daretur, utpote maximè conveniens, & proportionata Angelis, animæqué rationali in statu separato, adeoqué ijs debita tanquam proprietas; tum quia perfectissimo Dei dominio directè opponeretur; esset enim à Deo essentialiter indestruibilis, redderetqué intrinsecè indestruibile suum subjectum pro toto eo tempore, pro quo faceret illud durare: de ratione autẽ perfectissimi dominij in creaturas est, ut Deus de illis possit disponere, & eas pro quocunque instanti destruere, ita ut nulla creatura impedire Deum possit.

1051 Tum quia talis duratio indivisibilis faciens v. g. durare Petrum ad viginti annos, illum redderet durantẽ formaliter in primo instanti suæ positionis in Petro, integros viginti annos, hosqué concluderet intra instans, atq; sic duraret simul hoc anno secundo, tertio, &c. quotiescunque enim sunt omnia constitutiva ali-

cujus effectûs formalis, toties talis effectus habetur; in casu autem posito positâ durationeindivisibili, per quam Petrus indivisibiliter duraret totis viginti annis, habetur totum quod requiritur ad talem durationem viginti annorum; haberetur igitur primo instanti positæ talis durationis effectus formalis durationis per viginti annos, quod dici & intelligi nullatenus potest; nisi quis dicat talem durationem fore indeterminatam, & indifferentem ad constituendum Petrum in tempore hodierno, crastino, & sic deinceps; quod rursus non subsistit, siquidem rursus deberet tolli in actu secundo indifferentia talis durationis per aliquã aliam durationem, quæ illam determinaret ad determinandum Petrum potiùs durantem hodie quàm cras, sicqué daretur duratio ad durationem formaliter, quam sequelam admitti non posse.

1052 Patet inde (& est ratio alterius partis nostri Dicti) tum quia illa duratio est modus, adeoqué formalis ultima ratio detrminativa essentialiter in genere durationis; tum quia dari nequit in rebus physicis processus in infinitum; tum quia repugnat, ut duratio horaria v.g. duret plus, vel minùs quàm horâ, & ut durare faciat hâc horâ hodiernâ, & crastinâ aliâ horâ, cùm duratio, quâ res est, nunc sit essentialiter affixa huic *nunc* temporis, & inconservabilis pro alio tempore.

1053 Neque in hoc sequitur illud, quod quidam inferunt; absurdum scilicet esse dictu Deum non posse conservare durationem successivam; sicut enim nullum est absurdum, quòd Deus non possit transferre ubicationem de loco in locum: non possit mutare rerum essentias ex suppositione quòd sint, &c. ita nihil absurdi est in eo, quod rem successivam essentialiter, qualis est duratio, & tempus, nequeat conservare simul; cùm inconservabilitas simul, sit prædicatũ necessariò consequens ad rationem successionis, quæ est de essentia durationis, proveniens non ex defectu Divinæ potentiæ, sed ex imperfectione, & incapacitate ipsius durationis.

1054 Verùm hæc de duratione, imò de principijs, causis, ac proprietatibus entis naturalis hucusque dicta, quatenus spectant ad ejusdem physicam notitiam, sint satis; de durationeq; namqué entis Increati, sive de Dei æternitate infrà quædam, scitu necessaria Philosopho, in Metaphysica adferemus.

1055

PHILOSOPHIÆ QVINQVE-PARTITÆ PARS TERTIA, SEU PHYSICO-MATHEMATICA.

Physico-Mathematicæ notio, objectum, & natura.

1055 INter omnes humanas facultates, quibus intellectus hominum maximè illustratur, principem locum obtinere Mathematicam scientiam, quotquot hactenus fuerunt, censuêre sapientes: nec immeritò; cum ipsa nominis notio, à voce græca μάθημα, quæ doctrinam, seu scientiam, aut intelligentiam abscónditam significat, id satis indicet. Illius tanta existit amplitudo, varietas, jucunditas, & simul difficultas, ut quantò accuratioribus circa omnem quantitatem (quæ communi consensu, fundato in ratione ipsa, quâ constat Mathesim universam occupari circa multitudinem, & magnitudinem rerum, multitudinis scilicet, & magnitudinis principia, proprietates, affectionesqué varias considerando) erudimur distinctionibus, tantò sanè majori eruditissimorum, aut Doctorum, aut voluminum egeamus adminiculo.

1056 Ut autem tam vastæ, aut sublimis scientiæ naturam percipiamus, eam metaphysicâ complectimur definitione, vel communi jam & receptâ, quâ dicitur scientia Theorica rectè tractandi quantitatem; vel aptiori, magisqué particulari, & propriâ, quâ eam dicimus partem Philosophiæ Contemplatricis, ea considerans, quæ tam secundum esse, quàm secundum rationem formalem à materia sensibili separata, in imaginabili materia formaliter subsistunt.

1057 Quâ descriptione sufficienter Matheseos universim quidditatem circumscribi, patet inde, quòd Mathematicæ scientiæ ille attribuatur locus, quem Aristot. ipsi assignat, medius scilicet inter Physicam & Metaphysicam; Physica namqué, uti jam suprà insinuavimus, considerat ea, quæ sensibili materiâ immersa nullo unquam tempore ab illa separari possunt: Metaphysica autem illa, quæ Divina dicuntur, hoc est, abstracta ab omni materia, tam sensibili, quàm imaginabili. Mathesis igitur imaginabilem considerans materiam, seu potiùs, separatam à materia ipsa quãtitatem, medium inter illas locum, jure sibi vendicat meritissimo.

1058 Cùm præsertim sit in omni rigore scientia, quidquid Neotherici quidam contradicant, principia, & axiomata mathematica in dubium revocantes; patet assumptum, tum ex suprà dictis; tum quia in ea reperiuntur omnia, quibus perfectæ, & rigorosæ scientiæ ratio continetur, quæ sunt subjectum, principia, & proprietates scientificæ; tum quia illa demonstrat conclusiones suas per causas proximas, & immediatas, uti constat, ut innumeras alias omittam, ex sequentibus duabus demonstrationibus; quarum primâ ostendit à causa materiali immediata omnem angulum in semicirculo supra arcum consistentem rectum esse sic: omnis angulus in semicirculo supra arcum consistens dimidium duorum rectorum est, omne autem dimidium duorum rectorum an-

gulus rectus eſt; juxta certiſſimum illud ſi ab æqualibus æqualia auferas, quæ remanent ſunt æqualia, ergo.

1059 Alterâ verò demonſtrat omnem angulum in ſemicirculo ſuper rectam cadentem perpendiculariter rectum eſſe: quia ſcilicet, omnis angulus in ſemicirculo ſupra arcum conſiſtens æqualis eſt angulo conſequenter ſibi conjuncto in extremitate rectæ lineæ ſuper rectam perpendiculariter cadentis, cujuſmodi omnis angulus rectus eſt, uti conſtat ex ipſa, quam quivis facilè ſibi efformare poteſt, conſtructione.

1060 Neque obſtat quòd Matheſis objectum ſit quantitas, in qua, ut ait Ariſtot. nulla datur actio, neque actionis ratio; nam etſi activa efficienter, & propriè non ſit quantitas, attamen paſſiones mathematicæ emanant ex cauſa materiali, & formali, non ſecùs, ac gravitas & levitas in Phyſicis, viſibilitas & admirativitas in Logicis ex ſubſtantia ipſa profluunt, quæ cauſæ abundè ſufficiunt ad rigoroſam demonſtrationem.

1061 Imò & hanc dari de entibus ipſis accidentalibus, contra quoſdam id negantes, ſufficienter oſtenſum eſt in Logica, adeoqué ratio objecti, quod quantitas eſt, nihil obſtat perfectioni ſcientiæ Mathematicæ: ſicut nec illud, quòd entia Mathematica nõ dentur à parte rei: nam tametſi quâ talia formaliter abſtrahant, ut dixi, à materia ſenſibili, non tamen ita omnino præſcindunt, ut fundamentaliter non dentur in rebus ipſis, cùm nemine cogitante detur figura, ſuperficies, corpus, æquale, inæquale, acutum, obtuſum &c. quæ ſe nobis manifeſtant dum cognoſcimus ipſa entia naturalia alia in conum, alia in cylindrum, alia in ſphæram &c. ſuapte natura tendere.

Phyſico-mathematicæ ſcientiæ quotuplicitas, & Diviſio.

1062 MAtheſim univerſim acceptam dividi in ſpeculativam, & practicam nemini niſi amathematico eſt ignotum. Harum quamlibet cõmunis hactenus mathematicorum conſenſus ſextupliciter diviſit, videlicet in Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Opticam, Mechanicam, & Muſicam: cujus diviſionis ſufficientia oſtenditur inductione.

1063 Arithmetica enim ſpeculativa agit de quantitate diſcreta, ſive numeris finitis & terminatis eorum naturam & accidentia mutuaſqué proportiones perſcrutans: Arithmetica vero practica ſeu ſupputatrix numeros conſiderat prout certis rebus affixos.

1064 Geometria ſpeculativa de quantitate continua terminata, & terminante diſſerit; cujus admirabiles proprietates ſubtiliſſimè oſtédit: ſed practica menſurat altitudines arcium, montium, locorum diſtantias, agrorum ſuperficies, profunditates foſſarum.

1065 Aſtronomia ſpeculativa demonſtrat de cœleſtis mundi partibus, planetis, ſtellis &c. originem, locum, figuram, motum, magnitudinem, influxus, illuminationem & umbram: practica verò ejuſdem ſyſtemata, ſiderumqué motus ope tabularum Aſtronomicarum ad calculum revocat, luminarium defectus, aſpectus planetarum prædicit, cœliqué thema ad quodvis punctum conſtituens.

1066 Optica ſpeculativa de lumine, & viſione directa, reflexa & refracta præcipit: & practica pictoribus, ſculptoribus, architectis, & ſcenographis ad miraculum ſubſervit.

1067 Mechanica ſpeculativa principia effectuum mirorum, qui per libram, vectem, trochleam, axem in peritrochio, cuneo, cochlea fiunt contemplatur, & de centris gravitatis præſertim admiranda demonſtrat; ſed practica, quam qui profitentur, uſitato jam vocabulo, etſi latinitati necdum donato Ingeniri dicuntur, varias machinas conſtruit, quibus parvâ vi ingentia pondera movens in ſui admirationem oculos, animoſqué convertit.

1068 Muſicam demum ſpeculativam eam eſſe dicunt, quæ perpendit quantitatem diſcretam in ſonis, & vocibus, omniumqué conſonantiarum naturam, rationem, conſonantias, cæteraqué accidentia complectitur; ad practicam eam denominant, quæ μελοποιΐαν græcis dicitur, cantilenas & ſonationes muſicis modulis componit, atque in actum tam vocibus, quàm inſtrumentorum ſonis reducit.

1069 Et nè contra hanc ſufficientem univerſæ matheſis diviſionem, quis quidquam obijciat, reliquos ejuſdem tractatus ad unum aliquod ex his ſex præcipuis membris dividentibus revocant: ſic Algebram, Computum Eccleſiaſticum, Chronologiam, Chyrologiam, Rabdologiam, Logarithmicam ad Arithmeticam: Stereometriam, Trigonometriam, Cyclometriam, Geodæſiam, quam rurſus quadrupliciter dividunt, nempe in Longimetriam, Latimetriam, Altimetriam, & Profundimetriam, ad Geometriam: ad Opticam, Catoptricam, Dioptricam, Specularíam & Diaphanam: ad Mechanicam, Staticam, Centrobarycam, Hydraulicam, Pneumaticam, Belopoëticam, Claſmaticam, Nauticam, Magneticam, Architectonicam, Polemicam, Militarem. Ad Muſicam Phonognomicam, Melotheſiam, Organicam, Phonocampticam, Phonotacticam, Teratologiam, Harmoniam mirificam, & Echologiam. Ad Aſtronomiam, Coſmographiam, Geographiam, Hydrographiam, Syſtematicam, Uranometriam, Gnomonicam, ſeu Sciothericam, Theoricam Planetarum, Tabulas Aſtronomicas, Tractatus item de Sphæra, de Aſtrolabio, de Globo, dequé alijs aſtronomicis in-

cis instrumentis, qualia sunt Meteroscopium, Armilla, Triquetrum, Torquetum, Annulus Astronomicus, Triens, Quadrans, Quadratum, Sextans, Cosmometrum, Telioscopium, Helioscopium &c.

1070 Astrologiam vero Judiciariam, cujus est futura prædicere, etsi vulgò reputetur pars Astronomiæ ab hac, totaqué Matheſi excludunt; & meritò sanè; tum quia fallaciſſima est, & nullam penitùs habet, haberequé potest certitudinem scientificam; tum quia si quid habet probabilitatis circa mutationes temporum, anniqué tempestates, eam solùm habet, quatenus per combinationem aliquam causarum Physicarum eas probabiliter conijciendo prædicit, adeoqué, & rectè, ajunt non ad Matheſim, sed ad Physicam potiùs eam, quâ talem spectare.

1071 Nec obest, quòd egeat nonnullâ rerum astronomicarum cognitione; nam & Physicam tractanti ea est necessaria; & tamen nemo dicet Physicam partem esse Mathematices; sic illi, & satis probabiliter.

1072 Probabiliùs tamen cum alijs, & ad rem, de qua modò agimus longè accommodatiùs universam Mathematicam dividimus in Puram & Mixtam: puram dicimus esse Arithmeticam & Geometriam, quibus nec malè adnumeratur Algebra ex utraqué consurgens, ac utramqué mirificè exornãs: mixtas verò Cosmographiam, Astronomiam, Staticam, & Opticam: cujus divisionis universim sumptæ sufficientia nobis probatur inde, quòd divisum neque excedat, neque excedatur à membris dividentibus prout patebit facilè cuivis, qui paulò antè allatam inductionem partium Mathematicarum nostræ huic applicuerit divisioni.

1073 Puræ autem à mixtis differunt in eo, quòd illæ ex fine suo proprio, & intrinseco in sola abstracta terminata tamen, & finita quantitate consistunt, solumqué per accidens, & ex fine extrinseco scientis rebus physicis applicentur: mixtæ autem tametsi secundum quid à materia sensibili abstrahant, circa eam tamen ex fine suo intrinseco etiam prout rebus inhærentem eam & considerant, & necessariò pertractant.

Physico-mathematicæ, ut subserviens Arithmeticæ.

1074 ARithmetica, ut de ea paucula, quatenus Physico-mathematicæ subservire nec invita dignatur, nomen suum Arabibus debet, Latinis numerorum scientia dicta, benè definitur: quòd sit scientiæ mathematicæ puræ species, quæ numeri, seu quantitatis discretæ à materia sensili abstractæ, principia, proprietates & affectiones contemplatur. In qua definitione tametsi nihil lateat difficultatis, ut ex modò dictis constat, Stevinus tamen in numerorum proprietate potiùs, quàm natura indaganda solers, numerum quantitatem discretam esse negavit; verùm quàm id rectè fecerit, patet ex altero, quem incurrit, philosophico errore, quando unitatem inter numeros retulit; quo pacto enim cum Euclide numerum defendere potest esse ex unitatibus compositam multitudinem, cùm ab hac unitatem non distinguat? aut quomodò salvabit infallibile illud: unitas in unitatem ducta non producit numerum? tum quia unitati nec conveniunt, nec convenire possunt, nisi fortè secundum dici, proprietates numeri, quæ sunt, paritas, imparitas, majoritas, æqualitas, inæqualitas, &c.

1075 Tum etiam quia manifestum est & ipsis Trivialibus, unitatem esse principium numeri, non secùs ac punctum lineæ, quod quantitas non est, sed quantitatis initium, adeoqué cùm mathematicè loquendo paritas sit inter utrumque, non est quòd excusemus errorem illius, & consequenter magni ut faciamus ipsius objectionem; sicut nec aliam quorundam, qui Zyphram, aut Zerotem numerum esse affirmant, cùm constet aliter illam se non habere, quàm terminus syncategorematicus in Logica, qui per se nihil significat, additus verò termino categorematico, illius auget significationem: sic Zero affectio tantùm est quædam numerorum, quæ etsi per se nihil significet, unde & Nulla vocitatur, addita tamen numeris significativis ad partem dexteram eorum auget valorem in decupla semper proportione, ut patet.

Physico-mathematicæ subservientis Arithmeticæ species.

1076 HAs materialiter hîc non sumimus, quâ in acceptione à quibusdam illius species esse dicuntur Logistica popularis, Apologistica, Principum & mercatorum, & Analogistica proportionum, & combinationum; multò minùs in acceptione illa, quâ comparativè ad instrumenta illa, quibus ipsa in suis coordinandis Algorithmis utitur; respectu quorum nec malè in Calculatoriam, Notulariam, Digitariam, seu Chyrologicam, Rabdologicam seu Virgulariam, & Chordulariam, quâ præcipuè Sinenses ad numerandum mirificè utuntur, dum chordarum innodatione, ac enodatione rationes omnes suas perfectiſſimè conficiunt.

1077 Per ly tamen Calculatoriam, cave intelligamus prophanam quandam quam Geömanticam inanes homines appellant consistentem in projectione punctorum quorundam, ex qua multa prædicere Ariolorum quippiam vaniſſimè præsumunt: dum illius nomine aliud nobis

bis non venit, quàm quæ defacto licita eſt, & multis uſitata, in ſecretis præſertim Magiſtratuum electionibus, ac ſuffragijs.

1078 Verùm formaliter ſumptæ Arithmeticæ ſimplices ſpecies, de quibus hîc agimus, quinque ſunt illæ jam receptæ, Numeratio, Additio, Subtractio, Multiplicatio, & Diviſio: quibus ſi addatur illa nunquam ſatis laudata, auroqué digna, ac propterea verè aurea proportionum regula; eaſqué benè callueris univerſam Arithmeticæ perfectionem, tanquam in nuce Homeri Iliadem perfectiſſimè comprehendes. Ut verò quæ lippis, & tonſoribus jam ſunt notæ harum ſpecierum omittamus operationes; operationum modos, & regulas illarum tantùm proponamus.

Phyſico-mathematicæ ſubſervientium ſpecierum Arithmeticæ, earumqué primæ, nempe Numerationis quidditas, & fundamentum.

1079 NUmeratio prima Arithmeticæ ſpecies, abſque cujus notitia ſemper quis amathematicus & Choræbo par cenſebitur, rectè definitur: quod ſit valoris numerorum apta notatio, & enunciatio. A diverſis nationibus diverſimodè exercetur; ab Hebræis namqué & Græcis per characteres omnes alphabeti, à Latinis per literas ſolummodò ſeptem, quas numerales dicimus, ut ſunt J, V, X, L, C, D, M, à Mathematicis autem per novem tritas jam Notas Arithmeticas additâ Zyphrâ, ſeu Zerote, tota numeratio abſolvitur.

1080 Et quia dixi in definitione Numerationem aptam eſſe numerorum notationem, & enunciationem, ideo ea aptè ut perficiatur, hæc in notatione obſervanda eſt norma, ut ſcilicet imitemur Orientales populos, qui à dextris ad ſiniſtram ſcribunt, modo nempe nobis inverſo à minoribus ad majores numeros methodo quaſi compoſitoriâ, ita ut primus locus à dextris ſit unitatum, ſecundus denarum, tertius centenarum, quartus millenarum, quintus decem millenarum, ſextus centum millenarum, ſeptimus demum mille millenarum, ſeu millionum.

1081 Cujus Notationis rationem adfert Euclides 7. Elem. ubi demonſtrat, quòd quælibet figura in primo loco ſe ipſam ſignet ſimpliciter; eadem ſecundo ſe ipſam decies, tertio centies, &c. atque iſte eſt in notando ordo; contrarius in legendo, in quo ut facilè quis procedat, ſcriptum numerum, quãtumvis magnum, in minora membra partiatur à dextris incipiendo verſus ſiniſtram virgulis, ſeu commatibus infernè interpoſitis poſt tertiam quamvis notam, & ſupra quamlibet ſeptimam appoſito puncto, quod duplicandum, triplicandum &c. eſt, donec notæ numerandæ deficiant; tum exordienda eſt à ſiniſtris verſus dextram numeri dati enuntiatio deſcendendo methodo reſolutoriâ à maximis ad minimos; totamqué numerationis perfectionem ſic quis fuerit aſſecutus.

Phyſico-mathematicæ altera ſubſerviens Arithmeticæ ſpecies, ſeu Additio.

1082 ADditio, nonnullis aggregatio numerorum, vel ex duobus datis numeris tertij inventio dicitur: ita ut datis, & cognitis partibus omnibus totum etiam cognoſcatur: quod fit dum diſcreta quantitas alteri conjungitur, & ſimul ſumitur earum aggregatum; & ſanè ad rem noſtram appoſitè, qui tantum phyſico-mathematica hîc expendimus; alioquin cùm Arithmeticam Logiſticam confundat cum Geometrica, minimè, loquendo mathematicè, ſubſiſteret, ſed dici deberet hoc in ſenſu: additionem eſſe duorum, pluriumvé numerorum in unam ſummam collectionem.

1083 Quæ Arithmeticæ ſpecies æquè perfectè methodo reſolutoriâ per deſcenſum ſcilicet à majoribus ad minores numeros, ac methodo compoſitoriâ à minoribus ad majores expediri feliciter poteſt: modò ſervetur accuratè, primò ut numeri addendi perpendiculariter in ſeriebus & locis proprijs ſimul collocentur: & ſecundò, ſi numeri conſtent locis imparibus, à dextra ſiniſtram verſus diſponantur; ac tertiò, ſi numeros addendos, qui regulariter ſunt inferiores, ſuperioribus rectâ ſubjeceris; atque aggregatum uniuſcujuſqué ſeriei valorem lineolæ infrà interjectæ ſubſcripſeris, reſervatis mente tot unitatibus, quot denarij numeri in ipſo aggregato numerum denarium ſuperâſſe deprehendes, quas addes numero ſequenti addendo ſiniſtram verſus, & demum ſi in ſerie ultima id, quod alias mente reſervandum foret addendum toti aggregato præpoſueris.

1084 Hæc porrò Arithmeticæ ſpecies ab Euclide ingeniosè demonſtratur lib. 7. elem. prop. 6. & 7, ex illis duobus infallibilibus principijs: totum eſt æquale ſuis partibus omnibus ſimul ſumptis: &, cognitis ac compoſitis partibus omnibus totum datur & componitur. Lydius autem lapis perfectæ additionis, ut vulgò fertur, eſt numerus novenarius toties abjectus quoties abijci poteſt; ſi enim reſiduum unius, & alterius, hoc eſt addendi, & additi cruculâ interjectâ fuerit æquale, congrua erit veritati operatio, ſin minùs, ut mendum corrigas denuò eſt opus iterandum. Vulgò dixi, nam longè ſecurior eſt ille, qui per ſubtractionem fit abſtrahendo ſemper numeros ſuperiores addendos de numero ſubſcripto, ita ut omnimoda maneat æqualitas, vel certè quod adhuc ſecurius eſt, ſi remaneat prorſus nihil, abſolutiſſimè noveris te confeciſſe additionem.

Phy-

Physico-mathematicæ tertia subserviens arithmeticæ speciei, seu subtractio.

1085 DUm sumitur excessus majoris quantitatis super minorẽ, tunc subtractio Arithmetica fieri dicitur: definiverunt eam nonnulli vix non paradoxicè, quòd sit majoris numeri ex minori, vel æqualis ex æquali subductio; at licèt ingeniosa primo intuitu videatur definitio, nobis tamen ea subsistere non videtur.; nam extrahere majorem à minori omnino est impossibile, æqualem verò ab æquali prosus inutile, cùm residuum fiat nihil.

1086 Aptiùs igitur definitur subtractio, quòd sit inventio differentiæ inter duos numeros; nam in subtractione numeri à numero reperiri debet alterius majoris secundum alterum minorem imminutio, ut tertius, qui residuum & differentia numerorum inter se est, dignoscatur.

1087 Innititur tota hæc Arithmeticæ species illi præcipuè principio: tanta est aliqua pars quæ remanet, quanta altera subductâ jam parte nota est toto: hoc est in subtractione dantur duo numeri noti, superior scilicet ex quo tanquam ex toto facienda est subtractio, & inferior, qui tanquam pars est subtrahendus, ex quibus duobus notis quæritur ignotus tertius, quem rectè quis ut deprehendat, accuratè observet imprimis ut minor majori subsit: deinde ut interjectæ lineolæ subscribatur residuum: insuper si, quod sæpè contingit, numerus subtrahendus numero perpendiculariter sibi suprà posito major sit, petat minor mutuò à proximo diminuendo versus sinistram unitatem, quæ quòd concessa ab illo sit memori est mente tenendum. Quod si uterque numerus unam pluresvé Zyphras contineat proximior his significativa nota unitatem mutuam ut concedat, est cogenda. Quod an rectè fiat, ostendet securissimè additio, quâ residuum infra lineolam congregatum additum numero subtrahendo producit numerum diminuendum.

Physico-mathematicæ quarta subserviens Arithmeticæ speciei, seu Multiplicatio.

1088 EUclides lib. 7. definit. 15. quid notionis multiplicatio sit ijs declarat verbis; numerus numerum multiplicare dicitur, cùm toties compositus fuerit is, qui multiplicatur, quot sunt in ipso multiplicatæ unitates, & procreatus fuerit aliquis, ex quo quid rei sit, facilè deducitur: nempe multiplicationem aliud non esse, quàm multiplicem proportionaliter additionem: pars enim una toties sibi accumulatur, quot in altera sunt unitates, ita ut sicut unitas est ad multiplicandum, sic multiplicandus numerus ad procreatum: quod infallibiliter ut fiat tenendum est firmiter

1089 Primò unitatem nec multiplicare, nec dividere; ex quo rectè suprà diximus unitatem numerũ non esse, tametsi unum subinde producat unum, quod per multiplicationem non fieri, sed abusivè tantùm patet ex ijs, quæ infrà de natura universaliũ dicturi sumus, quando negabimus naturam Divinam propriè universalis rationem subire posse, cujus Unitas, seu unum est genuinum symbolum: pari modo Zyphræ vim nullam habent in multiplicatione, cùm prout sunt, in multiplicante transferendæ sint integræ infra lineolam, parùm præterea refert, etsi id aliqui existiment alicujus momenti, illud, quod multiplicans ducatur in multiplicandum, vel è contra, quamvis semper comodiùs procedatur & securiùs, si minor numerus ducatur in majorem.

1090 Plures addi possent cautiones quoad multiplicationem ritè perficiendam, nisi quæ de additione diximus sufficienter eas insinuarent: quæ an rectè observatæ fuerint demonstrabit Divisio, quâ dividatur numerus productus in multiplicantem, per dividentem, qui multiplicatus fuerat, & quotiens prodeat numerus multiplicandus, cujus rei rationem, simulq; totius multiplicationis progressum demonstrat paulò antè citatus Euclides, lib. 7. elem. p. 17.

Physico-mathematicæ serviens Arithmeticæ speciei quintæ, sive Divisio.

1091 QUinta & ultima, eaqué simplex Arithmeticæ species est Divisio, quæ nomen sibi sortita est ex eo, quòd numerum exponat, qui suis indicat unitatibus, quoties dividendus numerus in diviso contineatur, unde & numerus ille quotiens dicitur; sicut ille per quem divisio fit, divisor nuncupatur; atque hinc benè definitur, quòd sit multiplicata, & proportionata subtractio. Dividere namqué numerum per numerum, est invenire numerum, qui indicet, quòd toties minor à majori subtrahi possit, quoties unitas in invento numero reperitur.

1092 In qua operatione, ut quis rectè procedat, illi accuratè est observandum, quòd dentur in ea tres numeri; scilicet dividendus, divisor, seu procreans, & quotus seu procreatus ad quorum collocationem maximè est attendendum; divisor namqué cùm minor semper esse debeat dividendo, ideo locandus sub majori ad sinistram; at quotus post omnes numeros dividendos ponendus est separatim interpositâ lineolâ lunulari.

1093 Quod si divisor plures habeat figuras, non tantùm prima, sed & omnes subsequentes

multiplicandæ ſunt per quotientem, & colle-1097 ctus numerus ſubtrahendus à numero dividendo in ſingulis operationibus ſpectando locum valoris numerorum monadicorum, denariorum, centenariorum &c. toties iterando operationem, quoties diviſor promoveri poteſt ſub dividendo à ſiniſtris in dextram, adhibendo ſemper multiplicationem quoti in diviſorem, & ſubtractionem producti à dividendo, in quo ferè conſiſtit tota hæc operatio, juxta illud de ea dictum divide, multiplica, ſubtrahe. Si autem occurrat Zyphra vel minor numerus dividendus diviſore, pro quoto Zyphra nota-1098 bitur, & ulteriùs promovenda diviſio, quâ abſolutâ, ſi demum quis numerus ex ea ſuperfluus remanſerit, qui fractio dicitur, ſeu minutia, ponẽdus eſt poſt quotos lineolâ interjectâ.

1094 Ut autem vitetur confuſio, & error in hac Arithmeticæ ſpecie, pro quoto nunquam accipiendus eſt numerus novenario major, licèt diviſor ſæpiùs, quam novies in dividendo contineatur; uti oſtendit Euclides 7. elem. prop. 33. & ſequentibus, ubi natura, & progreſſus Arithmeticæ diviſionis ſubtiliſſimè demõſtratur, cujus perfectionem Multiplicatio quoti per diviſorem, & numeros fractos etiam, ſi qui fuerint, producto numero addendo; ſi enim 1099 productus idem fuerit cum dividendo numero, omnibus numeris abſoluta erit operatio, ſin ſecùs, erronea.

Phyſico-mathematicæ ſubſerviens proportionum arithmeticarum Regula.

1095 TAmetſi omnia, quæ in univerſa Arithmetica traduntur, tanquam ex elementis, ab his quæ modò diximus dependeant, ita ut nihil aliud in Arithmeticis quæſtionibus ſolvendis præcipiendum ſit, quàm ut numeri vel addantur, ſubtrahanturvé, multiplicentur, aut dividantur; nihilominus adeo multas excogitârũt diverſi regulas, ut earum non modò præcepta, ſed vel nomina ediſcere ſit difficile; nonnulli enim, nec otioſi, ducentas quadraginta enumerant, quas nos non modò ad pauciores reduci poſſe putamus, ſed etiam in unica contineri omnes contendimus.

1096 Atque hæc eſt illa, quam Regulam auream, ſeu proportionum, aut trium dicimus, orta ex illa geometrica veritate, quæ inter quatuor terminos proportionales ſub extremis comprehenſum rectangulum æquale oſtẽdit, illi, quod ſub medijs fit; atque ſic æqualitatem omnem ad proportionem revocat, & viciſſim hanc in æqualitatem permutat: unde rectè definitur eſſe Arithmeticum quoddam ratiocinium pariens infallibilem quæſitæ in quantitate vel diſcreta, vel continua proportionis cognitionem ex mutua inter ſe, ſeu numerorum ſeu linearum proportionalitate.

Sic definita, dupliciter dividitur, in Directam, & Reciprocam: illa ſic dicitur, quòd proportionem æqualiter multiplicem ſervet, vel ſecundi ad quartum, vel primi ad ſecundum, quemadmodum ſervat vel primus ad tertium, vel tertius ad quartum; Reciproca autem ſeu converſa ſic nominatur, eò quòd non quemadmodum in directa tertius numerus ad quartum eandem ſervet proportionem, quam habuit primus ad ſecundum, ſed è contrà, ut ſic ſe habeat ſecundus ad quartum, ſicut tertius ad primum.

Ex quibus facilè advertitur hanc regulam ad ſui perfectionem requirere ſemper tres notos numeros, quorum duo ſint ejuſdem denominationis, unus autem denominationis diverſæ, qui tres numeri ita ſunt collocandi à directè operari volente, ut tertio loco ille ponatur, qui ſecum habet annexam quæſtionem; ille autem qui occaſionem præbuit quæſtioni ſtatuatur primo loco: quos inter medius eſſe debet numerus ille, qui inveniendo eſt ſimilis; quibus ſic conſtitutis multiplicandus eſt ſecundus in tertium, & productus per primum dividatur, nam in quoto latet quæſitus.

1099 Secùs autem operandum illi, qui reciprocâ uti debuerit; cùm enim ut dictum eſt tertius ad quartum non ſervet eandem proportionem, quam habuit primus ad ſecundum, ſed è contrà, ita, ut ſecundus ſe habeat ad quartum, ſicut tertius ad primum, ideo etiam quo major erit primus tertio, eò minor erit ſecundus quarto: & propterea diverſo quoque modo operandum, multiplicando nimirum primum per ſecundum, & ex his productum dividendo per tertium, ut in quoto reperiatur numerus quæſitus.

1100 Bonitas hujus operationis etſi à diverſis diverſimodè probetur: nobis illa videtur cæteris præferenda, quâ multiplicantur primus ſimul & quartus ita, ut ſi productum fuerit æquale producto ex multiplicatione ſecundi & tertij, recta facta erit operatio: juxta illud Euclidis lib. 7. p. 19. ubi poſtquam oſtendiſſet numerum diviſum produci ex multiplicatione quoti, & diviſoris, ſubdit: in numeris proportionalibus factum ab extremis æquari facto à medijs.

1101 At de Arithmetica quatenus ſubſervit phyſico-mathematicæ hæc dicta ſufficiant, in quibus tanquam in elementis univerſæ numerorum ſcientiæ qui rectè verſatus fuerit, nullo negotio, quotquot in phyſico-mathematica occurrent computus, ac numericæ rationes, idqué ſimul æquè facilè, ac ſecurè expediet, prout experientia ipſa cuivis id attentanti facit manifeſtum.

Phy-

Physico-mathematicæ subservientis Geometriæ Quidditas subjectum, & Usus.

1102 GEometria à metro, seu mensura nomen sortita, eò quòd scientia sit propriè dicta omnium mensurarum; definitur communiter quòd sit notitia benè terram metiendi; at nimis impropriè, siquidem non in terra tantùm, sed in aqua, aëre, cœlo adeoqué in toto universo, atque in omnibus ejus partibus locum habet; quare propriè magis, magisqué con- 1107
gruè veritati eam definimus dicendo: quòd sit species scientifica puræ Matheseos, quæ rei cujusvis mensurabilis naturam, vim, proprietates, habitudines, ususqué interpretatur, & demonstrat.

1103 Cujus definitionis sufficientia constare potest tum ex suprà dictis, tum ex rejecta priori, tum quia nihil illi deest ad bonam in rigore dialectico Geometriæ definitioné, cùm ipsius naturam adæquatè explicet, eamqué in suo esse constituat, faciatqué differre ab omni alia scientia quæ Geometria non est. Ea multiplex est ejusqué variæ sunt species, ut paulò antè insinuavimus.

1104 Ipsius subjectum, seu materia circa quam, est moles seu magnitudo; nec obest, quòd etiam punctum negativè tantùm, aut æquivalenter tale consideret, nam de eo agit, tan- 1109
quam de principio, aut termino magnitudinis.

1105 Porrò magnitudo est quantitas ipsa continua cujus partes communi termino cohærent; terminus autem est magnitudinis extremum; & quia magnitudo est vel linea, vel lineatum, ideo linea rectè dicitur longitudo, sive extensio tantùm secundum longum, carens nimirum latitudine & profunditate, ideoqué capax unius tantùm dimensionis; & licèt secundum nostram imaginationem, eam describi concipiamus quasi per fluxum indivisibilis 1110
unius puncti; ad sensum tamen illius rectè ducendæ triplex est ratio communiter, nimirum, vel per regulam, vel per amussim, vel per opticum radium; quorum duo priores modi vulgati jam sunt, cùm à puncto ad punctũ lineam ducere Euclidis sit postulatum; at tertius magis reconditus, cujus inventio & demonstratio à Stevino, Mauritio Auriacæ Principi attribuitur: cujus usus præcipuus est in agrorum divisione, & dimensione vallorum, fossarumqué ductu, munitionum ac Polemicorum operum erectione, alijsqué hujusmodi.

1106 At quia hæ praxes ad Geodæsiam, practicamqué Geometriam pertinent; hinc rursus ad subjectum Geometriæ puræ, ut revertamur, linea tripliciter, prout ab ipsa consideratur, dividitur; videlicet in rectam, curvam, seu circularem, atque ex his mixtam, quarum subinde multiplices sunt species; sic lineæ rectæ aliæ sunt perpendiculares, quarum una in alteram incidit æqualiter seu orthogonaliter; aliæ parallelæ, quæ in infinitum excurrentes ubiqué distant æqualiter: aliæ angulares, ex quarum concursu varia oriuntur angulorum genera. Curuæ autem aliæ sunt circulares, aliæ semicirculares, aliæ lunulatæ &c. sicut è mixtis innumeræ sunt species, inter quas sunt spirales, Helices, Elypticæ, Conchylides, Arcuales, Conoides, Parabolicæ, Pseudoëlypticæ, aliæqué plurimæ &c.

Superficies verò illa dicitur & est, quæ tantùm longitudinem, & latitudinem habet omni profunditate, aut altitudine carens, quæ, servatâ proportione ad lineas dividitur pariter in rectam, seu planam, & est illa, quæ ex æquali inter suas jacet lineas, qualis est quadratorum: in curvam seu circularem, quæ è contra non æqualiter suis interjacet lineis, ut fornicum, & arcuum: Et in mixtam ex utrisqué; Rursusqué singulæ in concavam & convexam; hæc est superior seu extima: illa inferior, seu interior pars superficiei.

1108 Porrò ex linearum, aut superficierum concursu varij oriuntur anguli tam rectilinei, qui ex rectis mnltipliciter incidentibus fiunt, quàm curvilinei, qui ex concursu linearum curvarum prodeunt; & mixti, qui consurgunt ex lineis partim rectis, partim curvis.

Et quamvis complures, nec indocti, angulum ad Matheſim pertinere nolint, cum negent angulum quantitatem, sive rem quantam esse, adeoqué intra latitudinem objecti matheseos minimè contineri asserant; attamen nos, quia per partes etiam æquales augeri, imminuiqué ille potest, nequaquam à quantitate, aut Geometria separandum existimamus; & nè mathematicorum mutua inter se dissidia nobis obsint, ea componere conabimur ab anguli definitione exordium facientes.

Est igitur ex mente Euclidis angulus duarum linearum se mutuò tangentium, & non in directum jacentium alterius ad alteram inclinatio. Ex qua definitione habemus requiri quidem ad angulum, ut duæ assumantur lineæ, quæ sese mutuò tangant; sed per hoc tamen non sequitur in ijs propriè angulum consistere; neque enim angulus, aut lineæ, aut contactus esse dicitur, sed ipsa ita affectarum linearum, aut superficierum inclinatio. Adeoqué inclinatio ipsius anguli est quasi ratio formalis constitutiva, cùm ab ea omnis angulorum magnitudo, & æqualitas peti debeat.

1111 Quod tamen dum asserimus, non imus inficiatum diversum quandoqué nomen angulo concedi posse, qui aut lineas aut contactum, aut superficiem diversam fuerit sortitus: sic rectilineum angulum dicimus, quem rectæ lineæ; curvilineum, quem curvæ; mixtum, quem

quem recta, & curva, ſeu diverſæ curvaturæ lineæ efformant: ſic angulum ſemicirculi, qui ex diametro, circuliqué circumferentia componitur; ſic etiam angulo contingentiæ nomen fecêre lineæ, quæ ſeſe non ſecant, ſed ſolùm tangunt: ſimiliter ſuperficies inter planos & ſphæricos angulos diſcrimen fecit, quòd hos ſphærica, eos plana excipiat ſuperficies. De angulis ſolidis hic nullam facimus mentionem, *1115* quia hi, ut contento, ſic ſpecie differunt ab angulis, qui in ſuperficie fiunt.

1112 Ex quibus patet ſufficienter inter anguloſ primatum tenere rectilineum, eò quòd omnium ſit ſimpliciſſimus; ſi tamé talis dici queat, utpote qui hactenus omnium Arithmeticorum, Geometrarumqué luſit induſtriam; neq; enim ſeſe vel in tres æquales partes dividi patitur, niſi aut rectus fuerit, aut à dato puncto inter datas rectas lineam datæ rectæ æqualem intercipi conceſſeris. Hinc dividitur in Rectum qui fit ex linea ſuper aliam cadente, & angulos utrinque æquales faciente, in Acutum, qui recto minor eſt, qui fit dum duæ rectæ ad invicem magis accedunt; & in obtuſum, ſeu obliquum, qui recto eſt major, eò quòd duæ lineæ ad invicem accedentes magis procul coincidant.

1113 Quorum notitiam magis patefacere ſtuduerunt, ſtudentqué defacto Trigonometræ per ſinus, Tangentes, Secantes, Logarithmos, Meſologarithmos, &c. nec in curvilineis ma- *1117* jor eſt difficultas quàm in rectilineis; tametſi maximam faceſſat angulus mixtus; ex eo quòd Euclides 3. elem. p. 16. oſtendat, quòd ſi linea quædam ad diametrum circuli perpendicularis fuerit, inter hanc & circuli circumferentiam ſtatui nequeat linea, abſque eo, quòd circulum ſecet. Quæ demonſtratio cauſavit ut multi de angulo mixto mira planè elocuti fuerint paradoxa; ita ut admiſerint unum augeri poſſe in infinitum, alterum in infinitum minui, & nunquam vel minimum hujus decrementum minus eſſe poſſe alterius augmento vel maximo: trãſiri prætereà poſſe per omnia media ab uno extremo ad aliud, & nunquam per æquale, ſive per id, quod aliud in medio poſitum occupat: aliaqué his ſimilia plura, quibus vel ipſa reclamat ratio; non tranſijſſe ſcilicet illud per omnia media, quod unum neglexit, aut nullum neglexiſſe, quod per omnia tranſivit.

1114 Quòd ſi hæc, hiſqué ſimilia vera forent, nonnè quis omnes ferè Archimedis demonſtrationes, univerſamqué tollere de medio geometriam poſſet? nam nonnè oſtendit ille triangulum rectangulum, quod ſub ſemidiametro & circumferentia continetur circulo æquale eſſe? ex eo nempe quia omne triangulum, quod illo triangulo aut majus, aut minus aſſumitur, etiam circulo, aut majus aut minus eſſe demonſtret: pari ratione omnis angulus rectilineus, qui major aut minor angulo recto aſſumitur, ſimiliter major, aut minor angulo ſemicirculi eſſe demonſtratur. Angulum igitur rectum etiam angulo ſemicirculi æqualem eſſe, ſi inferre non liceat, non eſt unde Archimedis, aliorumqué celeberrimorum Geometrarum demonſtrationes veras eſſe probetur.

1115 Quare recentiores Mathematici difficultatem hanc ut enodarent, duas diverſas penitus invenêre vias: aliqui enim exiſtimàt omnes angulos ſemicirculi angulo rectilineo recto æquales eſſe, ideoqué angulum contingentiæ nihil quantitatis continere, ac propterea minui, augeriq; non poſſe, alij verò contendunt quidem quantitatem angulo ineſſe, ſed talem, cui æqualem reperire non ſit, quæ rectis lineis comprehendatur; eò quòd diverſæ ſint anguli iſti rationis.

1116 Quo autem pacto id ſuſtinere poſſint non apparet, cùm Euclides diſertè aſſeveret, illa habere ad ſe invicem rationem, quæ poſſunt multiplicata ſeſe mutuo ſeperare, quod hiſcè convenire nemo ambigit. Et eſtò ne hoc quidem verum foret, at quomodo demonſtrari poterit circulum, & triangulum, ſuperficiem ſphæricam & planam, aliaqué quæ ab alijs æqualia demonſtrantur, ejuſdem rationis eſſe, ut illa potiùs quam angulum rectum & mixtum æqualia eſſe concludere poſſimus?

1117 Proinde cùm ea ſit, continui admiranda fœcunditas, ut quamcunq; partem contactui, qui inter lineam curvam rectamq; fit vicinam aſſumamus, ſemper adhuc minorem, adeoq; viciniorem, ſi totam partem ſpectemus invenire poſſimus; eaqué rurſus ſit circuli natura, nulla ut non pars circumferentiæ aliam, & aliam inclinationem ad ſuum diametrum faciat, meritò deducimus angulum ſemicirculi, quod idem de omni angulo mixto eſt dicendum, indeterminatæ magnitudinis eſſe, quia nulla circumferentiæ pars penes quam & inclinatio, & anguli magnitudo deſumitur, tam parva determinari poſſit, quin adhuc minor pars reliqua remaneat, quæ & majorem inclinationem, & angulum exhibere poſſit; atque adeò angulum rectilineum acutum tam magnum exhiberi non poſſe, quod Euclides aſſerit, quin majorem in ſemicirculo reperire nequeamus.

1118 Ex quibus obiter liberos eſſe volumus à ſolicitudine illos, qui diu noctuqué fruſtraneo, ut hactenus, ita & deinceps, quadraturam circuli reperire contendunt, quam datâ veritate ſententiæ Peripateticæ de compoſitione continui, nemo eſt qui non agnoſcat eam poſitivè eſſe mathematicè, ſeu geometricè impoſſibilem. Imò & per hanc veritati maximè congruam ſententiam non modo difficultates omnes, ſed diſſidentes etiam Authores ipſos facil-

facilè conciliamus : angulo enim contingentiæ quantitatem concedimus, sed indeterminatam; simulqué asserimus, quod alij volebant, angulum istum carere determinatâ & certâ quantitate.

1119 Ex quo tamen ne quis inferat omnes angulos semicirculorum diversorum inter se esse æquales, nam quamvis singuli non tot quinplures angulos intra se complectantur, nonæqué multos tamen æquales ab omnibus contineri, facilè patet.

1120 Nevé quis affirmet lineam perpendicularem ad diametrum circuli paulatim admotam transire ab uno extremo per omnia media, & non per æquale; nam certum est quòd ita mota linea aliquando exhibeat angulum, qui dato angulo semicirculi æqualis sit: determinari tamen hîc non potest, quàm diu hic angulus semicirculi indeterminatus perseveret: quem quamprimũ quis determinaverit etiam determinatus angulus rectilineus illi par proferri poterit.

1121 Quæ etsi recondita videantur, manifesta tamen redduntur ad sensum ex illis, quæ mox de quiete negativâ in puncto reflexionis projectorum sumus dicturi. Interea ut paucis adhuc prosequamur, quæ ad notionem figurarum, & solidorum faciunt, cum comũni Geometrarum dicimus.

1122 Figuram dici & esse illam, quæ sub uno, vel pluribus terminis continetur; & quia termini hi, ut ex dictis constat, sunt multiplicis rationis, hinc & figurarum aliæ sunt planæ, quatenus consideratur corpus secundum solam superficiem, aliæ solidæ, quatenus spectatur secundum omnem suam dimensionem, longitudinem scilicet, latitudinem & profunditatem.

1123 Utroqué modo sumptæ dividuntur iterum in rectilineas, curvilineas, & mixtas, ob lineas quibus concluduntur. Inter rectilineas aliæ sunt triangulares constantes ex tribus angulis: aliæ quadrangulares, pentagonæ aliæ, aliæ hexagonæ &c. ex triangularibus ob angulos, qui in ipsis reperiuntur aliæ sunt rectangulæ, sic dictæ ob angulum rectum, quem continent: aliæ oxygoniæ, propter tres angulos acutos, quibus constant: aliæ amblygoniæ, ob angulum obtusum quem habent.

1124 Eædem, ratione laterum, quibus firmantur, aliæ sunt æquilateræ, quia habent omnia latera æqualia; Isosceles aliæ ob duo æqualia latera quæ habent supra eandem basim: aliæ quæ scalenum vocantur, eò quod habeat latera omnia inter se inæqualia.

1125 Quadrangulares autem, vel sunt quadratæ simpliciter, eæqué sunt, quæ habent & angulos, & latera æqualia: aliæ parallelogrammæ, quæ constant lateribus oppositis parallelis, ita ut sint æquiangulæ, non tamen æquilateræ: aliæ quæ Rhombi dicuntur, ex eo quòd è contra habeant æquilatera non tamen æquiangulos: aliæ rhomboides, quæ oppositis, & lateribus, & angulis constant, adeoqué neque sunt æquiangulæ, neque æquilateræ. Reliquæ autem figuræ quadratæ Trapeziæ nominantur, eò quòd irregulares sint, nec ad ullam ex dictis speciebus quadratorum pertineant. Polygonas autem seu plurium angulorũ multiplices esse ex paulò antè insinuatis est manifestũ.

1126 Curvilineæ pariter & mixtæ figuræ dividuntur juxta diversitatem linearum, & superficierum quibus constant, quas fusiùs hoc loco prosequi nostri pro nunc non est instituti: illud tamen non præteribimus, quòd inter omnes curvilineas perfectissima habeatur circularis, seu sphærica, nec immeritò; cùm ejus præstantiam, natura in cœlo, stellis, elementis, viventium membris, alijsqué mixtis, imò & pleraqué animalium artificia, ut avium nidi, aranearum labyrinthi, cochlearum spiræ, &c. dignitatem, utilitatemqué commendent; cujus præter alias proprietates illa est maximè insignis, quòd capacissima sit inter omnes figuras Isoperimetras. Illa rectè sic definiri solet; est figura plana sub unica linea contenta, quæ peripheria, seu circumferentia dicitur, ad quam omnes lineæ ab uno puncto, quod centrum vocatur, productæ sunt æquales.

1127 Ex istis alia dicitur diameter, quæ ducitur per centrum ab una parte peripheriæ ad alteram eidem oppositam, secatqué circulum in duos semicirculos, quæ si producatur utrinque extra circumferentiam vocatur axis: alia radius, seu semidiameter, quæ à centro ad peripheriam excurrit, & prout secat circulum constituit seu quadrantem, seu segmentum, seu arcum ejusdem.

1128 At nè his diutiùs, quàm par est, immoremur, quid solidum sit seu corpus paucis ut definiamus, asserimus juxta communem Geometrarum sensum, illud esse, quod longitudinem, latitudinem & profunditatem habet: cujus multiplices sunt species, nempe sphæricum, cubicum, conicum, cylindricum, parallelobipedum, prisma, pyramis, conoides, sphæroides, tetraëdrum, &c. quorũ definitiones, proprietates, affectionesqué passim apud Geometras est reperire, ad quos Lectorem nostrum libenter remittimus, cùm fusiùs de illis, dequé universa Geometria agere in præsentiarum esset saltare extra orbitam nobis præfixam, quando per hæc aliud non intendimus, quàm ut terminos persæpe occurrentes in nostra physico-mathematica nominetenus saltem percipiamus.

1129 Quod dum præstamus, illud pariter adnotatum volumus, præcipua, eaqué solidissima argumenta ad demonstrandam infiniti categorematici in creatis impossibilitatem subministrari à Geometria: sic ex eo, quod demon-

ſtret nullam dari figuram maximam, & ſupremam, eò quòd figura omnis ſit ea, quæ ſub aliquibus terminis continetur, optimè infertur non eſſe poſſibilem creaturam perfectiſſimam: item ex eo quòd oſtendat duas rectas facientes angulum eò magis diſtare inter ſe, quò magis diſtant à vertice anguli, bene oſtenditur infinitum eſſe impoſſibile; nam ſi daretur trabs palmaris latitudinis, & infinitæ longitudinis, haberet illa pro ſuperficie parallelo- 1132
grammum infinitæ longitudinis, & latitudinis, palmaris; quo poſito ducatur diameter & fiat triangulum infinitæ longitudinis habens baſim palmarem, quæ baſis finita ſimul eſſet ex hypotheſi, & ſimul infinita, nam ducta diameter & latus trianguli quò magis recedunt à puncto, in quo faciunt angulum, eò magis diſtant inter ſe, & quidem per incrementa diſtantiæ æqualia; ultima verò puncta ad baſim diſtant infinitè à vertice anguli, adeoqué diſtabunt infinitè inter ſe, cùm tamen diſtent re ipsâ tantùm per palmum.

1130 Pari modo ex eo, quòd oſtendat non poſſe tranſitum fieri de finito ad infinitum per ſolam finiti additionem, quod neceſſariò fieri deberet admiſſo infinito aliquo categorematicè tali in quantitate, hujus oſtendit impoſſibilitatem, nam ſint duæ lineæ ex eodem puncto ductæ non parallelè infinitæ, quod fieri poſſe conſtat ex notiſſimo illo Euclidis: ex dato quolibet puncto quamlibet lineam deducere; interſecentur deinde illæ arcubus innumeris 1133
ſemper majoribus & minoribus, eò uſque quò demum perveniatur ad ſpatium, quo illæ inter ſe diſtare incipiunt infinitè; eſſet igitur arcus ultimus quicunque tandem ille foret finitus, & ex altera parte arcus immediatè ſubſequens infinitus, adeoqué fieret tranſitus de finito ad infinitum per ſolam finiti additionem quod manifeſtè repugnat.

1131 Similiter beneficio Geometriæ oſtenditur implicare puncta Zenoniſtica in continuo, quia datâ rotâ curruli, cujus exterioris circuli peripheriæ ſit punctum v.g. A determinatum, quod moveatur cum ſua circumferentia circa 1134
axem v.g. D, eodem verò tempore circulus interior rotæ minor v. g. E, cujus exterioris peripheriæ punctum F etiam moveatur cum ſua circumferentia, ut fieri eſt neceſſe, aliquantò tardiùs; exterior ſiquidem circulus æquali tempore plus ſpatij conficit, & majorem localem circulum percurrit quàm interior, ut patet, adeoqué intra 10. inſtantia, ſeu puncta temporis, ſi punctum A circuli exterioris con- 1135
fecit quinque puncta, punctum F circuli interioris pauciora confeciſſe eſt neceſſariũ, ſicq; vel minus confecit puncto uno indiviſibili, quod implicat, cùm implicet dari aliquid minùs indiviſibili, vel punctũ F aliquamdiu interrupit ſuum motum, quod etiam dici nõ poteſt, cùm non potuerit nõ continuè moveri; ſiquidẽ quando radius ſolidus movetur in rota, neceſſariò moveri debent omnia ejus puncta: alioquin ille frangi deberet, quod cùm non fiat, conſequenter dici nequit conſtare poſſe continuum indiviſibilibus formaliter talibus, ex quibus talis implicantia juxta geometrica, eaq; infallibilia principia ſequeretur. Sed neq; his ſalvis.

Admitti poteſt ex punctis virtualibus ſeu æquivalentibus, quæ inflata vocantur, componi continuum; tum quia hæc puncta in ſuo ſitu naturali poſita peterent haud dubiè certam ſpatij magnitudinem adeoque certam figuram, non trigonam, nec quadratam, aut polygonam, nam impoſibile eſt ut ex talibus continuum componatur, cùm nequeat reddi ratio cur punctum aliquod ex ſe petat magis extendi verſus orientem, quàm occidentem, aut verſus meridiem, quàm ſeptentrionem, cùm igitur ſola ſphærica habeat omnes æquales dimenſiones à centro ad peripheriam, probabiliùs hæc illis aſſignaretur; ſed nec hoc poſito poteſt confici intentum; nam ſi quodlibet peteret figuram ſphæricam in ſpatio, continuum ex pluribus componeretur vacuitatibus, quia circulus non poteſt circulum tangere in omnibus partibus, Euclide lib. 3. p. 13. & oculari experientiâ teſte, quâ conſtat orbiculos in feneſtra ſphæricos, ſi ſoli conſtituantur, relinquere complures vacuitates.

Nec dici poteſt quòd alijs punctis eæ replerentur; nam talia cùm exigerent ſphæricam figuram in ſtatu violento ſemper forent, ac conſequenter, omnis figura quæ ſphærica non eſſet, foret ſecundum ultima ſui puncta in ſtatu innaturali, utpote contrario propriæ ſuæ exigentiæ. Tum etiam quia in quadrato diameter non eſſet incommenſurabilis lateri, imò eſſet illi æqualis, neque enim ſolum punctum haberet tanquam menſuram lateri commune, ſed etiam tot punctis conſtaret, quot conſtat latus; conſequens autem eſt contra ultimam lib. 10. Euclid. ut conſtat.

1134 Præterimus ſcientes plures alios, eoſqué creberrimos uſus Geometriæ in univerſa paſſim philoſophia Ariſtotelica, ita ut non immeritò à Divino Platone jubeantur Ageometræ omnes ab adytis Philoſophicis abſtinere, totoque ſacro ſapientiæ abſiſtere luco.

Phyſico-mathematicæ ſubſerviens ſcientiarum ſubtiliſſima Algebra

1135 ALgebra, cujus ſolius eſt faſtuoſum illud, ſed verum problema; nullum non problema ſeu arithmeticum, ſeu Geometricum ſolvere, nullius impoſſibilis, tanquam poſſibilis inveſtigatione fatigari, ab Italis ſcientia Coſſica dicta, rectè deſcribitur dicendo, eam eſſe doctrinam bene inveniendi in Mathematicis; uti-

utitur autem ad suum scopum præcipuè numeris figuratis, qui etiam dicuntur Cossici, aut denominati, eò quod à certis characteribus denominentur, quales sunt ☉ . ♃ . ☾ ♃♃ ♇♃☾ ♃☾☾ ♃♃♃ ☾☾☾ etc. hoc est, numerus absolutus, radix, quadratum cubus, biquadratum, surfolidus, quadratocubus, & ex his compositi, ut Zensizensus, Zensicubus, Zensizenzensus, cubiculus &c. ponuntur autem hi characteres post arithmeticas notas, & cui nulla est addita judicatur habere characterem N.

1136 Quid autem sit numerus absolutus, facilè constat eum esse primum terminum, qui in aliqua progressione, seu arithmetica, seu geometrica occurrit. Radix verò ille dicitur numerus, ex cujus multiplicatione in se ipsum procreatur tertius, & ex multiplicatione ejusdem in productum tertium producitur quartus, & sic deinceps. Quadratus autem, quem alij etiam Zensum vocant, est ille qui producitur ex secundo in se ipsum multiplicato. Cubus ille dicitur, qui fit ex multiplicatione radicis hoc est secundi termini in suum quadratum; atque ita deinceps, sicqué scribemus. 3 ☉ 2 ♃ 7 ☾☾ 9 ♃♃ 10 ♇♃ . etc. & enunciabimus tres radices, duo quadrata, septem cubos, novem biquadrata &c.

1137 Alij rursus horum numerorum sunt simplices, qui scilicet solitariè ponuntur & nullam habent cum alio connexionem, ut fuerunt superiores; alij copulati, vel compositi, seu per hanc copulam ✠, quæ significat plus, qui numeri propriè dicuntur compositi seu affirmati, vel per signum —, qui vocantur diminuti, vel deniqué per utrumqué, ut 1♃ ✠ 3☉ ✠ 4 ♃♃ − 6 ☾☾ et 7 ☾☾ − 1♃ ✠ 3☉ etc. & Singuli item horum numerorum possunt esse rationales, vel irrationales, seu surdi; rationales sunt, qui dari & exprimi possunt; irrationales qui dari nequeunt, quorum signum præter characterem cossicum est

1138 Porrò cossici rationales, si eosdem habeant characteres eodem modo adduntur, & subtrahuntur, quo absoluti; sed si fuerint diversorum characterum, adduntur quidem per signum ✠, subtrahuntur autem per signum —. Multiplicatio verò & divisio eorumdem, sive eosdem habeant, sive diversos characteres, fit instar multiplicationis, & divisionis absolutorum, unico eo excepto, quòd producto ex multiplicatione addatur character, quem designat exponens utriusqué, tam multiplicantis, quàm multiplicati sibi additus; ex divisione verò ille tribuetur character quotienti, quem expetit exponens relictus, si dividens à dividendo subtrahatur. Ubi tamen adhuc illud est observandum, quòd si dividendus sit numerus minori characterе affectus, per affectum majori characterе futuram fractionem, & dividendum supra lineam, divisorem sub linea esse scribendum, sic si dividam 4 ☉ per 3 ☾ fiet quotus

1139 His statutis velut pro notitia terminorum hujus admirabilis scientiæ, ea tripliciter dividitur: in Analyticam, quæ est assumptio quæsiti tanquam concessi per consequentia ad verum concessum; in Syntheticam, quæ est assumptio concessi per consequentia ad quæsiti finem, & comprehensionem; & in Zeneticem, quâ invenitur æqualitas, proportionem magnitudinis de qua quæritur cum ijs, quæ data sunt; quod rursus fit dupliciter nimirum poristicè, quo pacto de æqualitate, vel proportione ordinati Theorematis veritas examinatur; & exegeticè, quo modo ex ordinata æqualitate, vel proportione ipsa, de qua quæritur, exhibetur magnitudo.

1140 Ex quibus patet quisnam sit finis scientiæ hujus, nempe æquationes in arithmeticis & geometricis, earumqué inventiones constitutiones, resolutiones, partitionequé, de quibus quod foret dicendum, quia transcendit limites nostri hoc loco instituti, ideo eum, qui plura præcepta de ea desiderat remittimus ad Analyticam, nobilitate æquè, ac doctrinâ Illustris Viri Franciſci Vietæ; & si aliquando in lucem prodierit omnimodam, quod potiori ex parte jam typis excusum est, ad accuratissimum opus Algebraicum P. Joannis Bapt. Schvvanari Viennensis è Soc. Jesu, apud quos quidquid hactenus de hac scientia traditum à diversis fuit, magno doctrinæ, & inventionum accremento, illustratum reperiet.

1141 Interea nos quatenus hujus vel principia prima Physico-mathematicæ inserviant ut demonstremus, exemplum damus in probanda implicantia infiniti in numero; juxta namqué hujus scientiæ principia plurimi exstant numeri, qui ex alijs per se ipsos multiplicatis non nascuntur, uti sunt 3, 5, 6, 7, 8, 10. &c. adeò ut ab unitate usque ad 100, sint 90 non quadrati, id est decima eorum pars, & usque ad 1000 solùm 100 quadrati sunt, atque ita consequenter quò magis ad majores numeros transitur, eò pauciores sunt quadrati; ex quo infallibili principio clarum evadit incomparabiliter multò majorem esse multitudinem non quadratorum, quàm quadratorum, & multò majorem quadratorum, quàm cuborum &c. ex quo sic deducitur implicantia infiniti Categorematici in numero.

1142 Imprimis enim multitudo constans omnibus tam quadratis v. g. quàm non quadratis evidenter major est, quàm quæ solis quadratis constat, juxta illud: totum est majus suâ parte; evidens etiam deinde est multitudinem omnem quadratorum æqualem esse multitudini radicum omnium, siquidem & quælibet radix unius quadrati radix est, & quilibet quadratus

non

non niſi unam radicem habet; ſed hæc duo ſibi manifeſtè contradicunt, quia multitudo omnium radicum eſt æqualis multitudini omnium omnino nnmerorũ; nam tam quadrati, quàm non quadrati ſunt radices, utpote per ſe ipſos multiplicabiles, & conſequenter multitudo quadratorum præcisè eſt æqualis multitudini non quadratorum, & quadratorum ſimul, contra id quod prius fuerat oſtenſum.

1143 Atque ne ſit effugio locus, tota hæc calculatio fundatur in illo principio infallibili; quę ſunt æqualia uni tertio ſunt æqualia inter ſe: adeoqué cùm multitudo omnium quadratorum æqualis ſit multitudini omnium radicum, & viciſſim hæc illi, neceſſe eſt ut unus quadratus uni radici reſpondeat: Deinde vero multitudo omnium radicum eſt æqualis multitudini omnium numerorum, & viciſſim hæc illi, quia omnes numeri ſunt per ſe ipſos multiplicabiles, adeoqué multitudo complectens ſolos quadratos eſt æqualis multitudini complectẽti omnes tam quadratos quàm non quadratos, hoc eſt pars æqualis toti, quod repugnat: repugnat igitur infinitum in numero, quod erat ex primis principijs Algebraticis demonſtrandum.

Phyſico-mathematicæ ſpeciei primæ, ſeu Coſmographiæ notio, quidditas, & objectum.

1144 COſmographia, quam primam, & meritò ob ampliſſimum quod nanciſcitur ſubjectum, ſupra diximus eſſe Phyſico-mathematicæ ſpeciem, à voce græca κοσμός id eſt mundus, & γράφω id eſt ſcribo, ſuum ſortita nomen rectè deſcribitur: eſſe partem ſcientiæ phyſico-mathematicæ demonſtrantem ac deſcribentem totius univerſi quantitatem, menſuram, ſitum, motum, figuram aliaſqué his connexas aut ex ijs manantes affectiones, & proprietates.

1145 Cujus deſcriptionis ſufficientia inde oſtenditur, quòd ſui definiti naturam ſufficienter exponat, ut conſideranti patet, cùm & faciat Coſmographiam differre & à ſcientijs purè mathematicis, ut patet ex modo dictis, & eam ſcientiam eſſe affirmet ob demonſtrationes nimirum ex evidentiſſimis deductas principijs; qualia ſunt; idem ſecundum idem non poſſe moveri motibus contrarijs; tria dari motuum lativorum genera præcipua; circularem figuram eſſe perfectiſſimam, &c. & demum eam diſtinguat à pura Phyſica, quæ mundum contemplatur præcisè quoad ejus ſubſtantiam, materiam, formam, illaſqué quæ in illo fiunt generationes, ac corruptiones præſcindendo ab ijs, quæ quantitatem ejuſdem conſequuntur; Coſmographia verò licét & hunc conſideret tanquam ſubjectum ſuum remotum, eundem tamen proximè ſpectat, quatenus quantum, & ſecundum eas, quæ quantitatem conſequi ſolent affectiones, quales ſunt figura, motus, menſura, magnitudo, aliæqué ex his ortæ.

1146 Unde facilè conſtat quodnam ſit illius objectum, ſeu materia circa quam illa ſuas exercet operationes ſive theoricas, ſive etiam ſubinde practicas, nempe mundus ipſe quantus quantus eſt, tam cœleſtis, quàm elementaris, quem ſignat & diſtinguit lineis, zonis, circulis, climatibus, parallelis, longitudinibus, latitudinibus, alijſqué ex quibus mundana quantitas aggregatur; quo in munere tanquam fidæ miniſtræ & ſubalternatæ diſciplinæ ei ſubſerviunt Aſtronomia, & Geographia, quæ ab ea diſtinguuntur ut ſcientiæ ſubalternatæ à ſua ſubalternante, Aſtronomia ſiquidem eſt Coſmographicæ ſcientiæ ſpecies de cœleſtium corporum quantitate terminata, eorum accidentia ſenſibilia terminante; & Geographia propriè ſumpta eſt item Coſmographiæ pars ſcientifica de dimetiendo, ac deſcribendo orbe terræ, ejuſqué ſuperficie habitata, vel habitabili. Porrò

Phyſico-Mathematicæ Coſmographiæ remoti ſubjecti notio, quidditas, ac quotuplicitas.

1147 QUia Phyſico-mathematicam ſcientiam eſſe diximus, nec immeritò, Coſmographiam, hinc communi quadam ratione de utraque ſcientia participante, quæ de illius ſubjecto dicturi ſumus, proferemus ita, ut & quæ Ariſtoteles docet de mundo, & cœlo; & quæ Ptolomæus de Coſmographica eorundem conſideratione præcipit ſuccinctè ſimul attingamus, unum ab altero minimè ſeparantes, prout ex intrinſecis ſuis principijs hæc mixta ex utriſque ſcientia exigere videtur.

1148 Nomine proinde mundi, non Archetypi, ad cujus exemplum & imaginem mundi hujus aſpectabilis pulchritudo, & effigies fabrefacta eſt, ſed ſenſibilis univerſam viſibilem rerum machinam ac Univerſitatem intelligimus, quæ à Græcis κοσμός ob admirabilem ſui pulchritudinem & concinnitatem dicitur, in qua omnia quæ ſunt, ordinem quendam habent, & ſubordinationem abſque ſubordinatione, vel dependentia ab alijs corporibus, quæ fortè extra illam collocarentur; dixi ordinem, & ſubordinationem quandam, tum quia multitudo rerum, quæ hujuſmodi carerent ordine chaos potiùs, ſeu confuſio, quàm mundus appellari deberet; tum quia ſi hoc non intelligeretur ſenſu, tolleretur omninò quæſtio de pluralitate mundorum, cùm foret illa totaliter impoſſibilis, ſiquidem plures, qui excogitarentur, unicam univerſitatem rerum omnium corporea-

porearum facerent, atque adeo unus necessariò essent mundus. Rectè eam aliquali definitione circumscribimus, explicamusqué dicendo; esse Opificium, seu aptam congeriem ex cœlo, elementis, ac naturis, quæ in eis comprehenduntur à DEO constitutam & conservatam propter ipsius Bonitatem.

1149 Neque obest huic descriptivæ mundi definitioni, quòd ea, quæ illâ explicantur, unam non habeant naturam; nam etsi sit verum quòd ille ex materia & forma quadam propria substantiali, ut quidam erroneé existimant, substantialiter compositus non sit, est tamen aggregatum quoddam habens unitatem ordinis suarum partium inter se constitutam à summo ipsius Opifice, quod sufficit ad sufficientiam datæ ejusdem definitionis.

1150 Defacto unicus ille tantùm est, quamvis plures esse in Rudolphinis Tabulis asserat Köpplerus, quem more vulgari non philosophico, & juxta communem loquendi modum, quo dicimus defacto nostrum mundum, mundum novum, &c. in hoc locutum fuisse putamus, ut sic virũ alioquin de re literaria optimè meritum eximamus ab illis censuris, quas in ipsum evibrant non pauci recentiorum; in tali autem sensu locutum fuisse illum de mundorum pluralitate actuali, patet ex ijs, quæ ipse subdit, dicens, eos brevi ab hominibus nostratibus detegendos esse, quod & fit cùm indies in novo orbe reperiantur populi ignoti, & cum quibus hactenus Europæis nullum fuit commercium.

1151 Cæterùm si in rigore philosophico mundorum pluralitatem adstrueret, haud dubiè & contra scripturam sacram loqueretur, cùm illa & de mundo semper in singulari loquatur; & doceat omnes homines ab Adamo progenitos; & testetur Apostolos missos in universum mundum prædicare Evangelium; imò & contra ipsam philosophicam rationem, quâ constat nullius rei affirmari posse existentiam, nisi vel ratio aliqua, vel experientia, vel authoritas, habeatur; cujusmodi nullam stare pro sententia Köppleri, si philosophicè, ut diximus, loquatur, cuiqué facilè constat.

1152 Neque est quòd quidam fors dicere posset à Doctissimo Kirchero doceri dari plures mundos, nimirum Archetypum, Empyreum, Angelicum, Harmonicum, Politicum, &c. atque à pluribus alijs ingenioſis Philosophis publicas exponi theses de utroq; mundo, &c. Nam sapientissimus Kircherus per mundum Archetypum alium non intelligit quàm DEUM ipsum, utpote exemplar perfectissimum rerum omnium; qui sine dubio mundus sensibilis, de quo hic agimus, dici nequit: sicut & per Empyreum intelligit felicem Beatarum mentium Patriam, de qua agere spectat ad Theologos: sicut & de mundo Angelico, per quem aliud non intelligitur, quàm ordo, & subordinatio, quæ inter Angelicas Hierarchias intercedit: per Harmonicum autem venit musicalis soni, vocum, & instrumentorum ordo, & concentus: ac per Politicum, imperium Hierarchicum, Monarchicum, Aristocraticum, & Democraticũ, quibus populi subordinatè gubernari & regi in civili vita solent; qui mundi metaphysicè, seu potiùs æquivocè talé sortiuntur denominationem; adeoq; ad rem præsentem nihil facit objectio, quando de mundo in propria, & physica ratione sumpto loquimur, quòd si tamen aliqui ingenioſis suis in thesibus eum duplicem esse asserant, intelligendi illi sunt nobiscum loqui de subdivisione illius totius in duas suas præcipuas partes, cœlestem scilicet, & elementarem; non verò de duplici alio mundo ab his distincto.

1153 Quibus tamen non obstantibus de possibili, atque absolutè loquendo plures esse mundos possibiles ab eo, qui defacto datur, diversos, eoqué magis magisqué perfectos, longè videtur probabilius: tum quia nullus effectus finitus potest esse adæquatus Potentiæ & Virtuti Infinitæ, ac illuminatæ, ita ut eam exhauriat, sicut enim nullum tempus adæquat æternitatem, nec ullus locus Imẽnsitatem, nec ulla virtus bonitatem, ita nec opus ullum adæquat DEI potentiam: tum quia pluralitati mundorũ possibilium cẽtrum gravitatis, quod in hoc reperitur nihil omnino obesse potest, ut quidam existimant; nam dato etiam nõ concesso, quòd in ijs gravia haberẽt gravitatem ejusdem cum nostrate speciei; cùm tamen gravitas sit propensio quædam, & inclinatio ad centrum, vel infimum locum universi, in quo grave illud continetur, & aliunde proprium quilibet ex ijs possibilibus mundis gravitatis centrum haberet, ad quod omnes cujusvis partes gravitarent, non secùs quàm defacto, in hoc fieri videmus; adeoq; si in alio mundo possibili ponerentur elementa ejusdem speciei cum illis, quæ defacto in nostro sunt, non esset quod formidaremus collisionem istorum mundorum ad invicem, tam parum quàm metuamus defacto, nè globus lunaris super nos ruat; ex eo quòd sciamus partes si quæ sunt graves, in lunari globo tendere ad gravitatis centrum ejusdem.

1154 Tum demum quia nulla adferri potest ratio impossibilitatem plurium mundorum probans; ea enim vel ab intrinseco esset, vel ab extrinseco; non primum, quia eadem obstaret etiam possibilitati mundi defacto existentis; non secundum, quia nullum ens positivum absolutum per sui positionem aliud positivum excludit à possibilitate, adeoquè nec mundi reliqui excluſi sunt à sui possibilitate per positionem hujus mundi.

1155 Quodque hactenus diximus intellectum

volumus de mundis poſſibilibus non numero tantùm, ſed etiam ſpecie differentibus; nam cùm eſſentialis ratio mundi defacto conſiſtat in quatuor illis gradibus ſubordinatis, entium videlicet, viventium, ſentientium, & intelligentium, ita ut priora ſemper ſint cum excluſione perfectionum, quibus poſteriora ſunt prædita, poterit utique aliquis mundus creari, 1158
in quo darentur præter quatuor dicta genera etiam quintum, ſextum, & ſic in infinitum, in quo tam juxta ea, quæ dicturi ſumus de formali, vel virtuali diſtinctione intrinſeca poſſibili in Metaphyſica, quàm ex dictis in Phyſica de poſſibilitate materiæ diverſæ, & perfectioris ſpecie; entis item materialis ſimplicis; hominumqué poſſibilium diverſæ ſpeciei ab his, qui in hac rerum ſerie ſunt, Angelorum item defacto exiſtentium perfectiorum, etiam quo- 1159
ad ſpeciem, non videtur poſſe eſſe difficultas.

Phyſico-mathematicæ Coſmographiæ objecti, ſeu mundi nulla eſt alia forma, quàm figura, eaqué, probabiliùs, ſphærica.

1156 ROBertus de Fluctibus, ipſiqué coætaneus Gerardus Mercator in præfatione ad ſuam Coſmographiam, ſecuti antiquorum quoſdam, mundo attribuunt formam viventem, univerſalem ſubſtantialem; cujus nomine ſi intelligerent DEUM, qui illabitur intimè rebus omnibus per eſſentiam, præſentiam & potentiam, ut loquuntur Theologi, eſtqué in ipſis & ad exiſtendum aſſiſtens, & ad operandum efficax principium, juxta illud: Spiritus Domini replevit orbem terrarum vivificans omnia; non eſſet cur eorum opinio improbaretur; at quia illi difficultatem iſtam intelligunt de forma quadam propriè informante, ideo reprobatur illa, ut prætereamus authoritatem, tum quia nemo eſt ſani judicij, qui cenſeat glebas camporũ, ſaxa & ſcopulos vivere, atque adeo habere animam, & quidem eandem cum igne, aëre, & aqua, nulluſqué eſt, qui talia affirmantem non rideat; ſiquidem lumen naturale dictare videtur fieri non poſſe, ut ſit animatum, & vivat corpus illud, quod omnibus vitæ organis caret, nullaſqué à ſe habet, vel inchoativè vitales diſpoſitiones; eò quòd in diſcontinuatis, & ſeparatis realiter ab invicem eadem eſſentialiter natura eſſe nequeat.

1157 Tum quia ſi datur hæc anima mundi, vel præter illam in rebus darentur aliæ formæ ſubſtantiales, vel non? ſi hoc ergo res omnes ſunt unica res ejuſdem omnino ſubſtantialis, & phyſicæ rationis, & naturæ; quod quis admittet? ſi verò dicatur quòd dentur, ergo plures formæ ſubſtantiales ſunt in eodem ſubjecto. Admittent fortè hanc conſecutionem adverſarij; verùm quàm rectè ſatis patet ex dictis in phyſica; quamvis non diffiteamur, quòd qui plures formas ſubſtãtiales partiales admittunt in viventibus; ſicut & illi qui elementa docent formaliter manere in mixto difficulter probare poſſint abſurdum quod admittunt, qui illatam ſequelam recipiunt.

Nequé ex eo, quòd in elementis fiant generationes, augmentationes, aliæqué mixtorum operationes hujuſmodi, benè arguitur dari animam aliquam earum principium; eæ namqué fiunt vi ſeminum diverſorum, quæ in ſe illa aliunde, nempe à proprijs cauſis adveni-
entia recipiunt, foventqué, ac juvant; proindequé ſatis eſt ſi hæ propriæ, & particulares cauſæ animentur; quibus ſolis tales generationes in genere efficientis tribuuntur.

1159 Multo minùs ex materia communi omnium argui poteſt dari etiam formam communem omnibus; nam communis tantùm illa eſt ſpecificè, non verò numericè; adeoqué ſi in materia nulla eſſet diſcontinuatio, nulla diſpoſitionum diverſitas, nulla formarum ſubſtantialium ad invicem ſubſtantialis tranſmutatio, fortè argumentum adverſariorum probaret dari etiam unam ſubſtantialem formam informatricem univerſi; ſed cùm contrarium evidenter conſtet, certum etiam eſſe debet in materia ſpecie metaphyſica una, numero verò alia & alia, non poſſe dari defacto unam formam informantem, atque adeo neque unam animam; à qua actuentur entia, quæ in mundo dantur phyſicè, & realiter.

1160 Nec demum ex operationibus ullis exiſtentia talis animæ, ſeu formæ informantis colligi poteſt; ſiquidem motus corporum ad vitandum vacuum, fluxus, & refluxus maris, generatio colorum ex qualitatibus elementaribus, productiones ignis ex ſilicis & chalybis collisione, effectus magnetici, alijqué his plures attribui debent non formæ uni communi, ſed particularibus cauſis & principijs, quorum ſingulis proprias virtutes Author naturæ eſt largitus; quod inde patet, quia hi tam mirabiles effectus arguunt potiùs è contra non poſſe ipſos provenire ab unica, ſed neceſſariò requirere produci à diverſis particularibus cauſis, & principijs.

1161 Quibus tamen non obſtantibus adhuc tribuenda eſt aliqua forma mundo, ſumendo ſcilicet formam, vel pro ipſa diſpoſitione, & ordine, quo extrinſecè inter ſe ſunt connnexæ partes mundi, juxta omniſcij Conditoris placitum; nam in ijs, quæ componuntur ex pluribus & ſunt tota integralia, forma eſſe, & dici ſolet ipſe ordo, & partium combinatio inter ſe; vel certè ſumendo formam pro ipſa figura, quâ totus continetur mundus; quam probabiliſſimè eſſe cenſemus ſphœricam, ſeu circularem, cum hæc ſit figura omnium perfectiſſi-
ma,

ma, aptissimaqué fini rerum, quæ in mundo sunt, earumqué motibus; sitqué maximè uniformis, atque distans secundum omnes suæ superficiei partes æqualiter à centro, ideoqué omnium Isoperimetrarum figurarum capacissima, ut facilè constat; talemqué comprobat mundo inesse figuram experientia, quâ videmus stellas, præsertim quas fixas dicunt, circa polos moveri retinendo eandem sensibilem distantiam; ac reliquas, dum apparent supra horizontem, mox paulatim elevari donec perveniant ad altitudinem meridianam, indequé pedetentim deprimi donec occumbant.

1162 Observamus præterea stellas polis proximiores, minores conficere circulos, quàm quæ propinquiores sunt æquinoctiali circulo; ex quibus clarè deducitur mundi sphœricitas; cùm tales motus proprij sint corporum rotundorum.

1163 Demum instrumenta mundum repræsentantia, qualia sunt sphœra, armilla, astrolabium, aliaqué his similia facta sunt ex suppositione sphæricitatis mundi; horologia quoqué sciotherica, seu gnomonica construuntur ex eâdem suppositione, & mirificè congruunt cœlestibus apparentijs, & irradiationibus.

1164 Accedit quòd partes mundi perfectiores, quales sunt Sol, Luna, reliquaqué sidera, elementa, quin ipsum humanum corpus rotunditatem affectent; imò agentia omnino omnia non impedita, sphæricè agunt, & ab uno quasi puncto per lineas quoquò versus æqualiter distantes suam diffundunt actionem.

Physico-mathematicæ mundi Cosmographica coordinatio, seu systema.

1165 INter systemata, seu coordinationes partium mundi inter se, multi multas, easqué diversissimas excogitârunt, inter quas maximè veritati consona videtur illa, quæ globum terraqueum quasi pro centro universi ponit, circa quem immediatè constituit aërem circumambientem, magis magisqué depuratum semper, ac tenuem, quò magis à superficie terraquei globi semovetur ad concavã usq; empyrei cœli superficiem; in quo deinde vastissimo spatio juxta præfixum ordinem à cuncti moderatore DEO, Intelligentiarum operâ suis quæq; in spatijs moventur sidera tam errantia, quàm inerrantia, unico motu ab oriente in occidentem per lineas helices, seu spirales; juxta quas mota illa modò altiora, modò humiliora, modò suprà, modò infrà, modò ante, modò post se invicem sese nobis spectanda exhibent.

1166 Quod systema, seu coordinationem præter authoritatem amplissimam complurium, tam in sacra, quàm Aristotelica philosophia versatissimorum, nobis suadet illa ratio; quia enitendum est, ut quantum fieri potest simplicissimæ hypotheses cœlestibus motibus adaptentur, nè frustra fiant per plura, quæ fieri possunt per pauciora; quod præstat adæquatè positum systema; tum quia attribuit corporibus sidereis illum motum, qui ita phænomenis, seu apparentijs respondet, ut sit quam minimis impedimentis expositus, cùm iste fiat per unicam spiralem lineam omnibus siderum motibus accommodabilem, & designabilem ab Intelligentijs summam peritiam habentibus de via, & ductu, per quem sidera dirigere, & movere debeant in bonum universi: tum quia removet à siderum motu omnem violentiam, omnemqué à medio, vel circumstante corpore resistentiam aufert, cùm æther ille tenuissimus absque difficultate cedat sideribus per ipsum motis.

1167 Tum demum quia alia hactenus excogitata mundi systemata, plurima inferunt Peripateticæ Philosophiæ inconvenientia; nam Ptolemaicum infert necessariò penetrationem naturalem corporum, & motus in eodem mobili secundum idem omnino oppositos; accuratissimis siquidem Astronomorum observationibus deprehensum est & Cometas ex prima regione aëris ita in altum ascendisse, ut post tempus aliquod inter sidera, quæ fixa dicuntur fuerint deprehensi; & Martem sæpè infra Solem, & Venerem supra Solem conspectam fuisse, quod fieri nullatenus potuisset juxta dictum systema, absque corporum penetratione.

1168 Quòd autem idem mobile moveri deberet secundum se duobus oppositis adæquatè motibus, etiam constat, nam motu raptûs seu diurno Luna v. g. diebus singulis movetur ab ortu in occasum, & rursus intra 29. dies communiter, suam conficit ab occasu in ortum periodum, quod formalissimè est moveri idem lunare corpus, idemqué de alijs dicendum, duobus contrarijs motibus adæquatè; cùm per tales motus idem mobile costitueretur in oriente, & occidente per lationem omnino oppositam.

1169 Neque etiam subsistit systema Copernicanum; nam uti contrarium S. Scripturæ, prohibitum est à sacra Congregatione Indicis, & præterea contra ipsum evidentissimæ ad oculum stant rationes, quas paulò post adferemus.

1170 Tertium pariter systema, quod Tychonianum dicunt, & vulgò jam recipitur propè ab omnibus, subsistere minimè videtur; tum quia per illud non apparet, quo pacto in cœlo liquido sidera utrumque suum motum nobis apparentem peragere possint absque repugnantia: tum quia hæc universa Tychoniani ratio inducit confusionem in ipsos Planetarum motus, inductura etiam aliquando eorumdem ad invicem collisionem, prout præclarè ostendit Malapertius apud Ricciolum: tum quia

non

non videtur veroſimile circulos majores Planetarum circumvectari à circulo ſolis multo minore ipſis; in quo cenſemus parallogizare illud ſyſtema, dum admittit veros, & reales circulos quos tamen in ipſa poſitione omnino negat.

1171 Cùm nullum igitur ex his tribus ſyſtematibus ſubſiſtat, quæ tamen præcipua cenſentur ab Authoribus, & ex quibus ſua conſarcinârunt Fracaſtorius, Argolus, Balianus, Hurtadus &c. neceſſario propè verum ſequitur probabilitas noſtri; donec ſubtilius aliquod ingenium oſtendat nobis viam beneficio Algebræ (quam omnino reperibilem putamus) per puram Logiſticam numeros motuum cœleſtium perficiendi.

Phyſico-mathematicæ Coſmographiæ ſubjecti productio, & conſervatio de facto.

1172 LUmine naturæ eſt notum, mundum non eſſe Ens à ſe, & ſimpliciter neceſſarium, independens, infinitum, ac immutabile; quod ſatis probat tum authoritas Sacra, quâ conſtat id continere primum Sacroſanctæ Fidei noſtræ articulum; tum Philoſophica ratio deſumpta & ab ordine, & à fine ejuſdem; ab ordine quidem, quia in mundo ſapientiſſimè omnia ſunt ordinata, ut cuilibet etiam mediocriter ſapienti eſt manifeſtum; talis autem ordinis neceſſariò aſſignandus eſt Author aliquis, qui eſſe nequit ulla pars mundi: ea enim vel corporea eſſet vel incorporea; non primum, quia ordinem conſtituere eſt opus mentis, & intelligentiæ, ſicut corporei eſt ordinari, ſeu ordinem accipere; non ſecundum, quia nequit venire in compoſitionem operis id, quod eſt ſupra totum opus, cùm ordinans totum, habere debeat ſibi perfectè ſubjectas partes, quas vel vi, vel naturâ ſubjectas ut habeat eſt neceſſe; vi autem nullus ſibi ſubjecit mundum, quia quod vim patitur perpetuum eſſe non poteſt, nec bene ordinatum; ac proinde melius, ſtabiliuſqué erit quod ſecundum naturæ impetum eſt.

1173 Cùm igitur omnes partes mundi ſint ſubjectæ ex natura ſua huic Ordinanti, neceſſariò ſequitur eas ab eodem eſſe; nam non potuit eas inveniſſe caſu aptas ad talem ordinem ſuſcipiendum; ſi enim neque in cythara v.g. plures chordæ ad harmoniam aptæ ſunt caſu, multò minùs in tanta machina, quanta eſt hæc mundialis; in tanta etiam rerum inter ſe pugnantium diverſitate, tam bene ordinata, tamqué apta, & concinna congeries à caſu eſſe poterit, præſertim cùm juxta doctrinam Ariſtotelis, quam maximè jactant hac in parte adverſarij, cauſa per accidens poſterior ſit causâ per ſe, illamqué ſupponat; Deus igitur erit per ſe cauſa mundi, & non caſus aliquis, qui proinde & cœleſtibus corporibus convenientes vires, ac virtutem, motumqué tribuit, & ſublunaribus aptam capacitatem, potentiamqué dedit ut perpetua ſit, & ordinatiſſima adminiſtratio univerſi.

1174 Neque evidenti huic diſcurſui tenebras affundit quorundam objectio ex mundo Politico deſumpta, quem Princeps etſi moderetur, & regat, illius tamen eſt pars; tenebras ſiquidem diſpellit omnes: tum illuſtriſſima diſtinctio, quâ conſtat Principem, quatenus ordinat Rempublicam ita ſe habere, ac ſi Reipublicæ pars non eſſet; quatenus vero ipſam Rempublicam integrat, ipſiuſqué ordini ſubeſt partem equidem ejuſdem eſſe nemo negabit; præſertim advertens ad latam diſparitatem, quæ etiam in ratione ordinantis Deum inter & Principem intercedit; cùm hic eſſe phyſicum rerum, ille verò minimè, ad ſui ordinationem, præſupponat.

1175 Ex fine autem ob quem mundus eſt, ſatis patet illum eſſe ab alio, cùm id quod à ſe eſt nulli motui, nulli mutationi ſit obnoxium; quod cum in mundo non deprehendamus, cùm omnia illius moveantur, mutentur, & interenni ſint viciſſitudine propter alia; ſequitur proinde clarè illum à Deo Conditore, Primoqué ejuſdem Principio eſſe, non quidem ex neceſſitate naturæ, ſed liberè operante juxta beneplacitum Divinæ ſuæ voluntatis; quidquid in contrarium aſſeruerit in tenebris gentilitatis oberrans Ariſtoteles; perfectiſſimo enim agenti cur negemus perfectam maximè operationem, qualis eſt illa, quæ à libero procedit arbitrio? ea enim quæ ex neceſſitate oritur ad extra haud dubiè perfecta non eſt, cùm operari neceſſariò, ſit quodam quaſi naturæ impetu agi, abſque ullo conſilio, & ſcientia, adeoqué ſic producta ordinata eſſe nequeunt, quem operandi modum quis neget Deum decere, ordinemqué illum, quem cernimus in univerſo? præſertim cùm Cauſa prima contineat in ſe eſſentialiter omnem rationem boni, & conſequenter extra ipſam illi nihil ſit neceſſarium; adeoqué neceſſitari nequit ad aliquid extra ſe producendum.

1176 Neque ad hæc addimus alia, quibus conſtat & perfectionem Dei adæquari non poſſe perfectione ſeu mundi, ſeu ullius creaturæ; & quòd mundus non habeat omnem poſſibilem perfectionem; & demum quòd, qui nolit recognoſcere mundum pro Deo, ut multi ex illis, de quibus Regius Pſaltes: dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus; faciunt, nullatenus admittere poteſt, reclamante naturâ, & intellectuali ratione, ac ſenſibili experientiâ, mundum ſeu ex neceſſitate naturæ operantis, ſeu à ſe eſſe: quidquid contra ſuadeat quidam, qui ex malè intellecto illo principio: repugnat Deo omnis contingentia, infert mundum neceſſariò productum fuiſſe; cùm Deus neque con-

contingenter, seu casualiter, neque necessariò, sed ex consilio, & propria sua libertate, contingentiâ præcisè tenente se ex parte termini producti, mundum produxerit initio temporis.

1177 In quo haud dubiè erravit Aristoteles, alijqué cum Commentatore, ejus sequaces, quorum Authoritas tanti esse nequit, ut vel authoritati SS.æ nostræ Fidei, vel philosophicæ rationi in minimo præjudicet; præsertim quãdo rationes, quibus ad id asserendum fuit persuasus, levis valde sint ponderis: nam ea, quam 1182 ex immutabilitate essentiali Primi Motoris desumit; falsò innititur supposito, cùm supponat mundum à Deo ex necessitate naturæ operante fuisse productum, nam de agentibus solùm necessarijs, & creatis verum est illud: idem eodem modo se habens semper facit idem; non verò de agentibus liberis, qualis Deus est, qui nec semper, nec nunquam, sed tunc produxit mundum quando ipsi placuit.

1178 Altera pariter quam assumit ex actione productiva mundi, quam vocat æternam, vera solùm est secundum id, quod dicit illa in recto, secundum quod est Deo ipsi identificata, non autem secundum quod dicit in obliquo, cui repugnat, ut mox dicemus, æternitas à parte ante.

1179 Similiter tertia sumpta ex bonitate primæ Causæ, vi cujus esse videtur summè communicativa, suiqué summè diffusiva, universim non subsistit, eò quòd vera solùm sit respectu eorum, quæ in Deo ad intra sunt, non vero respectu eorum, quæ liberè facit ad extra, alioquin omne possibile defacto esset actu; omnis creatura esset perfectissima, &c.

1180 Quarta demum quâ ostendit mundum non habere secundum se totum contrarium, adeoqué fieri non potuisse, nihil probat, ex eo quòd confundat simul actionem generativam, & creativam; illa namque solùm essentialiter requirit prima contraria ad sui esse, non verò creativa, quæ est productio rei simpliciter ex nihilo, quæqué soli Deo competit, &, quam longè probabilius est, latuisse Aristotelem.

Physico-mathematicæ Cosmographiæ subjecti productio de possibili.

1181 Cùm indubitatum sit apud sanioris Philosophiæ sectatores mundum defacto non exstitisse ab æterno, quæstio exoritur inter eosdem, an saltem de possibili & absolutè esse potuerit? qua in celebri quæstione imprimis nobis illud videtur tenendum; mundum, prout defacto est, & cum ista rerum vicissitudine, quam in ipso experimur, esse nequisse æternum; tum spectatis circulationibus corporum cœlestium, prout nunc fiunt, tum mutationibus, quæ in globo terraqueo perpetuâ sibi succedunt vicissitudine; ex illis namqué, si æternæ fuissent, evidentissimè deducitur infinitum clausum terminis, ut patet calculanti circulationes solis, & lunæ, earumqué numerum ad invicem conferenti; nam circulationes lunares deprehenduntur superare undecies circulationes solares, adeoqué ab illo termino finito, quo illæ has excedunt, & à termino hodierno, quæ intercipiuntur lunares terminantur, adeoqué finitæ essent & terminatæ, cùm tamen ex hypothesi essent infinitæ, & illimitatæ.

1182 Ex mutationibus autem globi terraquei quas defacto indesinenter fieri cernimus mundum esse non potuisse ab æterno clarè concluditur, siquidem animadvertimus montes imminui, & valles semper fieri profundiores; percipimusqué sensibiliter è montibus quotidie ab aqua, & torrentibus terram, arenam, glaream, & saxa devehi ad inferiora, & tamen nullum scimus in natura principium è contra, vi cujus illa terra, arena, saxa &c. sursum revertantur; cùm igitur sit in natura principiũ, terram &c. ex montibus ad planitiem detrahendi, nullum verò quo terra detracta revertatur ad montium cacumina, evidens est ex naturæ principijs non potuisse globum terraqueum esse ab æterno in eo statu, in quo nunc est, & cum eadem rerum vicissitudine; nam quamvis subinde maria & flumina, imò & montes sedem mutent: attamen quo pacto montes, qui quotidie detractâ terrâ complanantur iterum exsurgant, & tantumdem rursus revehatur ad superiora, nisi quis fingere velit montes ab æterno infinitæ fuisse magnitudinis, quod nemo credet, explicari non potest.

1183 Nec est quòd talis montium augmenti principium dicant quidam, esse terræ-motus; nam licet in una, alterave globi terraquei parte aliquando terra elevaretur, & intumesceret vi terræ-motuum in collem, seu cumulum aliquem, quod tamen vix vel semel contigisse legitur longo sæculorum decursu, at quomodo id salvari potest respectu aliarum partium, quæ vel nunquam, vel rarissimè terræ-motibus concutiuntur?

1184 Sed nec solum juxta præsentem rerum statum mnndus potuit esse ab æterno, verùm nec quocunqué spectetur modo, sive secundum entia permanentia, sive secundum successiva, æternitate potuit donari à parte ante. Quod verum esse præter authoritatem sacram his philosophicis rationibus patet. Primò omnes creaturæ essentialiter sunt ex nihilo sui, adeoqué debent necessario transire de non esse ad esse sui, quod autem transit de non esse ad esse æternum esse nequit, cùm quod habet aliquid se prius inde habeat initium suæ durationis, sive inde incipiat, quod nulli æterno convenire potest, ut ex terminis est notum.

1185 Secundò quia creatura æterna eſſet abſolutè indeſtruibilis, hoc enim ipſo quòd careret eſſendi initio, careret etiam eſſendi fine eſſentialiter, & conſequenter deſtrui nequiret; nam ſi id poſſet fieri, ſic poſſet, ut vel nullum eſſet poſſibile tempus, aut temporis inſtans quo non poſſet deſtrui; vel è contra eſſet tantùm aliquod tempus, quo poſſet deſtrui: ſi primum, duratio ergo creaturæ talis eſt, ut non exigat ulli parti determinatæ temporis coëxiſtere, vel illâ menſurari, nedum tempore infinito à parte ante; ſi ſecundum, ergo tempus illud, quo deſtrui non poſſet, deberet produci, adeoqué eſſet finitum, & conſequenter deveniretur ad ejus finem, ad quem cùm deventum eſſet, non ſolùm res durans poſſet deſtrui, ſed deberet eo ipſo detineri duratione ſuâ jam terminata, niſi de novo alia finitâ afficeretur, & ſic non ſimpliciter æterna foret, ſed tantùm ſecundum quid.

1186 Tertiò quia mundus vel alia æterna creatura aut eſſet ſui duratio, aut haberet diſtinctam durationem; non primum, quia ſic eſſentialiter eſſet æterna, & nó poſſet eſſe niſi æterna, & conſequenter indeſtruibilis ex intrinſecis ſuis foret principijs; non jam ex eo, quòd exempta eſſet à DEI Dominio, vel extra ejus potentiam, vel non eſſet ens ab alio in conſervari, prout fortè dici poſſet, ſed ex eo indeſtruibilis eſſet creatura illa, quia egrederetur à DEO ſecundum indiviſibile *nunc* æternitatis ipſius, & haberet produci, & permanere, fieri ac conſervari planè idem, non ſecùs quàm Verbum æternum quod indiviſibiliter eodem modo procedit, producitur & permanet, neque aliud diſcrimen inter talem creaturam, & æternum Verbum foret, quàm quòd creatura illa liberè, Verbum verò neceſſario proceſſiſſet.

1187 Quartò quia talis creatura haberet omnes ſuas operationes ſimul, quas per infinita ſæcula habere poſſet, ſi duraret cum eſſendi initio; patet, nam duratio æterna, ac ſimultanea æquivalet durationi ſucceſſivæ infinitæ, ejuſqué perfectionem omnem eminenter in unum *nunc* indiviſibile colligit; cùm igitur per durationem ſucceſſivam infinitam creatam creatura illa apta eſſet elicere operationes plures, & plures abſque termino, duratio æterna in unũ colligeret potentiam extenſam, & quodammodo diviſam per infinitum tempus; & niſi ſic colligeret creatura illa non tantùm poſſet in dimidia v. g. hora, quantum in integra, adeoqué eſſet illius duratio ſucceſſiva, contra hypotheſim, quam ut ſervemus debemus dicere, quòd ſi talis creatura æterna eſſet rationalis, haberet infinitam vim intelligendi, vel ſi eſſet rationis expers vim infinitam aliter operandi; quam vim tamen nunquam poſſet redigere in actum, cùm juxta exigentiam naturæ ſuæ operari ab æterno non poſſet.

1188 Si enim ignis eſſet ab æterno, eiqué ſtupa ab æterno etiam applicata, ab æterno ignis ſtupam combureret & non combureret, combureret quidem, quia in igne eſſet ſufficiens virtus activa, & in ſtupa paſſiva ad combuſtionem; & non combureret, quia forma ignis, & forma ſtupæ in eadem materia coaluiſſent, ſive ſimul fuiſſent ab æterno; adeoqué non niſi poſt æternitatem finitam ignis ſtupam combureret; ut has rationes conſideranti etſi paradoxicæ videantur, clariſſimè apparet; ita quidem.

1189 Ut ijs confirmetur alia, quam ſuprà attulimus de indeſtruibilitate rerum æternarum, eò quòd DEUS creaturam talem ab æterno abſolutè annihilare non poſſet, niſi elapsâ totâ æternitate, cùm non poſſit ullatenus dici æternum illud, quod finito ſolùm duraret tempore.

1190 Quintò demum impoſſibilitas creaturæ ſucceſſivæ ab æterno conſtat ex ipſa notione ſucceſſionis eſſentialiter involventis prius, & poſterius; implicat autem ab æterno eſſe prius & poſterius, quia pars motûs, aut temporis poſterior præſupponit neceſſariò priorem, ex cujus deſitione eſſentialiter trahit initium ſui; imò pars illa prior non haberet finitam ſolùm durationem, adeoqué poſterior nunquam inciperet niſi elapsâ totâ æternitate; ſicqué poſterior non exiſteret ab æterno, quia quod ſupponit aliud prius ſe ab æterno exiſtens æternum eſſe non poteſt.

1191 Contra tamen hucuſqué dicta nec leves, nec ſolutu faciles ab ingenioſiſſimis recentiorum opponuntur difficultates, quarum prima eſt, quòd neceſſitas conſequens non repugnet Divino Dominio, quod veriſſimum eſſe aſſerimus; at negamus creaturam æternam ex ſuppoſitione ſolùm eſſe indeſtruibilem; nam exigit DEI ſupremum dominium, ut de creatura ex ſuppoſitione tantùm æterna ita decernat, ut potuerit contrarium decernere, quod non contingeret in caſu, quo creatura ab æterno eſſet, ſiquidem habere non poſſet aliud decretum, quàm de conſervãda illa per totam æternitatem; Angelus enim v. g. æternus liberè non exiſteret, quando exiſteret, quia omne id quod exiſtit, dum exiſtit neceſſario exiſtit; neque etiam liberè exiſteret priuſquàm exiſteret, quia libertas ſeu indifferentia in Angelo ad exiſtendum, vel non exiſtendum priuſquam exiſteret ſupponeret eum non exiſtere in aliquo inſtanti antecedenti exiſtentiæ; eò autem ipſo, quòd Angelus æternus eſſet in nullo inſtanti eſſet indifferens ad ſuam exiſtentiam, adeoqué eſſet eſſentialiter ab æterno exiſtens.

1192 Neque dicat ſufficere ut habeat exigentiam ad exiſtendum vel non exiſtendum, tametſi actu non poſſit exiſtere vel non exiſtere

ſed

sed necessariò existere debeat; nam frustra assignatur talis exigentia, seu potentia, quæ implicat unquam ut reducatur in actum.

1193 Altera difficultas est in eo, quòd defacto detur creatura carens fine, adeoqué à paritate rationis videtur dabilis esse, quæ careat initio: sed hæc facilè resolvitur inde, quòd non detur creatura carens fine vi durationis actu completo habitæ, sed solùm vi durationum successivarum per adjectionem novæ semper durationis versus futurum in infinitum; quo pacto haud dubiè potuit dari etiam carens principio vi durationum successivarum, seu per adjectionem versus præteritum durationum præteritarum non tot quin plurium, ita ut sicut datur æternum à parte post absque eo quòd unquam assignabile sit instans, quo verum sit dicere, hucusqué duravit actu infinito tempore, sic omnino potuisset dari in infinitum à parte ante absque principio determinati *nunc*, in quo verum fuisset dicere, modo incipit, cùm semper prius & prius potuerit incipere.

1194 Imò faciliùs quis solvet hanc difficultatem si admisso antecedente negaverit consequentiam, & disparitatem latam ostenderit in eo, quòd in casu antecedentis non supponatur creatura illa transijsse à non esse simpliciter ad esse, sicut in casu consequentis necessariò præsupponi debet quòd transierit ad non esse sui ad esse sui, qui transitus essentialiter repugnat æternitati à parte ante.

1195 Tertia difficultas, eaqué ardua est in eo, quòd agens liberum quâ tale non subsit perfectè Dei dominio, ita ut pro absoluto Dei imperio agat vel non agat, cùm pro arbitrio suo agens non agat pro arbitrio Dei, hoc est Deus non habet perfectum dominium actionis liberæ, ita ut illi imputetur. Verùm & hæc ratio falsum assumit, nam ex communi Theologorum, Jurisqué peritorum doctrina, ad perfectum Dominium etiam Divinum sufficit, quòd possit Deus disponere pro suo opere ne agat, vel non agat tali, vel alio modo; imò ut creatura liberè agat subest Divinæ voluntati; novit namque Deus omniscientiâ suâ infinitâ non tot quin plura media, quibus positis infallibiliter aget creatura ita liberè, ut ex vi eorumdem posset non agere; quo posito aget quidem pro arbitrio suo illa, sed etiam pro arbitrio Dei, quæ duo sese non destruunt, verùm per scientiam conditionatam quam Deus habet, perfectè se compatiuntur, & quidem sub omni gradu libertatis creata, prout fusius Theologi id ostendunt in 1. part.

1196 Demum lubeat & quartam, eamqué multiplicem adferre: de se non implicat aliquid produci ab æterno, ut patet in Divina Verbi, & Spiritûs S. productione. Deinde in hac propositione, creatura est æterna, prædicatum non repugnat subjecto. Tertia quia creatura æterna esset effectus realis, & esset à Deo ex nihilo sui. Amplius, quia possibilitas mundi nunquam incepit adeoqué fuit æterna. Insuper dantur veritates aliquæ de Ente creato pro omni tempore, quæ æternæ veritatis dicuntur. Præterea ab æterno Deus habuit omnipotentiam liberam, omniaqué requisita ad producendum mundum. Ulterius Deus non est perfectior in agendo post æternitatem quàm ante, cùm igitur post æternitatem habuerit potentiam producendi mundum, cur & non idem facere potuit ab æterno? Demum sicut sol si esset ab æterno ab eo lumen æternum effectivè procederet, ita cùm Deus ab æterno fuerit procedere potuit mundus ab æterno. Et tandem quæ potest assignari implicantia cur non potuerit tota collectio rerum æterna esse? Hæc quidam recentior pro possibilitate mundi ab æterno aggregat argumenta.

1197 Verùm ex principijs hactenus positis & infrà ponendis non absque magna difficultate difficultates omnes illius resolvuntur. Imprimis enim verissimum est quòd productio Verbi & Spiritûs S. æterna fuerit, at non ex nihilo sui qualis esset creaturæ essentialiter. Deinde prædicatum æternitatis simpliciter etsi non destruat conceptum subjecti creati formaliter, destruit illum tamen consecutivè, cùm destruat distinctivum essentiale creaturæ, quod est ut transire debeat de non esse ad esse. Ad tertium dicimus ex eadem ratione creaturam æternam esse ex hypothesi, creaturam absolutè verò minimè, cùm careret fundamentali sui distinctivo. Ad quartam possibilitas mundi essentialiter est ab alio & non à se, adeoqué præsupponit necessariò sui essendi principiũ, cum quo in duratione æqualis esse non potest. Ad quintum propositiones æternæ veritatis dicuntur, & sunt tales ideo, quia nullum est assignabile determinatum tempus, in quo prolatæ veræ non sint. Ad sextum dicimus Deum habuisse omnipotentiam liberam ex parte sui, omniaqué requisita ad producendum mundum, defuisse tamen ex parte termini creabilis possibilitatem, seu capacitatem passivam terminandi talem ab æterno productionem, quam capacitatem ex intrinsecis suis principijs habet solùm pro tempore, ob incompossibilitatem creaturæ cum æternitate. Ad septimum respondemus Deum quantum de se est habere eandem semper virtutem, ex qua tamen nihil prodire potuit ab æterno ob defectum tenentem sese ex parte passivæ potentiæ termini: sicqué productio passiva mundi ab æterno perinde est ac productio chymæræ, quæ quidem non est juxta, aut supra vires Divinæ omnipotentiæ, quasi illa producibilis esset ab aliqua alia perfectiori potentia, sed est tantùm præter vires omnipotentiæ, quatenus

hæc

hæc ob sui perfectionem terminum involventem contradictoria producere nequit.

1198 Demum ad paritatem illam de sole, dicimus in eo disparem esse, quòd effectus creatus possit esse cum sua causa simul tempore determinato, eò quòd semper haberi possit transitus à non esse ad esse; non possit verò esse cum Causa Increata, quia transitus talis in æternitate haberi nullatenus potest, utpote absolutè repugnans conceptui æternitatis.

Physico-mathematicæ Cosmographiæ objecti actualis productionis qualitas, ejusq; circumstantiæ.

1199 EX dictis satis constat mundum nec fuisse, nec esse potuisse ab æterno; unde sequitur, & quidem naturali ratiocinio, illum in tempore productum esse à Primo Motore, & Causa per actionem creativam, utpote ipsi soli convenientem, quam veritatem manifestè nobis suadet, ut authoritatem prætereamus, illa ratio, quòd per illam actionem mundus fuerit productus quoad sui præcipuas partes initio temporis, quæ fuit omnium actionum prima, per quam Deus se ad extra communicavit juxta receptissimum illud: ordini agentium respondere debet ordo actionum: hæc autem prima actio alia esse nequijt, quàm Creativa; nam eductiva necessariò præsupponit subjectum, ut patet ex essentiali differentia istarum actionum ab invicem: cùm igitur & aliunde certum sit, actionem creativam solius agentis Increati esse operationem, ut infrà demonstrabitur, bene sequitur à solo Deo mundum conditum esse, nec produci ab ullo alio agente.

1200 Neque obest quòd mundus passim dicatur à sacris commentatoribus productus fuisse ex materia invisa, & informi; nam hoc solùm dicitur in sensu accommodo, & non rigorosè quia si propriè & absolutè id diceret, materia illa invisa, ex qua dicitur productus mundus, vel esset producta, vel non, primum, ut erroneum, admitti nequit, ergo secundum, unde sic: vel materia illa producta est ex alia, ut quidam recentiores probabile esse existimant, sed improbabiliter; nam sic evidenter daretur processus in infinitum: vel non ex alia, & sic est creata, ut constat ex natura creationis; cùm autem materia nunquam fuerit coñaturaliter absque forma, eò quòd talis imperfectio dedeceat summum Opificem, cujus perfecta sunt opera, ideo dicendum est, quòd mundus, quoad præcipuas sui partes productus fuerit per actionem in omni rigore creativam; quòd verò dicatur materia illa informis, & invisa, id dicitur ratione carentiæ formarum mixtorum entium, v. g lucis, colorum, aliorumqué accidentium, & qualitatum secundarum sensibilium, ob quem defectum moles illa admirabilis informis, & spectatu inepta erat.

1201 Neque ex his tamen sequitur omnia, quæ in universo continentur fuisse producta statim initio temporis, sive instantaneo, sive successivo; cùm probabilius longè sit in eorum productione Deum insumpsisse justum intervallum sex dierum juxta infallibilem narrationem sacri Historici, ita ut principio rerum omnium, primoqué momentaneo temporis initio propriè dictâ creatione, creatum fuerit à Deo cœlum empyreum, in eoqué Angeli, materia item prima substantialibus elementorum formis informata: ex qua deinde toto mundi decursu, primùm à Deo reliquis quinqué mundi diebus; & deinde ab alijs agentibus creatis, reliqua omnia formantur. Verbo fecit ex nihilo omnia Deus, quæcunqué per actionem creativam facienda erant, rationali tantùm animâ exceptâ; quibus creatis statim initio primæ diei sex horis interjectis produxit lumen, lucemvé primigeniam.

1202 Qui noster discursus probabilissimus redditur; & inprimis quoad sui primam partem inde, quia cùm illa, quæ narrantnr primâ die facta, dicantur creata, in principio scilicet temporis, & principium temporis importet instantaneam quandam simultatem sive positivè, sive negativè talem, consequens est, quòd omnia illa creata fuerint simul.

1203 Quoad secundam verò, etiam constat ex eo quòd multa dicantur facta in illis sex diebus, quæ simul esse non poterant, ob naturalem repugnantiam, quam ad invicem habent, cujusmodi sunt esse tenebras super faciem abyssi, & lucem; materiam informem, & formatam formis mixtorum, terram vacuam, & plenam virgultis, germinibus &c.

1204 Ostenduntur eâdem ratione etiam reliquæ partes discursûs nostri sic: quia omnia quæ facta sunt, animâ rationali exceptâ, per veram creationem facta sunt primo mundi initio; cœlum autem empyreum, cùm ex natura sua sit producibile solùm per creationem, quia conforme est rectæ rationi, quòd illud sit incorruptibile, & inalterabile, nam decens est, ut pararetur Beatis locus constans, & invariabilis, ac conformis perenni illorum statui, adeoqué empyreum illo momento productum fuit, in quo primo Deus actum creationis propriè exercuit talis; intra quod tanquam in proprio loco simul productos fuisse Angelos colligitur ex communi consensu Sacrorum Interpretum existimantium nomine cœli significatos fuisse Angelos Cœli habitatores, sicut contentum sæpe dicitur metonymicè pro continente.

1205 Quòd verò productæ etiam fuerint, & quasi increatæ materiæ ipsi, formæ elementares, constat inde, quia Deus in prima creatione res tantùm creabiles produxit juxta exigentiam naturæ cujusqué; nam natura ejusqué

author per se semper intendit opus perfectum; & si quando à perfectione operis recedit, hoc fit ex aliquo impedimento tenente se ex parte operati ob defectum alicujus particularis causæ, quale impedimentum dici non potest intervenisse in prima rerum productione; & licèt natura procedat ab imperfecto ad perfectum, in hoc tamen processu imperfectio non est nuditas materiæ, siquidem hanc natura abhorret. Cùm igitur materia exigat, ut non existat sine forma substantiali connaturaliter, quales præcipuè sunt formæ elementares, cla-*1209* rum evadit eas fuisse materiæ concreatas, & non eductas, cùm non adfuerint nec adesse potuerint illa, quæ essentialiter requiruntur ad constitutionem substantialis eductionis.

1206 Ratio autem, quæ nobis suadet ultimam discursûs nostri partem, est, quòd cùm tenebræ hanc lucis productionem præcesserint, necesse sit ut non statim ab initio, sed paulò post intra limites tamen primæ naturalis diei mundi hoc efficax imperium Dei: Fiat lux; datum fuerit.

1207 Unde solvitur facilè curiosum illud problema: an prior fuerit nox, an dies? quod ne frustraneum sit, nomine noctis intelligi non debent tenebræ illæ universales, quæ erant super faciem abyssi; nam sic non esset controversia ulla, quòd nox lucem præcesserit; verùm problematica quæstio procedere debet, an lux primigenia sumpta cum respectu ad *1210* eam mundi partem, ubi postea fuit paradysus, vel regio Palæstinæ, quæ primâ vice ab hominibus habitata fuit secuta sit noctem, vel è contrà; quo posito probabilius censemus diem primum naturalem, qui constat horis 24 compositum fuisse ex prioribus sex horis tenebrarum, seu ex duratione sex horarũ noctis æquivalenter mensurabili horis lucis, & ex duodecim horis subsequentibus lucis, atque ex reliquis sex horis ab occasu ad mediam noctem; adeoqué initium primæ diei mundi factum esse in puncto æquivalenti puncto mediæ noctis, & finem illi impositum in puncto mediæ noctis subsequentis moram lucis primæ diei.

1208 Quod, ut asseramus, inducit nos primo usus, & praxis S. Romanæ Ecclesiæ, & communis Doctrina Astronomorum de die Astronomica: deinde quia sic benè explicatur, quo pacto Sacri Interpretes doceant primordialem lucem affulsisse in cardine orientis. Tertiò quia rectè salvatur quomodo mundi nativitas ad primum diem spectet absque superfluitate *1211* temporis, seu durationis alicujus præcedentis lucem. Quartò quia sic facilè ostenditur, quâ ratione post conditum Empyreum Angelos, materiam, & formas elementares eadem die, sed aliquantò tardius facta sit lux primodialis. Quintò quia eodem momento congruè dicitur factum initium creationi mundi, quo factum est initium ejusdem reparationi, sed dum medium silentium tenerent omnia, ipso scilicet mediæ noctis puncto Verbum æternum caro factum ex Virgineo utero nascens in terris fecit initium reparationi mundi. Demum quia sic benè demonstratur quomodo intra eandem diem naturalem, seu astronomicam factum sit manè & Vespere dies artificialis seu civilis &c. Ex quibus patet directum responsum ad problematicum quæsitum, videlicet totam diem artificialem præcessisse totam noctem, seu integram artificialem.

In constituendo autem quid fuerit lux illa primigenia discordant non parum inter se Authores: nobis videtur probabiliter illam fuisse ejusdem speciei, non tamen numeri, cum luce solis, & sustentatam ab igne, æthere & aëre tanquam à subjecto. Cujus probabilitatis ratio est, quia sic ad litteram bene explicatur, quomodo primâ die facta sit lux, & quartâ die deinde ipse globus solis, qui lucem ejusdem speciei dependenter à Deo produxit, cujus speciei lucem Deus solus antea exigne produxerat, eandem vel per se immediatè vel mediante Angelo aliquo movens super faciem cæli eo modo quo nunc sol movetur; quidquid enim Sol nunc facit, potuit Deus facere solus producens, & conservans lucem illam successivè in corporibus illis, quæ prius creaverat.

1210 Reliquis porrò quinque diebus cætera opera tali ordine probabilius est facta fuisse; nempe secundâ die mundi à Deo omnipotente expansum esse (uti propriè significat vox firmamenti) vastum illud spatium, quod undiqúe terraqueum globum ambit usque ad cælum empyreum exclusivè. Tertiâ verò Oceani cavitatem fecit, ac terram inde erutam in montes & colles varijs locis sparsos elevavit; excavavit præterea terræ viscera in aquarum subterranearum, & mineralium receptacula; in quæ non naturali gravitate aquæ defluxerunt; nam opus ad id fuisset longo tempore, sed divinâ virtute momentaneè fuêre translatæ; post quod statim apparuit arida, quæ mox Dei imperio convestita est herbis, plantis, arboribus, &c. conducentibus ad utilitatem, & ornamentum universi, ac usui animalium producendorum; sicque ut verbo dicamus, secundâ mundi die expansio facta est, & separatio ab invicem quatuor elementorum.

1211 Quartæ autem diei opera fuerunt Sol, Luna, reliquaque sidera tam errantia, quæ Planetæ, quàm inerrantia, quæ fixæ dicuntur; modo quo infrà explicabimus. Dies mundi quinta in lucem dedit pisces, aves, cæteraq; animalia, quæ propriè seminali virtute sibi similia generant; & quidem probabile est non tantùm bina cujusque speciei, seu cujusq; sexûs singula, sed plura in varijs terræ partibus;

præſertim cùm varijs animalium ſpeciebus diverſarum regionum temperies magis congruat. Dixi quæ propriè virtute ſeminali ſibi ſimilia generant, quia valde eſt probabile, quòd *1216* quæ ex commixtione diverſæ ſpeciei generantur in principijs ſuis fuerint diſcriminata; quod idem dictum volumus probabiliter de inſectis, cæterisque imperfectis animalibus, quæ vel ex putri, vel ex animalium corporibus enaſcuntur, eò quòd talia ad ornatum univerſi minùs conducant.

1212 Sextâ demum die poſtquam præcedentibus diebus (propriè nimirum talibus & conſtantibus 24. horis, & numero omnino ſex, integram conſtituentibus hebdomodam cum ſeptimo, in quo Deus dicitur quieviſſe ab omni opere quod fecerat, cùm ſumenda ſint verba S. Hiſtorici in propria ſignificatione, niſi vel ratio, vel ipſe contextus contrarium perſuadeat; quorum neutrum urget in præſenti) cùm omnia Deus perfeciſſet, ex limo terræ corpus Adami absque ullo defectu, in temperie valde excellenti ad omnes operationes vegetativas, ſenſitivas & rationales diſpoſitiſſimo, illudque animâ rationali ex nihilo rigorosè creata informans vivificavit: translatumque in paradyſum præſentavit illi cuncta animalia, ut vocaret ſingula nomine proprio, & tandem ex dormientis coſta formavit Evæ corpus, quod pariter rationali informavit animâ, viverèque fecit in adjutorium Adamo eidem ſimile.

1213 Quæ omnia, unita, ut diximus, rationali animâ exceptâ, opera dierum quinque, non per actionem propriè creativam, neque etiam per actionem in rigore generativam, ſed per actionem eductivam formarum, quæ eſt quodammodo ſimilis creationi, quatenus à Deo immediatè proceſſit absque diſpoſitionibus in materia prærequiſitis, & ſimilis generationi, quatenus eſt ex præſuppoſito ſubjecto carente *1219* pro inſtanti aliquo indeterminato temporis hujuſmodi formis.

1214 De tempore verò, quo admirabile hoc univerſi opus productum fuit, probabilius tenemus illud fuiſſe vernum, imò veris initium, quando ſol ingreditur ſignum Arietis: quod patet tum authoritate, tum ratione; authoritate quidem quia id communiter docent SS. PP. & Theologi; quam ſententiam viguiſſe etiam apud Gentiles teſtatur Virgilius 2. georgic. illis verſibus:

Non alias primâ creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumqué habuiſſe tenorem
Crediderim; ver illud erat: ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

1215 Tum quia ver eſt pulcherrimum anni tempus, quale maximè decebat ſtatum iñocentiæ; præſertim cùm vere annunciatus fuerit Chriſtus incarnandus, redemptus per Chriſtum orbis &c. adeoqué videtur congruum, quòd pariter in vere fuerit creatus, uti diſertè teſtatur Concilium Palæſtinum.

Neque eſt quod ab hac probabilitate nos dimoveat, ſeu quòd apud Orientales populos anni principium fuerit Autumnus, & primus Menſis October; ſeu quòd Judæi annum ſæcularem incipiant ab æquinoctio autumnali, ſeu quod animalia condita fuerint in ætate perfecta, ad quorum ſuſtentationem fructus, frugeſqué terræ debuerint eſſe jam maturæ, & perfectæ, quod ſolùm habetur in autumno, juxta illud Evæ: de fructibus lignorum quæ ſunt in Paradyſo veſcimur: ſeu demum quòd cùm ſol continuo ſigna mutet, gyretqué noſtrum ac inferius hemiſphærium, non videatur poſſe ſtatui certum tempus vel veris vel autumni, in quo mundus fuerit conditus.

1217 Primum enim argumentum nihil omnino probat, eò quòd anni populorum Orientalium originem ab Adamo non duxerint, ſed inde, quòd poſt adultum mundum, cùm plures homines eſſent, omneſqué verſarentur in agricultura, menſe octobri ſoliti fuerint convenire ad diſtrahẽdas fruges, quo tempore etiamnum pro rebus vendendis, agrorumqué elocatione commodiſſimè contractus celebrantur, adeoqué ob majorem commoditatem uſuum popularium æram ſuam potiùs, quàm annum, ab octobri populi illi fuerunt exorſi, non ſecùs quàm ob ſimilia impedimenta ſimus ſoliti nos inchoare æram, ſeu annum ſcholaſticum ſub Novembris initium.

1218 Ad ſecundum quod addebatur dicimus, quòd ſicut conditus eſt homo reliquaqué animantia in eo ſtatu, in quo producere poterant ſibi ſimilia, idem uſuveniſſe in arboribus, & reliquis vegetantibus, adeoqué ſicut Deus non produxit fæmellas animalium prægnantes, ſic nec omnes arbores cum ſuis fructibus.

Ad tertium reſpondemus, non fuiſſe opus, ut tunc omnes fructus omnium arborum fuerint maturi, ſed potius debuiſſe juxta ipſarum plantarum naturas in aliquibus maturos eſſe, in alijs matureſcentes, floreſcentes in alijs, quò ſic commodiùs ſubſervirent eſui, & uſui primorum Parentum, adeoqué in ſuppoſitione accommoda locutam fuiſſe Evam cum ſerpente eſt intelligendum. Ad quartum patet ex dictis ſumendum eſſe tempus creationis mundi cum reſpectu ad partes illas, quæ priùs inhabitatæ fuerunt ab hominibus, & in quibus fuit conditus terreſtris Paradyſus.

1220 Circa autem durationem mundi (ne pluribus hìc proſequamur, prout occaſio foret, computum Chronologicum) etiamſi certi nihil definiri poſſit, attamen cum communi Doctorum conſenſu, probabile eſſe judicamus mundum durâſſe à ſui initio ad natalem uſque Chriſti 4000 circiter ſolaribus annis; quibus ſi

1662 addantur à Christi nativitate ad currentem hunc annum, tota mundi ætas probabilissimè comprehendetur.

Nam Chronologi omnes, qui hactenus
1221 fuerunt accuratissimi, vel in hunc numerum 1224 annorum mundi consentiunt, vel paucioribus annis dissentiunt; licèt enim Græci, & septuaginta Interpretes numerent 5900 annos, & Baronius cum Beda 5199; recentiores tamen, qui rem accuratioribus computârunt calculis, uti Gordonus, Tirinus, alijqué 4000 annorum præcisè ponunt durâsse mundum usque ad Christum, Hebræi verò, & alij Latini Chronologi statuunt annos à mundo condito ad Christum usque fluxisse 3950. Josephus 4102. Salianus 4502. Card. Bellarminus & Petavius 3984, quarum sententiarum diversitas inde ortum duxit, quòd prophana historia de antiquioribus temporibus nihil prorsus habeat: unde Varro dividens mundi ætatem trifariam non immeritò ajebat: primam esse incognitam, quia testes sui non haberet; secundam esse fabulosam, nempè à cataclysmo ad primam usq; Olympiadem, eò quòd fabulis Poëtantium omnia fuerint involuta; tertiam demum historicam, à prima scilicet olympiade, hoc est ab eo tempore, quo primum instituti sunt apud Græcos ludi olympici, ad reliqua deinceps tempora.

1222 Ex quibus clarè consequitur numerum annorum mundi ex sola sacra historia peti de- 1225 bere, colligendo ea tempora, quibus in ea leguntur vixisse, aut regnâsse illi, quorum ipsa meminit; sed quia in isto calculo satis constare non potest an vertentes, an integri, an inchoati solùm, & labentes anni sumendi sint, hinc de ætate mundi orta est dicta opinionum varietas, quæ deinde aucta est maximè ex diversitate codicum tam Hebræorum, quàm Græcorum, & Latinorum, atque ex varietate versionum, siquidem & in ipsam septuaginta Interpretum versionem successu temporis menda multa, & complures errores irrepserint, ut eruditè docent suprà citati Gordonus, & Tirinus.

1223 Quibus adhuc non obstantibus probabile nihilominus est primam diem mundi fuisse Dominicam, juxta communem consensum sacrorum Interpretum: id inde concludentium, quòd Christus surrexerit die dominicâ, spiritus S. missus fuerit ad Apostolos &c. accedit, quòd si aliquâ aliâ die Deus feciset initium huic admirandæ universi fabricæ, subsistere nullatenus posset attestatio Scripturæ, quâ constat die Sabbathi Deum quievisse ab omni opere quod patrârat. Verum fusè satis de his hacte- 1226 nus pro physico-mathematico instituto; breviter deinceps de ipsa dispositione & partitione hujus mundi, quatenus Mathematico-Cosmographiæ subest quoad nos, intellectioni.

Physico-mathematicè Cosmographica Mundi Delineatio.

1224 COsmographi juxta Mathematicam abstractionem circa hunc mundum versantes, ipsum circumlineant ac constringunt circulis, ac lineis quibusdam merè formaliter imaginarijs, & fundamentaliter solùm realibus; quorum alios majores sex esse dicunt, minores quatuor alios: è majoribus primum Finitorem seu Horizontalem vocant, quo dividunt totam mundi machinam æqualiter in duo Hemisphæria, in superum scilicet & inferum, seu seu in conspicuum ab habitatore suo, & in occultum eidem; cujus usus sunt multiplices Cosmographis; *inservit namque* ad sphæram rectam, obliquam, ac parallelam aptè constituendam; determinat tam ortum quàm occasum siderum, ac quantitatem diei, noctisque artificialis; artificialis siquidem dies aliud non est, quàm mora solis supra Horizontem, & mox aliud nihil, quàm mora ejusdem infra eundem; ac proinde idem ipse circulus est terminus unde nonnulli populi diem naturalem exordiuntur, ut Itali & Bohemi, qui ab occasu solis, Babylonij verò ab ortu ejusdem; est autem dies naturalis, ut jam suprà insinuavimus; integra solis conversio constans die ac nocte artificiali.

1225 Præterea horizontalis circulus multum servit ad dimetiendum ortivas, & occiduas latitudines, quæ sunt arcus quidam Horizontis inter punctum ortûs, & occasûs æquinoctialis, ac punctum illud ubi sidus oritur, occiditvè; quare si ad quodlibet tempus vis scire latitudinem ortivam, occiduamque solis, pone gradum Eclypticæ, quem sol tunc percurrit in Horizonte materiali, elevato polo sphæræ, ut convenit tuæ habitationi, nam arcus Horizontis inter æquatorem & gradum illum erit quæsita latitudo: similiter idem circulus est initium, à quo altitudines, & depressiones stellarum sumuntur, quæ tantæ sunt, quantus est arcus Horizontis interceptus à punctis ipsius, in quibus oriri possunt vel occidere, juxta diversam eorum declinationem & latitudinem. Demum Horizon in 360. gradus, seu in quatuor quadrantes orthogonaliter divisus, est subjectum quatuor punctorum cardinalium, à quibus nobis exhibentur quatuor mundi plagæ, orientalis scilicet & occidua, meridiana, ac septentrionalis; & quatuor præcipui venti Boreas videlicet, & Auster, Subsolanus & Zephyrus.

1226 Alter è majoribus circulis, quibus Cosmographi circumcingunt orbem, est Meridianus, cujus munus nomen ipsum loquitur, quòd nempe dum sol ipsum attingit meridiem faciat; sed præter hoc adhuc alios, eosque præ-

præcipuos in re coſmographica uſus habet; dividit namque imprimis mundum in duo hemiſphæria orientale, & occidentale; in illo poſita ſidera aſcendere dicuntur, in hoc verò deſcendere: deinde dividit bifariam, & æqualiter arcum diurnum in duos ſemidiurnos, & nocturnum in duos ſeminocturnos; unde *1231* pendet quantitas temporis ante & pomeridiani ab ortu, & occaſu computata: præterea metitur altitudinem maximam ſideris cujusvis; ſicut & altitudinem poli in ſphæra obliqua aut parallela, nam in recta nulla illius datur elevatio, cùm tanta ſit poli altitudo quantus eſt arcus meridiani inter horizontem & polum mundi, ſeu æquatoris conſpicuum.

1227 Inſuper hic circulus determinat initium longitudinis Geographicæ, & una cum alijs meridianis differẽtiam longitudinis inter duas quaſvis mundi partes: demum ex notitia hujus circuli ratio deſumitur cur inſtituens iter in occidentem, aut orientem, meridianum ſemper mutet, ſed cum horarum, dierumvé lucro aut damno; quippe ſi quindecim gradibus in occidentem progreſſus fuerit horam unam adijciet ſuis diebus, quibus hoc iter perfecit; atque ſic Sebaſtiano Cano dum orbem totum per occidentem circumnavigaverat, acceſſit non abſque vectorum admiratione dies integra; unde paradoxum eſſe deſijt, duos eodem tempore, & loco & mori & naſci, & unum dies, ſeptimanas, imò & menſes plures in vita ſua numerare præ altero.

1228 Tertius è majoribus circulis eſt Æquator, qui benè dicitur eſſe ille, qui ſolem 90. gradibus à mundi polo diſtinctum exhibet; nam quòd quidam eum definiant eſſe illum, qui dies artificiales noctibus æquales faciat, vulgariter nimis id præſtant; ſiquidem demptâ omni eâ, quæ ad vapores fieri poteſt refractione, diutiùs ſeſe ſol in æquatore ſpectandum exhibet, quàm de nocte ſubducat: nec meliùs alij, qui æquatorem dicunt illum eſſe, qui æquales in partes annum dividit: ſi enim in catalogo, qui ſphæris apponi ſolet à 21. Martij uſque ad 23. Septemb. quando ſolem æquatorem occupare volunt, dies omnes exactè numerentur, deprehẽdentur undecim dies plures eſſe in æſtate, quàm hyeme; ſi verò Tychonianis obſervationibus adhibeamus fidem, quinque ferè horarũ diſcrimine æſtas ab hyeme ſuperatur.

1229 Quòd ſi quis quærat unde tanta in æquatore varietas? reſpondebimus eam vel ex vaporibus, quos in hyeme frequentiùs terra exhalat; vel ex inſtrumentis, quibus ſol & aſtra obſervantur: vel deniqué ex mundi ſemper magis, ac magis ſeneſcentis vitio provenire: cùm certum ſit, quòd ſub primis mundi auſpicijs diſcrimen hoc inter anni partes non fuerit repertum.

1230 Quartus circulus Coſmographicus eſt Zodiacus, qui eſt circulus major deſcriptus expolis, qui diſtant à polis mundi gradibus 23 cum dimidio: ſecat ille æquatorem & viciſſim ab illo ſecatur in duas medietates, obliqué tamen, ita ut una ejuſdem medietas inclinet ad polum arcticum, altera ad antarcticum.

In eo deſignantur quatuor puncta præcipua, nempe duo ſolſtitialia, quorum unum eſt ſuperius, & æſtivum, tangens Tropicum Cancri, alterum inferius & hyemale, tangens tropicum Capricorni: & duo æquinoctialia, in quibus Zodiacus æquatorem ſecat, quorum unum eſt vernum, continens principium Arietis, alterum autumnale, continens principium Libræ.

1232 Circulus iſte non concipitur, uti alij, in latum indiviſibilis, ſed habet latitudinem 12 graduũ, aut ſecundum aliquos 14, idqué ideo, quòd licet ſol per ipſius medium ſtabiliter moveatur, reliqui tamen Planetæ ad ſex, vel ſeptem hinc inde gradus aberrare obſerventur.

1233 Motu autem ſuo ſol deſignat lineam, quæ Eclyptica dicitur, quia in illa contingunt Eclypſes, cùm ſol & luna ſibi diametraliter in eadem opponuntur: eâ deducta æqualiter per Zodiacum, ipſum ex æquo partitur in duas partes.

1234 Iſtius circuli uſus in Coſmographia ſunt plurimi; oſtendit namque primò, quænam ſint ſigna Borealia, & quæ Auſtralia; nam quæ incipiunt à puncto, in quo eclyptica ſecat æquatorem, & in quo fit æquinoctium vernũ, ac deſinunt in punctum, in quo fit æquinoctium autumnale, borealia ſunt; auſtralia é contrà: obliquitate deinde ſuâ Zodiacus determinat tropicorum ſitum, ac diſtantiam ab æquatore, ijsqué mediantibus diſterminat zonam torridam à temperatis; præterea cauſat dierum, ac noctium inæqualitatem in ſphæra obliqua, & viciſſitudines tempeſtatum ubiquè, indeque proveniẽtium rerum naturalium, generationum & corruptionum, quas meritò Ariſtoteles lib. 2. de generat. tribuit obliquo circulo, hoc eſt Soli, & Planetis, quos in ſe illle continet, & qui per ipſum moventur modò accedendo ad nos, modò recedendo; cauſa item eſt varietatis ortuum & occaſuum eorundem; & ita juſtitiâ quâdam diſtributivâ ſervatur, ut in eodem climate, ubi fuit hyems cum longiſſimis noctibus ſit ſuo tempore æſtas cum noctibus breviſſimis; & ne ad hæc extrema fiat tranſitus immediatus, intercedunt duæ tempeſtates Veris, & Autumni.

1235 Demum ſervit ad computandas latitudines ſtellarum, ſicut Æquator ad earundem declinationes; latitudo enim ſtellæ eſt receſſus ab eclyptica; declinatio verò receſſus ab æquatore: unde ſol dicitur habere declinationem vel in Auſtrum vel in Boream, quia ab æquatore ad tropicos utriusque recedit, nullo au-

lo autem modo habet latitudinem, quia constanter semper dicitur manere in eclyptica.

1236 Quintus demum & sextus circulus major quibus concipitur contineri hic orbis, sunt duo coluri; ille solstitiorum, qui est circulus major, qui per polos mundi, & per polos Zodiaci, ac per puncta solstitialia ducitur, unde sortitus est suum nomen, quia quando sol illum motu suo attingit, fiunt solstitia; iste verò æquinoctiorum qui pariter per polos mundi & puncta æquinoctialia ducitur, ac per sui à sole attactum denotat quando celebrantur æquinoctia.

1237 Usus eorum in Cosmographia est quadruplex, quorum duos exhibet Colurus solstitiorum ostendendo imprimis duo puncta solstitialia, nimirùm principium Cancri, & Capricorni, quæ dicuntur puncta principalia, seu cardinalia Mundi, eò quod in ijs ex motu solis maximæ temporum mutationes, & alterationes in mixtis fieri solent, atque ex ijs hyemis, & æstatis principium, veris & autumni finis pendet. Deinde partitur Zodiacum in duos semicirculos, quorum unus dicitur ascendens à principio Capricorni usque ad finem geminorum; descendens alter, qui complectitur signa ab initio Cancri usque ad finem sagittarij.

1238 Æquinoctiorum colurus inservit ad determinãda puncta æquinoctialia, nempe principium Arietis & Libræ; & præterea ad dividendam Eclypticam in duos semicirculos, Borealem, & Australem, uti jam suprà insinuavimus.

1239 His majoribus circulis accedunt minores quatuor, nempe Tropicus Cancri, & Tropicus Capricorni; Circulus Arcticus, & Circulus Antarcticus. Tropicus capricorni est circulus quidam minor, qui ex parte poli arctici æquè distãs, sive parallelus est inter polum, & æquatorem, transitqué per polum Zodiaci maximè remotum ab æquatore: tale autem nomen est sortitus ex eo, quòd sol illum circulum attingens se iterum vertat ad æquatorem.

1240 Usus illius est imprimis ut terminet ex parte versus æquatorem Zonam torridam, ex parte verò versus polum arcticum Zonam temperatam Borealem: deinde efficit solstitium æstivum, & diem longissimam apud Boreales; hybernum verò, & diem brevissimam apud Australes. Quod idem dic è contra tam definiens, quàm assignans usus Tropici Capricorni.

1241 Circulus Arcticus est circulus minor, qui ex polo arctico descriptus est per proximum polum Zodiaci, id est 23 gradibus cum dimidio à polo distans, estqué parallelus Antarctico, de quo eodem modo discurre: dicitur autem polus arcticus his sub quo nos degimus, ab Arcto, sive Ursæ constellatione, quæ propè illum consistit.

1242 Illius usus apud Cosmographos est in determinandis finibus zonæ frigidæ Borealis, quam intra se continet, & extra se zonam temperatam: ex quo patet ab opposito munus etiam antarctici. Atque hæc de Cosmographica mundi delineatione breviter insinuata sufficiant; nam exactiùs illa tractare nostri non est pro nunc instituti. Interea tamen quia supra partes Cosmographiæ diximus esse Astronomiam & Geographiam, de his pariter aliqua in subsequentibus ut adferamus, dicimus

Physico-mathematicæ Astronomiæ nomen, quidditas, subjectum.

1243 Astronomiam à νομῶς, quod legem significat, nomen sortitam, quasi leges astrorum doceret, esse scientiam physico-mathematicam Cosmographiæ subordinatam, de cœlestium corporum quantitate terminatâ, & eorum accidentia sensibilia terminante, jam ex suprà dictis satis constare potest, sicut & illius objectum, seu materia circa quam esse mundum cœlestem, seu substantiam illam extensam à convexa superficie atmosphæræ, seu tertiæ regionis aëreæ usque ad concavitatem Empyrei, cum ijs, quæ in illa apparent phænomena, & sidera, quæ in ea suos peragunt cursus: Circa hæc quæ dicẽda occurrunt, incerta valdè & difficilia sunt, uti ipse asserit Aristoteles 2. de cœlo: unde meritò sapientiæ 8. dicitur: quæ ante nos sunt cum labore invenimus, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?

1244 Præstiterunt tamen hac in parte non parum recentiores Astronomi, quos utpote Sanctorum Patrum vestigijs proximè insistentes præcipuè hic sequimur; illis namque hac in materia plus tribuẽdum cum præcipuis Philosophorum censemus, quàm Aristoteli, id ipsum ipso Aristotele jubente 3. de cœlo, ubi Astronomiæ peritis in tractatu de cœlis plurimùm attribuendum præcipit: quod statim prænotatum velim pro solutione argumentorum, quæ ab Authoritate Aristotelis contra dicenda à nobis adferri possent.

Physico-Astronomicæ scientiæ subjecti natura, qualitas, & quotuplicitas.

1245 Quamvis ex nullo capite, ut in physicis ostendimus repugnet substantia corporea simplex, hoc est talis, quæ sit simul indivisibiliter materia quædam formalis, & forma materialis; longè tamen probabilius est defacto tam cœlum, quàm cœlestia corpora composita substantialiter esse ex propriè dicta materia & forma; quod verum esse patet, tum quia cœlum, & cœlestia corpora patiuntur, & recipiunt in se multa materialia, qualia sunt quantitas motus localis, lumen, rarefactio, condensatio, aliæqué tam primæ quàm secundæ qualitates, adeoqué necesse est ut materiâ

conſtent, quæ cùm ſit in ratione compoſiti eſſentialiter ens incompletum, compleri neceſſariò debet; ac proinde ut in tali ratione compleatur, habere exigit formam informantem; talia namque accidentia infallibile ſunt indicium, realis ex materia & forma compoſitionis, utpote illam conſequentia, ipſiqué debita, uti univerſali patet inductione in ſublunaribus *1249* omnibus tam mixtis quàm elementaribus; in quorum eſſentiæ compoſitæ cognitionem deducimur per hujuſmodi accidentia; adeoqué cum eadem in cœlo deprehendantur, atque in cœleſtibus corporibus, ritè inferimus eadem compoſita eſſe ſubſtantialiter; tum quia in mundo cœleſti dari veras & reales tranſmutationes ſubſtantiales ſatis conſtat ex Cometis, & maculis, ac faculis ſolaribus, quas produci & corrumpi de novo nemini recentiorum Aſtronomorum eſt dubium.

1246 Ex quibus rectè inferimus, primò mundum cœleſtem non eſſe corpus infinitum, uti volebat Copernicus lib. 1. cap. 8. ſuæ Aſtronom. ſiquidem præter argumenta allata in phyſica contra infinitum categorematicum; ſi cœleſte ſpatium infinitum foret careret ordine, & figurâ, ponamus enim in Copernici hypotheſi illud circulariter moveri, illius tarditas verſus centrum eſſet infinita, à centro autem ſurſum infinita velocitas, adeoqué partes propiores centro determinatæ, & infinitæ tardius, tardiuſqué moverentur, & à centro ſurſum velocius, ac velocius; ſicqué ex una parte ipſius motus ob infinitam tarditatem nullus eſſet, ex altera ob infinitam velocitatem fieret in momento; quod cum repugnet rectæ ratiotioni, repugnare etiam neceſſe eſt cœleſti corpori infinitudinem.

1247 Neque ex eo quòd cœleſtem mundum, quæqué in eo ſunt ſidera, admittamus eſſentialiter compoſita ex materia & forma ſubſtantiali, inferat quiſpiam probabilem eſſe, cæteroquin erroneam Platonicorum, & Origenis ſententiam, cœleſtibus corporibus vitam, & animam tribuentium; nam præter authoritatem prohibet illationem iſtam ratio, quâ conſtat tum in cœlo nullam aptam reperiri organizationem requiſitam ad formam vitalem; tum dicta ſupra contra animam mundi, quæ hic ne repetamus, ibi ſunt revidenda.

1248 Atque ultrò ut progrediamur & ſtatuamus cujuſnam naturæ ſit vaſtum illud ſpatium, quod cœlum appellamus, aſſerimus illud conſtare materiâ ejuſdem ſpeciei quâ conſtant reliqua omnia ſublunaria, & formâ ſubſtantiali aëris; cujus noſtri aſſerti teſtem luculentiſſimum habemus D. Ambroſium in hexam. ſic loquentem: pernicioſum dogma, & opportunum maximé inventum ad adſtruendum mundi æternitatem eorum eſt, qui volunt cœlum eſſe quintam quandam eſſentiam. Et D. Baſilium, æquè Philoſophum, ac ſanctum, homil. 1. ubi poſtquam Ariſtotelicam ſententiam de hac quinta cæli ſubſtantia ſacroſanctæ Fidei noſtræ principijs, & rectæ rationi contrariam oſtendiſſet, concludit: eſt enim levis, inquit, ſimplicisque profectò mentis tales de cæleſti corpore opiniones habere.

Suffragatur tantorum Authoritati, ut plures omittamus ratio, quâ conſtat, illam ſententiam de natura mundi cœleſtis alijs eſſe præferendam, quæ aptiſſimè præ cæteris ſalvat quoſlibet aſtrorum motus, diſtantias, aſpectus cometarum, agitationes, & altitudines, novarumque ſtellarum, ac omnium phænomenorum productiones & apparentias, cujusmodi noſtram eſſe, patet, ut prætereamus ſacram Authoritatem, ratione evidenti: nam imprimis dum ſidera de loco in locum moventur, ne poſt ſe ſpatium relinquant neceſſariò aſſignandum eſt aliquod corpus, quod in illorum locum ſuccedat; ſicut enim dum piſces in aqua, ſeſe movent, in locum ſemper eorum ſuccedit aqua, ita dum corpora cœleſtia moventur ſuccedere illis debet aliquod corpus, quod aptiſſimè dicitur eſſe aër; cujus natura, ſi bene perſpiciatur, talis eſt, ut vi ejus ſtatim ſuccedens illis coaleſcat, non ſecùs quàm poſt aves per ipſum volantes ſuccedere animadvertamus. Deinde ſi cœlum eſſet aliquid ab aëre diverſum, haberetque partes tot inter ſe contiguas, quot ſunt errantes ſiderum globi, ſequeretur ſtellas inerrantes, & alias quæ per tot media tam latè diffuſæ ſunt, totque diverſis ſuperficiebus diſtinctæ, viſas alibi, quàm in Horizontis polo, nunquam ſuo loco cernendas; nam conſtat experientiâ, quòd per interpoſitionem diverſorum corporum quantumvis Diaphanorum objecta appareant, variare ſitum adeò, ut ad motũ cujusque talis corporis diaphani interjecti, alibi & alibi diſtantiſſima videantur: ſi igitur cœlum non eſſet ejuſdem ſubſtantiæ cum aëre, nunquam apparere poſſint nobis ſidera ſervantia inter ſe eandem diſtantiam, eundemque aſpectum; imò nec eundem motum uniformem; cùm conſtet, quòd mutato medio varietur notabiliter motus, uti clarâ experientiâ patet in motu projectorum v. g. globi emiſſi ex bombarda in diverſis, & diverſis medijs.

1250 Inſuper accuratiſſimis Mathematicorum obſervationibus conſtat cometas in ſecunda, aut tertia regione aëris, imò & in infima exortos aſcendiſſe ſupra ſolem, imò ad ipſas ſtellas, quę fixæ dicuntur, quod impoſſibile factu fuiſſet connaturaliter, niſi habuiſſent ejuſdem rationis medium continuatum; quod magis patet ex obſervationibus, quibus conſtat cometam, qui ferali crine fulſit anno 1618. auctum fuiſſe circum circa æqualiter ad omnem loci

diffe-

differentiam in spatio illo, per quod in transversum movebatur; hoc enim fieri non potuit aliter, quàm à solaribus radijs in medium vaporosum incidentibus, quale solùm aëreum esse consuevit; sicut nec illius curvitas, in formam acinacis inflexio, fluctuans ipsius reciprocatio, comparitio subitanea, repentina disparitio, productio, contractio, ampliatio, coarctatio, aliaque ejusdem mirifica accidentia: quæ omnia in alia substantia, quàm aërea facta fuisse dici nullatenùs possunt. Quod idem sentiendum de alijs phænomenis, quibus in liquidissimo illo spatio facillimo negotio positâ veritate nostræ sententiæ cursus omnes assignantur.

1251 Neque obest quòd multæ authoritates sacræ Scripturæ contra nos adferantur, quibus conantur probare cœlum ex aquis factum esse, juxta illud Apostolorum Principis: cœli erant prius & terra de aqua, & per aquam consistens. Nam ut prærereamus diversas hujus textûs interpretationes, quas Sacri Commentatores adferunt, illud certum videtur, quòd terra non sit ex aquis, nec naturæ aqueæ; quo sensu dicitur terra consistens ex aqua, & per aquam, eodem dicimus consistere cœlum; nimirum sicut terra consistit, quia multipliciter aqua se illi immiscet, ne ariditate nimiâ dissolvatur, ne sterilescat, &c. sic cœlo licèt naturæ aëreæ, præsertim in Regionibus aëris terræ proximioribus, aqua se immiscet per halitus vapidos, vaporosasque exhalationes, quæ haud dubiè, præsertim magis spiritosæ, ultra supremam aëris regionem in intimiores purioris ætheris partes sese insinuant.

1252 Nec obest rursus, quòd sic cœlum deberet esse liquidum contra assertionem claram sacri Historici, qui solidissimum illud vocat, & quasi ære fuso factum. Nam ut plurimas solutiones, quæ ab alijs adferuntur hujus objectionis prætereamus, dicimus non contra sententiam nostram, sed pro ea illam esse, cùm æs fusum non solidum, sed liquidum sit, dum funditur, ut cuiqué constat; adeoqué verba illa sacri textûs sic accipienda sunt, quòd cœlum licét sit substantiæ liquidæ, aëreæ, fluxæ, & mobilis, & per divinam tamen potentiam sic esse durabile, tanquam si ex ære solidissimo conflatum esset: juxta quam explicationem, ac verum textûs illius sensum uti pluribus ostendit Scheinerus in Rosa Ursina, nihil nos prohibet dicere, astra quidem esse cœlo densiora, ab eoquè substantiæ diversæ, ut mox ostendemus; substantiam autem cœli esse subtilissimam, & ubiqué pervium aërem, prout tam multi, & varij astrorum, phænomenorumqué motus, quæ per ipsum circumferuntur, manifesté convincunt.

1253 Neque ulteriùs obstat nomen Firmamenti; tum quia illud aliud non significat propriè quàm extensionem, sive expansionem; tum quia passim usurpatur pro ipso aëre, ut cùm sæpius dicitur sol, & luna esse in firmamento cœli; tum quia græca vox στερεῶμα apud Græcos Geometras, Archimedem, Euclidem, aliosq; significat id quod Latinis solidum, hoc est simpliciter trinas dimensiones habens; quod cœlo quantumvis liquido propriè competere, nemo non agnoscit.

1254 Neque obest insuper, quòd Firmamentum dixerimus factum esse die secundâ, cùm aër per nos sit conditus die primâ mundi; nam licet aër cum cæteris elementis primâ die ex nihilo factus sit, secundâ tamen die accepit rationem firmamenti, vel propter evolutionem, & separationem ab alijs, cum quibus confusus erat, quoad locum, vel propter vapores, quibus hac secundâ die repletus fuit, prout ad mox subsecutura mixta, & maximè viventium erat necessarium; vel propter addensationem inferiorum trium regionum aëris, & attenuationem partium superiorum.

1255 Neque obest demum, quòd dicantur etiam passim aquæ super cœlos esse, quod nullatenus videtur posse salvari per nostram sententiam; nam & id explicamus, sic sufficientissimè intelligendo aquas illas, aquas esse nubium, præter quas alias super cœlos non reperiri, inde nobis fit probabilius, quia illi, qui eas ibi collocant, mirificè inter se discordant in statuenda quidditate, & qualitate earum; alij enim volunt esse ejusdem speciei cum sublunaribus, alij diversæ, alij aquas illas fluidas faciunt, constrictas alij, alij vaporosas, alij spissas & instar crystalli, alij alia comminiscuntur ita, ut ex tanta opinionum diversitate meritò arguere possimus illas super cœlos nullatenus reperiri, præsertim cùm nullus usus, nullusqué finis, philosophicè loquendo, assignari possit, propter quem ibi tam vasta aquarum congeries detineatur; nec modus est ullus, aut via, per quam eò attractæ fuissent; & sufficienter totum, quod de illis dicitur, aptari possit nubibus, quæ & propriè sunt aquæ, & aquarum nomine à scriptura sæpè indigitantur; sufficitqué ut sint super partem totius spatij, quod nomine cœli, seu firmamenti insignitur, uti patet ex recepto jam modo loquendi, quo dicimus pisces natare super aquas, tametsi vel in medio aquarum vel super partem earumdem natent; sic etiam benè dicentur aquæ nubium esse super cœlum, quia super illius partem aliquam sunt, hoc est saltem supra primam regionem aëris, quæ sæpè dicitur cœlum, juxta illud; volucres cœli, & pisces maris.

1256 Ex quibus cùm constet cœlum liquidum esse, & permeabile, utpote constans substantiâ aëreâ, magis magisqué depuratâ, benè etiam inferimus idem esse corpus unum continuum, & nullatenus contigua plura; siquidem quæcun-

cunquè corpora ſolùm contiguantur, hoc habent vel à figura, ſeu forma, vel à ſuperficie; corpus verò aëreum à ſuperficie terraquei globi uſque ad Empyreum excluſivè eſt omninò uniforme, & uniformiter ſemper magis, & magis depuratum, & attenuatum, nullamqué habet diſterminantem ſuperficiem, ut patet ex aſcenſu, & deſcenſu uniformi Planetarum, & Cometarum per illud, uti ſuprà jam eſt oſtenſum.

1257 Nec obeſt quòd ſcriptura de cœlo ſidereo, & aëreo tanquam de diverſis corporibus loquatur, in quo ſenſu Apoſtolus dicit, ſe raptũ eſſe ad tertium cœlum, pro quo communiter intelligitur Empyreum: nam ſcripturalis iſte modus loquendi de cœlo & aëre, ac ſi eſſent diverſa corpora, bene ſalvatur per diverſitatem tantùm accidentalem, vi cujus, ſpatium, quod propriè aëreum vocamus uſibus viventium, & Meteororum generationi ſit accommodatum; ac propterea eſt magis denſum, & pluribus repletum vaporibus, quàm ſit illud, quod motibus aſtrorum ſubſervit; licèt enim 1261 ſit ſubſtantialiter naturæ aëreæ, magis tamen eſt illa depurata, & extenuata in puriſſimum ætherem; ac conſequenter Apoſtolus lato quodam modo locutus eſt de tribus cœlis, juxta ſcilicet accidentalem regionis æthereæ, & aëreæ propriè talis diſtinctionem.

1258 Neque obſtat rurſus quòd univerſa Aſtronomia proximè verſetur circa orbes, ſphæras, circulos cœleſtes, diſtinctionemqué eorumdem ab invicem, quod facere non poſſet, niſi re ipsâ præſupponeret tales inibi dari, adeoqué per ſententiam noſtram videmur tollere 1262 de medio ipſam, de qua nunc agimus, Aſtronomiam; nam ut ſuprà diximus, verum eſt hujuſmodi circulos ab Aſtronomis liquidiſſimæ cœli ſubſtantiæ eſſe appictos, quos reales non eſſe, ſed tantùm imaginarios, & per noſtros conceptus; ac deſignationes, fundatas quidem in re ipſa, patet ex ipſa ratione, ſub qua objectum ſuum, quatenus pars eſt ſcientiæ mathematicæ conſiderat; fundamentum autem hujuſmodi abſtractionis, ſeu Aſtronomicæ poſitionis talium circulorum, & ſphærarum, non quidem ex formarum diſtinctione, vi cujus agnoſcimus diſtingui ſpecie aërem & aquam, neque ex diſcontinuatione ſuperficierum, quo pacto diſtinguitur lapis à terra, vel homo à ſede; ſed ex diverſitate motuum, & mobilium: quæ diverſitas non tollit continuationem in eo, quod eſt ſubtile & ad cedendum motui habile, prout conſtat in aqua, & aëre noſtrate, quando ſecundùm diverſas ſui partes ad diverſas movetur poſitiones abſque ulla ſui diſcontinuatione.

1259 Ex quo rectè deducimus tres commodè aſſignari poſſe Cœlos, Empyreum nempe, quod tam formâ, quàm ſuperficie diſtinguitur à cœteris, utpote ſubſtantiæ longè nobilioris, perfectioris, ac convenientis feliciſſimo illorum ſtatui, qui illud incolunt, & de quo cœlo dici, ac verificari poſſunt illa omnia, quæ Ariſtoteles, & ejus ſectatores cœlo attribuunt; nempe ſubſtantiam, ſeu formam diverſam à reliquo mundo, ſoliditatem, immobilitatem, perennitatem, incorruptibilitatem, reliquaſqué proprietates cœteris corporibus, etiam cœleſtibus defacto exiſtẽtibus nullatenus convenientes.

1260 Sidereum, in quo moventur ſidera, & Planetæ, cœteraqué nobis ſæpe apparentia phænomena; & aëreum, quod continet omne id, quod interijcitur inter globum Lunæ, & primam terræ ſuperficiem; qui duo poſtremi cœli, nec ſubſtantiâ, nec formâ, nec ſuperficie, ſed ſolùm ſecundum majorem, aut minorem raritatem, vel denſitatem; & ſecundum reſpectus ad diverſos uſus, & motus corporum, quæ in ijs reperiuntur, & fiunt, ab invicem diſtinguuntur.

1261 Neve quis inferat numerum non poſſe provenire niſi ex diviſione continui, cùm autem duos hoſce dicamus cœlos; neceſſariò ſuperficie diſtinctos eſſe debeamus admittere; nam ſolùm non poteſt provenire niſi ex diſcõtinuatione continui numerus ille, quo numerantur corpora ejuſdem naturæ in genere entium; non verò numerus ille, quo numerantur illa in genere mobiliũ, ad quem conſtituendum ſola motuum diverſitas, & numerica mobilium diſtinctio ſufficit, uti ipſe docet Ariſtoteles.

1262 Porrò ad confirmanda ea, quæ hucuſqué de cœlo, & mundo diximus, aptiſſimam congruentiam ingenioſiſſimus quidam Recentior Theologus nobis ſubminiſtrat, qui ex diverſis SS. Patribus colligit mundum Empyreum tribus quaſi heterogeneis partibus conſtare: quarum prima ſeu inferior ſit ſolida, Beatorum corporibus ſervitura pro baſi, & pavimẽto, cui connaturaliter inſiſtant; altera pars ſeu media ſit liquida, & ſpirabilis per immenſum intrò ſpatium diffuſa, quæ ſicut aër nobis, ita aura illa paradyſiaca ſerviat Beatis poſt glorioſam anaſtaſim ad reſpirandum, & loquendum connaturaliter: ac demum ſuprema, quæ iterum ſolida ſit inſtar quaſi cujuſdam concamerationis, continens intra ſe liquidam illam, ſemperqué amœnam Paradyſi auram &c. ſic mundus iſte pro baſi, & infima parte habet ſolidum terræ globum, pro media parte vaſtiſſimum, de quo hactenus, aëreum ſpatium, uſibus viventium, & ſidereïs, motibus proportionatum; & pro tertia concavam, eamqué ſolidam Empyrei ſuperficiem, quâ, nè ulterius ſeſe extendat, quaſi limitatur, & continetur.

Phy-

Physico-astronomicè considerata substantia Solis, Lunæ, reliquorumqué siderum.

1263 SUbstantiam Solis, Lunæ, ac reliquorum Siderum compositam esse ex materia illa communi omnibus corporibus, & ex Substantiali aliquâ formâ satis patere potest ex modo dictis, de compositione cœli, seu spatij cœlestis, in quo illa suos peragunt cursus; in assignanda autem forma talium compositorum maxima est inter Authores controversia, in diversas abeuntes opiniones, quas hîc referre, & refellere nimis prolixum foret, & fermè supervacaneum, cum ipsa earum mira contrarietas ipsas destruat, & evertat; adeoqué ut quid nobis probabilissimum videatur in præsenti proferamus, dicimus Solem, Lunam, & sidera reliqua esse igneæ formaliter substantiæ, formataqué Omnipotenti virtute ex defæcatiori parte illius ignis in globum coacti, quem primâ mundi die cum cœteris elementis DEus creaverat.

1264 Cujus dicti veritas quoad primam partem clarissimè constat tum Authoritate S. Scripturæ Eccles. 43, sic de sole ajentis: fornacem custodiens in operibus ardoris; & mox: tripliciter sol exurens montes radios igneos exsufflans: juxta quod Romana Ecclesia canit:

Jam Sol recedit igneus &c.

1265 Et D. Basilius disertè: deliras, ait, & aniles esse fabulas eorum, qui solem negant esse calidum, falsamqué eorum sententiam, qui solem igneâ esse præditum naturâ nolunt. Et plane appositè ad rem nostram S. Cyrillus Hierosolimitanus: aër, inquit, est cœlum, & igneus in illo Sol, & Luna, & sidera.

1266 Authoritates aliorum, & præsertim Astronomorum referre singulas nimis foret prolixum, unicam addam Viri in omni scientiarum genere eruditissimi P. Athanasij Kircheri, qui lib. 1. Artis Magnæ lucis & umbræ cap. 1. sic habet: sol igitur ignea est sphæra ex primævo elementari igne concreta, similisqué fornacibus fusorijs, seu æri in earum cuppis liquefacto, & undanti admixtis fuliginibus quibusdam atris, qualem illum nobis exhibent grandiora telescopia, quæ Hollandicos tubos vocant, tanquam ignitum scilicet oceanum flammarum undis, ac vorticibus fluctuantem; sic Kircherus. Et meritò,

1267 Cùm enim certâ observatione sol intuentibus appareat ut ignis, omnesqué ac solos effectus habeat qui igni competunt, quis negabit solem igneum esse substantialiter? alioquin contra communem hominum sensum, & experientiam negare quis posset igneum quid esse, quod nocte obscurâ succensum splendere videmus in montibus procul dissitis, de quo nemo asserere dubitat id, quod sic ardere & lucere cernimus ignem esse; colligimus scilicet ex apparentia, quam habet ut ignis, atque ex effectibus, quos ignis habere videmus, concludimus rectè ibi ignem esse: adeoqué cùm sol & appareat ut ignis ardens, & habeat effectus omnes, quos ignis habet, quales sunt illuminare, calefacere, inflammare, exsiccare, rarefacere densa, indurare, seu condensare rara &c. uti patet; necessariò dicendum est solarem substantiam igneam formaliter esse, siquidem malè recurritur ad abdita, & arcana nescio qualia, quando in aperta luce natura solis, Lunæ, & siderum est posita, prout colligitur manifestè à posteriori; nisi velimus è medio tollere omnem viam & modum per cognitionem effectuum deveniendi in notitiam causarum.

1268 Neque faceßit negotium incorruptibilitas solis, cùm constet illum secundum aliquas sui partes maximè corrumpi, uti patet ex maculis & faculis ejusdem: licèt fortè secundum se totum à nullo agente creato corrumpi possit, ob rationes alibi insinuatas.

1269 Neque id, quod quidam adferunt, officit, quòd nimirum si sol esset igneæ substantiæ posset ab oculo sano libero obtutu videri absque læsione; siquidem & id plurimis accidit; & simul complures sunt radiosi ignes nostrates, qui ab oculo licèt perspicaci tolerari nequeunt, uti patet in radijs igneis artificio optico in unum collectis, in fulgetris, &c. quorum splédor visum quantumcunqué sanum vehementer lædit.

1270 Neque plus obest dictis, quòd si sol igneus esset, egeret pabulo; cùm enim sit solaris ignis purissimus, & in suo quasi centro materiam suam minimè consumit, adeoqué nec comparato aliundè pabulo eget, uti patet ex sententia adversariorum admittentium infra lunarem globum sphæram ignis, quem dicunt nullo prorsûs egere pabulo, quâ instantiâ contra adversarios plurimas eorum quis facilè solvet objectiones.

1271 Neque amplius officiunt argumenta conglobata ab eruditissimo P. Causino in sua Domo DEi adversus igneam solis substantiam, quibus ostendere probatur; primo nullum ignem tanto splendore pollere posse ut diem efficiat. 2. si sol ignis esset universum exureret. 3. magis calefaceret in vicino quàm remoto, quod est contra experientiam. 4. non ureret per refractionem radiorum. 5. deberet esse liquidus & consequenter dissipari per concitatissimum, quo fertur, motum. 6. moveri deberet sursum & non circulariter, aliaqué plura hujusmodi, quæ eloquentiâ mirâ, quâ eximiè excelluit, mirè exaggerat.

1272 Verùm ad primum patet inde, quia ignem magnum maximequé depuratum, qualis est

ſolaris in unum compactus globum, diem efficere poſſe, non eſt quod dubitemus. Patet enim ex ſolaribus Ecclypſibus ſplẽdorem partis corporis ſolaris non tantum eſſe, ut diem 1277 clarum efficiat, cum proportionaliter ad obumbratum ſolem claritas quoqué diei imminuatur, uti non ſemel, etiam ſpectantibus nobis, contigiſſe ſcimus: quare omnino putamus, quòd ſi pars ſolis aliqua juxta æquale incendium poneretur, & à nobis ſpectaretur à longe æqualem omnino futurum utriuſqué ſplendorem, licèt ignis noſtras ob intermixta corpora non adeo lucidus ſit ſicut ſolis ſplendor, utpote proveniens ab igne maximè depurato.

1273 Ad alterum, quod aſſumebatur, dicimus flammam ſolarem urendo non nocere univerſo, eò quòd vicina inflammabilia non ſint, cùm eâdem ſufficienti proportione à ſole diſſita, & abſque debitis diſpoſitionibus, ut ſuccendantur, ab Authore naturæ collocata fuerint. Retorqueri inſuper poteſt argumẽtum in P. Cauſinum admittentem elementaris ignis ſphæram, à quo hæc inferiora accenſioni, & ob vicinitatem, & ob pingues exhalationes, quibus abundant, maximè apta non ſuccenduntur.

1274 Ad tertium quòd ſol vehementiùs calefaciat in infima regione aëris, indubitatum eſt id provenire, tum à reflexione radiorum ſolarium, tum à ſpiritibus calidis è terra erumpentibus, ob quos maximè inter hos Inclytæ hujus Styriæ Provinciæ montes mineralibus refertos, intentiſſimum calorem, & vix non ſuffocativum tempore æſtivo ſentimus.

1275 Ad quartum dicimus ignem noſtratem per refractionem & reflexionem fortè non urere, tum quia ipſius radij valdè impuri ſunt, alijſqué fœculentis accidentibus immixti; tum quia aptè colligi nequeunt per reflexionem, aut refractionem radij illius niſi parallelè incidant; & ob id dixi *fortè*, quia experientia, quam non ſemel tentavimus, tranſmittendo ignis noſtratis radios per vitrum convexum in aliud concavum, & ex illo in ſubjectam materiam, quæ licèt ſuccenſa non fuerit, ſenſibiliter tamen fuit calefacta; quod putamus inde proveniſſe, quòd tam vicina ſit flamma, ut vicinitas ipſa, quæ calefactionem directam auget vim refractionis, & reflexionis impediat, quamvis non ita, quin flamma dum reflectitur calefaciat, & illuminet magis, quàm ſi non reflectatur, uti maximè patet in officinis eorum, qui vaſa deaurare ſolent.

1276 Ad ultimum demum dicimus ſolem non eſſe ignem qualemcunqué, ſed ignem primigenium, & valde depuratum, ac virtute omnipotenti, in globum compactum, ita ut licét liquidiſſimus ſit in ſe, & permeabilis, habet tamen ſuos præfixos ſibi à ſuo Conditore terminos, quos excedere nequit, non ſecùs, quàm habeat ſuos terminos mare, aliæqué aquæ, intra quos dum perenni motu agitantur, eos tamen connaturaliter tranſgredi nequeunt.

1277 Ad id quod addebatur ignem moveri ſurſum, verificatur ſolùm de eo, quando non eſt in loco proprio, uti ipſi adverſarij concedunt de igne ſuo infra globũ lunarem poſito. Quod verò ſol moveatur circulariter, ſentimus cum ipſis adverſerijs, qui negant ex principijs ſuis intrinſecis, ſed ab extrinſeca intelligentia, cui cura corporis, & motûs ſolaris ab Authore naturæ commiſſa eſt in bonum univerſi, id fieri.

1278 Ut autem probemus ſecundam dicti noſtri partem, illud præmittimus ut certum, quod ſicut in terra, aqua, & aëre manifeſtò deprehendimus plures, & diverſæ rationis numericæ inter ſe terras, quales ſunt nigra, argillacea, arenoſa, tenax, &c. & aquas ſpiſſiores, rariores, graviores, leviores, frigidas, calidas, &c. & aërem magis denſum, magis rarum, magis minusqué purum, &c. ejuſdem omnino ſubſtantialis rationis, ita proportione ſervatâ dicimus reperiri ignes alios graviores & denſiores, rariores & leviores, plurimùm exſiccantes alios, alios vapidos & quaſi humectantes, obſcuros alios, alios lucidos, &c. prout ſcilicet univerſi commodum, cui elementa ex proprio fine ſubſervire debent exigere videtur, ac prout decebat ſapientiam ſummi Artificis tantam individuorum varietatem producere intra eandem ſpeciem, ſicut intra idem genus tot diverſas creaturas ſpecie & eſſentiâ differentes produxit, prout diſertè docet D. Chryſoſt. in pſal. 134. ubi ait: ignis quidem alius in ſole eſt, alius in Luna, alius in fulgure, alius in aëre, alius qui in lucernis, & alius qui fit ex lignis. Cui conſentiunt D. Anſelmus lib. 1. de imagine mundi ajens: Luna corpus eſt globoſum, naturâ & ſubſtantiâ ſuâ igneum. & D. Procopius cap. 1. in Geneſim, Solis, inquit, Lunæ, & aſtrorum ſubſtantia ignea eſt. Quo poſito facilè patet veritas noſtri dicti.

1279 Tum Authoritate S. Scripturæ, quâ conſtat quartâ mundi die productum eſſe luminare majus, & luminare minus; at quomodo luminare minus erit Luna, niſi formaliter ignita, & accenſa ſit? Tum ratione quia quodcunqué corpus quod de ſe habet ingenitum ſibi lumen, & lucem, illud neceſſe eſt, ut ſit in ſe, vel formaliter, vel virtualiter igneum, de Luna autem habente in ſe lucem & lumen, dici non poteſt quòd ſit virtualiter tantùm lucida, cùm hoc conveniat ſolis corporibus mixtis, adeoqué formaliter dici debet quòd ignea ſit; cùm præſertim luna eclypſata quando eſt in umbra terræ, & à ſole nullatenùs illuminata, habeat tamen ſuum proprium lumen rubens, ſuamqué propriam lucem ferrugineam accenſam,

sam, per quam nobis fit spectabilis; & rursus quando est in Novilunio omnimodè soli subjecta adhuc tamen à nobis videtur ita, ut testibus Galilæo, Bettino, Blancano, & alijs, appareat longè lucidior quâcunqué stellâ primæ magnitudinis, imò Blancanus ait lib. 9. sphæræ, cap. 4. visam sibi esse Lunam circa tempus Novilunij adeo fulgere lumine proprio, ut censuerit esse miraculum, quasi illa in novilunio plena foret: quod idem sibi accidisse testatur oculatissimus Scheinerus in Disquisit: mathem. num. 27.

1284

1280 Quæ omnia elucent magis in ijs, quos communiter Astrologi Lunæ attribuunt in Sublunaria effectus, nimirum reddere calidum rarum, aridum, fœcundum, constringere humida, coarctata dilatare &c. imò expresse dicunt lunam esse naturæ calidæ præsertim usque ad oppositionem cum sole, cui comparata etsi dicatur quodammodo frigida respectivè, quatenus multò magis calidus est Sol, non secùs quàm dicere soleamus, quòd ignis ex lignis usualibus excitatus sit quasi frigidus respectu ignis sulphurei, ex quo tamen non sequitur quòd sit simpliciter non calidus, ita &c.

1281 Quòd verò Luna rarefaciat, & arefaciat, patet ex eo, quòd dum crescit per occulta naturæ spiramina, ut ait Martianus Capella, ingreditur corpora, & fluxus humorum augmẽtantur, non secùs quàm admoto igne ollæ, aqua, quæ in olla est augetur, & dilatatur usque ad super effluxionem; & hujusmodi ebullitioni attribuit idem Author maris æstum, ac fluxum, refluxumqué in novi- & pleni-lunio: sicut constat è contra, quòd in lunari decremento ossium medullæ, sanguis in venis, cerebrum animantium ac complurium hominum, humoresque in viventibus omnibus diminuantur, & è contra augeantur in ipsius augmento, quod aliter fieri nequit nisi per rarefactionem, & coarctationem quandam, prout accidere videmus in lebetibus igni appositis.

1282 Fæcundam præterea esse Lunam constat ex vivifico ipsius calore, quo omnia hæc inferiora, utpote illis vicinissima fœcunda reddit, concomitanter scilicet, ut ait Aristoteles, & concausaliter cum sole; calori autem tanquam maximè efficaci in omnibus naturæ operationibus attribui fœcunditatem vel ipsi nôrunt agricolæ, qui agros, novaliaqué sua igne fœcundant.

1283 Attribuitur Lunæ etiam effectus ille quòd sit aëris purificativa, quem magis semper rarefacit, & subtilizat adeo, ut si non esset, inquit Abulensis, Lunæ lux, & radiosus influxus, aër ex nocturna vaporum exhalatione ingrossaretur, & non modicam causaret corruptionem: ex quibus, alijsqué pluribus hujusmodi à Luna provenientibus effectibus clarum evadit, Lunam, quod nobis fuerat propositum probandum, esse formaliter igneam.

Neque multum urgent rationes Adversariorum, nam quòd dicant lumen, & lucem apparentem in Luna tempore eclypsis esse à radijs solis à terra usque reflexis, planè gratis fingunt; tum quia si id verum foret, deberet Luna plus illustrari à terra in novilunijs, quàm ipsa terram illustret in plenilunijs: nam & terra multò major est Lunâ, & vicinior est Soli in conjunctione, ideoqué fortiores solis radios, & intensiores excipiens, quàm ex Luna in oppositione, & tamen evidens est contrarium contingere; tum quia si lux hæc reflecteretur à terra in Lunam, in eclypsi totali solis non essent horrificæ illæ tenebræ, quas scimus ex historijs fuisse; certum enim est, quòd tali reflexione magis illuminaretur aër quàm Luna ipsa; tum quia frigiditas mediæ regionis aëris non videtur posse permittere transitum radijs solis à terra reflexis, alioquin eorum geminatio impediret nivium, grandinum, aliorumqué meteororum, quæ in ipsa fiunt, generationes.

1285 Quod deinde dicant igni Lunari, utpote valde fœculento, assignandum esse pabulum aliquod; admittimus instantiam, illudqué assignamus intra ipsum Lunæ globum; probabile siquidem est Lunam esse ad instar fornacis igneæ flammas fumo, fumidisqué vaporibus immixtas evolventis; cujusmodi foret globus terrestris, si ubiqué esset Vesuvianis, & Æthnæis montibus plenus; sicut enim in his per varia annorum intervalla à multis annorum millibus hucusqué contigit, ita fieri posse continuò facilè intelligi potest, si tota terra plena esset materia inflammabili quam ex visceribus suis ad exteriora egereret, quæqué exusta rursus in terræ cavitates, & voragines relapsa continuâ circulatione in materiam aptam inflammatione transmutaretur.

1286 Quod probabiliter sic fieri defacto in lunari globo, ex nullo capite negari potest; cùm præsertim hujus rei indiciũ habeamus in quibusdam terræ partibus, uti in Hecla monte Islandiæ perpetuò flammis inter fumorum vortices subtenebrosè ad horrorem intermicantibus: in occidentalibus item Indijs profundissima reperitur vorago, in qua ignis perpetui species exhibetur: ignes quoqué artificiales perpetuò ardentes, & quidem per bis mille, & amplius annos persæpè in antiquorum cryptis etiamnum reperiuntur: cur igitur non etiam in ingenti illo Lunari globo summus Opifex disponere cuncta sic potuerit, ut in exterioribus partibus perpetuos flammarum vortices fumo instar nubis, aut nebulæ intermixtos lentum pabulum in partibus centro vicinioribus continua generationum vicissitudine, prout contingere videmus in vitris elambicatorijs, productum nutriret?

Quod

1287 Quod ſic fieri Eraſmus Reinoldus Aſtronomus peritiſſimus in Theoricas Purbachij pag. 164. his affirmat verbis: helioſcopio ſi Lunam aſpexeris, videbis primò totam lunaris hemiſphærij ſuperficiem heterrogeneam, ex umbris, fumo, atque obſcurè micantibus flammis conflatam, ſpectabis deinde idem lunare corpus tanquam mare turbidum, fluctibus aſperum, & fluctuantibus criſpum; neque id eodem modo diverſo tempore, ſed hodiè aliter quàm heri, & cras aliter quàm hodie, ſicqué nnnquam eodem ſchemate, eodem vultûs habitu mutabile illud ſidus igneum aſpicies: ſic ille; qui lunare corpus tantâ induſtriâ, & diligentiâ obſervavit, ut recentiores, ijqué doctiſſimi Aſtronomi affirmârint nihil hac in parte fieri, aut expectari à quoquam alio poſſe præſtantius.

1288 Ex quo patet, Authoribus alijs datam fuiſſe anſam montes, maria, regiones paludes in lunari globo fingendi, ob varias ſcilicet phaſes, perenneſqué mutationes illorum vorticum obſcurè flammivomorum, qui in Luna ſpectantur, quâ ratione etiam bene explicatur (ſuppoſito quòd Angelus corporis lunaris phaſibus, mutationibus, motibus & circumlationi ſit præpoſitus) quo modo reflectere illud poſſit ſolares radios ad nos diverſimodè; Angelus namque Lunæ motor optimè noſcens quid expediat bono univerſi, verſat, & gyrat lunare corpus igneum taliter, ut ſoli oppoſitum id excipiat luminoſos ejuſdem radios, eosqué in terras deflectat, prout ſcit exigere ordinem, bonumqué univerſi.

1289 Neque eſt difficilius captu quo modo fiat ab igneo Lunæ corpore, ejusqué flammeis vorticibus reflexio illa ſolarium radiorum; quàm ſit intelligere modum, quo fiunt parelliæ in nubibus aëris, aut apparentes plures ſoles ex loco aliquo remotiori aſpicientibus, vel mare, vel lacum aliquem placidè fluctuantem, &c. Cum igitur hac noſtra explicatione quidquid de Luna alij dicunt realiſſimè ſalvari, & ſolvi poſſint, non eſt cur corpus lunare negemus ſubſtantialiter igneum eſſe, quod probandum aſſumpſeramus.

1290 Idem ipſum de reliquis ſtellis tam erranticus, quàm inerrantibus potiori jure ſentimus, cùm & authoritas tam ſacra quàm aſtronomica, & ratio philoſophica id ſuadeat; nam præter jam allatas illa eſt pro ignea Planetarum natura, quia ſi illi ignea non eſſent corpora, lumen quo fulgent deberent mutuare à ſole, hoc autem dici non poſſe patet inde, quòd eodem modo omnes non fulgeant; lux enim Saturni plumbea eſt, clara & ſerena Jovis, Martis rubea, argentea Veneris, Mercurij clara & ſubrubea; quæ lucis diverſitas attribui nequit lumini ſolari, cùm ſi ab hoc proveniret eodem tempore, & medio ſimili luce omnes imbuerentur; quod cum repugnet experientiæ, dicendum eſt neceſſariò eorum ſubſtantiam igneam eſſe, & quemlibet ſibi proprio lumine, luce, & colore gaudere.

1291 Quod idem de ſtellis inerrantibus facilè oſtenditur; tum quia Sol tanto diſtat ab ijs intervallo, ut ſit velut punctum reſpectu illarum, atque adeò inſufficiens ad eas omnes illuſtrandas, vel refractione imaginis ſuæ repræſentandas; ob præſertim ingentem diſtantiam, quæ inter illas intercedit: tum etiam quia magis congruit majeſtati ſummi Opificis, ut non unicum alterumve ſidus à ſe ipſo lucens, ſed plura inſtar Solis ſuccenderint; quæ non alium, ſui luminis Authorem agnoſcerent, quàm Deum ipſum, qui fortè propterea etiam Pater luminum appellatur. Tum quia improbabile omninò eſt tantum earum lumen, tamque vividum & acutum haberi poſſe per reflexionem ſolaris luminis, cùm ob diſtantiam earundem à Sole radius incidentiæ luminis, & reflexionis illarum deberet eſſe valde debilis, & obtuſus, ob quem angulus viſionis redderetur plane inſenſibilis; quod cùm non contingat neceſſe eſt dicere eas eſſe igneas ſubſtantialiter, ſuoqué proprio lumine, ac luce effulgere.

Phyſico-Aſtronomica magnitudo, multitudo, diſtantia, motus, figura, differentia, & influxus ſiderum in hæc inferiora.

1292 QUanta ſint corpora ſiderum tam errantium, quàm inerrantium, plures, ut omittamus aliorum hæc indagandi praxes, & inventiones, exiſtimamus dignoſci facilé poſſe ex comparatione magnitudinis terraquei globi nobis notæ conſiſtentis, uti accuratis obſervationibus tam Geographorum, quàm Nautarum conſtat, in milliaribus Germanicis, quorum unum quatuor Italica continet, quinque millibus, & quadringentis, qui numerus tali conficitur ratiocinio.

1293 Indubitatum eſt, quòd Nautæ dum rectâ lineâ à Septentrione in Auſtrum tendunt, vel è contra, poſt quælibet quindecim milliaria germanica deprehendant polum depreſſum, aut elevatum uno gradu, unde ſic; unus gradus cœleſtis facit in globo terraqueo milliaria germanica 15. juxta igitur infallibilem proportionum regulam 360. gradus, (totidem enim Aſtronomi computant in cœleſti circumferentia) dant in ſuperficie globi terraquei peripherice milliaria 5400. adeoque illius diameter eſt conſequenter milliarium 1718. ſemidiameter verò ad terræ uſqué centrum 859 omiſſis fractionibus.

1294 Quibus poſitis dicimus imprimis ſtellas inerrantes primæ magnitudinis non eſſe omninò inter ſe æquales, ſed aliquas illarum, qualis

lis est Syrius, seu canicula continere juxta ob- *1298*
servationes accuratissimas Tychonis magnitudinem globi terraquei centies, & aliquid amplius; alias, qualis est stella Arcturi sexagesies octies; alias, qualis est cor leonis quadragesies sexies, pari modo proportione servatâ stellæ secundæ magnitudinis superant magnitudinem terraquei globi vigesies octies; tertiæ ve- *1299*
rò magnitudinis undecies; qnartæ tribus vicibus cum dimidia; quintæ magnitudinis sunt feré æquales terræ; sextæ verò aliquantò illâ minores. At Saturnus terraqueum globum magnitudine superat nonagesies semel. Jupiter nonagesies quinquies. Mars semel, & aliquot partibus. Sol centies sexagesies sexies. Venus magnitudine terram non adæquat. Mercurius à terra exceditur decies novies, Luna qnadragesies bis. Sic meliores Astronomi, quibus fides ut adhibeatur, ipse *1300*
præcipit Aristoteles, utpote talibus, qui diuturnis observationibus siderum magnitudinem propè veram deprehenderunt.

1295 Multitudinem autem stellarum præsertim inerrantium mille viginti duabus stellis comprehenderunt antiqui: at quantum aberrârint à vero, præter authoritatem Scripturæ Sacræ, Insinuantis propè impossibile esse humano oculo multitudinem stellarum numerando assequi; ostendit ad oculum telescopium, cujus beneficio adjuti recentiores Astronomi tam in nostro, quàm in alio hemisphœrio innumeras propè stellas deprehenderunt, uti patet in Galaxia, seu via lactea, quæ aliud non esse videtur, quàm multitudo innumerarum stellularum nobis velut in cumulo apparentium.

1296 Hanc porrò stellarum multitudinem dividunt in Asterismos, seu constellationes sexaginta sex; est autem constellatio certus stellarum numerus effigiem, vel imaginem alicujus animalis, aut alterius rei repræsentans, quam repræsentationem, quia constanter, & in eadem semper cœli parte vel Australi, vel Boreali exhibent, ideò stellarum fixarum nomen sunt sortitæ.

1297 Inter illas præcipuæ sunt 12. illa signa notissima, quæ per Zodiacum distributa cernuntur, & vocantur, ac

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraq, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Extra verò Zodiacum sunt 23. constellationes *1303*
Boreales, nempe Ursa minor, seu Cynosura; Ursa major, Draco, Cepheus, Bootes seu Arctophylax, Corona Borealis, Perseus cum capite Medusæ, Auriga, Serpentarius, Serpens, Sagitta, Aquila seu vultur volans Ganimedis raptor, Delphin, Equuleus, Pegasus, Andromeda, Triangulum sive Deltoton, Antinous seu Ganimedes, & Coma Berenicis.

Australes deinde, quæ etiam notæ fuerunt antiquis, sunt 15, nimirum Cetus seu Balena, Orion, Erydanus, Lepus, Canis major, Canis minor seu Procyon, Argo-navis, Centaurus seu Chyron, Crater, Corvus, Hydra, Lupus, Ara, Corona Australis, seu rota Ixionis, & Piscis Notius.

Demum ad polum Antarcticum à Recen- *1301*
tioribus, qui eas peragrârunt partes deprehensæ hactenus sunt sexdecim cõstellationes, præter duas voragines, quæ sicut Galaxia meris minutis stellulis constant; nomina verò constellationum illarum, his versibus comprehenduntur:

Gallus, Monoceros, Phœnix, Crux, Musca, Sagitta, Hydrus, Chrysophyris, Trigonon, Apus Inda, Columba,
Indica Pica, Cameq, leon, Grus, Indus, Hyrundo.

Circa numerum Planetarum variant *1300*
Astronomi Recentiores, quidam enim ex illis putant esse undecim, alij tredecim, pauciores alij, alij plures eò quòd Comites Jovis & Saturni satellites inter Planetas adnumerent; attamen quoad eorum numerum definiendum placet communis sententia, quæ septem eos esse statuit: Lunam nimirum, Mercurium, Venerem, Solem, Martem, Jovem, & Saturnum.

De Jovis autem comitibus, & satellitibus *1301*
Saturni nobis videtur non esse corpora distincta ab ipsis Planetis, quibus tribuuntur, sed esse partes quasdam eorumdem ipsis omnino conjunctas, non secùs quàm maculæ, & faculæ solis ipsi corpori solari insint, cùm non sint multiplicanda in natura entia absque necessitate, & sufficienti fundamento, quod pro contraria sententia nullum adfertur.

Ordinem autem illum Planetarum desu- *1302*
mimus primò ex parallaxibus, seu diversitate aspectuum, quo enim sidus aliquod est altius eò minorem habet parallaxim; secundò ex umbris quas jaciunt, quò enim vicinius est corpus luminosum eò majorem proijcit umbram. Tertiò ex motu quo constat lunam absolvere ordinariè suam periodum intra 29 dies, Mercurium & Venerem intra undecim menses, & dies aliquot, solem verò intra 365 dies, quinque horas, & viginti minuta, quo cursu suo annum solarem, & civilem constituit, Mars autem uno anno, & diebus 321, Jupiter intra annos solares undecim, & Saturnus intra 30 periodum suam conficiunt.

Distantia à terra dictorum siderum est *1303*
valde incerta, probabile tamen esse videtur ex observationibus variarum Eclypsium, & diversarum parallaxium umbram terræ sese extendere in altum ad 274 suas semidiametros, unde rectè inferri potest, lunam perigæam, sive nobis maximè propinquam à terra distare terræ semidiametris 52, apogæam verò sive altissimam semidiametris 68, adeoque totam spira-

lem lineam, juxta quam moveri ſuprà diximus lunare corpus, habere in latitudine juxta varios ſuos flexus, ac ſpiras ſemidiametros terræ 16, quod idem ſervatâ proportione dicendum de alijs ſideribus.

1304 Mercurius enim perigæus diſtat à terra 171, Venus perigæa 287 terræ ſemidiametris. De Apogæo verò, ſeu auge horum duorum Planetarum non conſtat, cùm Venus ſæpe trâſcendere ſolem ſit deprehenſa, ſol autem perigæus diſtat à terra 1104, apogæus 1182. Mars perigæus cùm deſcendat ſæpe infra ſolem, & Venerem renuit ſibi imponi certum diſtantiæ ſuæ à terra terminum, Jupiter verò juxta mediocrem, ordinariamqué ſuam diſtantiam deprehenditur plerumqué 3999 ſemidiametris terræ à terra diſtans. Saturnus 10550. Et Fixæ quatuordecim millibus terreis ſemidiametris; ex quo patere ſtatim poteſt reductis ſemidiametris in milliaria, quot milliaribus propè verum ſidus quodvis diſtet à terræ ſuperficie.

1305 Quod attinet ad motum corporum cœleſtium ſic nobis videtur probabiliter dicendum, quòd licèt non repugnet ut totum æthereum illud ſpatium circulariter moveri poſſit, nihilominus defacto non moveri ſecundum ſe totum ſit probabilius: cujus majoris probabilitatis indicium nobis præbet tum fortiſſimus Joſue imperans Soli, & Lunæ, non cœlo, nè moveretur contra Gabaon &c. tum quia nulla eſt neceſſitas talis motûs, cùm nihil conducat ad motum aſtrorum, quæ in ipſo, & per ipſum moventur, ſicut nihil conducit motus aquæ motui piſcium, qui in ea moveatur. Tum quia ſi liquidiſſimus ille aër circulariter moveretur haud dubiè raperet ſecum etiam iſtum, in quo nos degimus, cùm ſit continuum unum ejuſdem ſubſtantialis rationis; noſtrum autem aërem moveri circulariter nemo unquam advertit.

1306 Moventur proinde in eo ſola ſidera, non quidem virtute ſibi propriâ, aut ab intrinſeco, ſed ab aſſiſtricibus Intelligentijs; cujus Dicti veritas tametſi nec metaphyſicè, nec mathematicè demonſtrari poſſit, eò quòd nulla aſſignari queat neceſſaria coñexio inter motrices Intelligentias, & motum ſiderum, ſive ſecundum ſubſtantiam, & eſſentialia, ſive quoad perfectiones accidentales, ordinem nimirum, & uniformiter diffórmem anomaliam, ac regulas infallibiles, quas in ſuis periodis ſervant aſtra per tot jam ſæcula; attamen ſpectatâ tam ratione morali fundatâ in authoritate, præſertim ſacrâ, quàm etiam phyſicis ipſis cauſis, certum videtur motus aſtrorum nõ ab alio, quàm ab aſſiſtentibus Intelligentijs provenire: ſpectat namque imprimis ad ſuavitatem Divinæ Providentiæ, juxta hunc rerum ordinem, ut inferiora per ſuperiora, & corporea per ſpiritualia moveantur, ac gubernentur.

1307 Deinde quia tribuendo Angelis motum aſtrorum, omnes difficultates, quas adverſarij patiuntur, facilè explicantur, & præſertim illa paritas deſumpta à motu gravium, & levium, quæ ad hoc ut actu moveantur determinari debent à proximo principio talis motûs, nimirum à gravitate, & levitate, quæ ſunt qualitates realiter diſtinctæ ab ipſis ſubſtantijs mobilibus; cujuſmodi qualitates in ſideribus nullæ aſſignabiles ſunt; quin & ſi forent; tamen quia motuum cœleſtium admirabilis conſtantia, & ordo longè perfectior, quàm in humoribus humani corporis, imò quàm in machinis quibuſvis creato ingenio excogitatis, argumento eſt mentis cujuſdam tales motus continuò dirigentis: adeoqué moraliter, imò & phyſicè ratio ſufficiens ſuppetit aſſerédi ſidera à mente aliqua moveri, quæ cùm eſſe nequeat informans, uti ex ſuprà dictis conſtat, neceſſariò eſſe debet ſaltem aſſiſtens.

1308 Quam ſequelam magis confirmat experientia, quâ conſtat, quòd quidquid movetur localiter, moveatur, & ut in diverſo loco melius habeat (moveri enim in proprio loco proprium eſt ſolorum animantium) & ut finem ſuum, ſeu optatam quietem cõſequatur, quod neutrum intendi poteſt per motum circulariter-ſpiralem aſtrorum, ut facilè conſtat.

1309 Neque obeſt quòd ſi Intelligentia aliqua moveret ſidera, ea moveret per circulum perfectum, ita ut tempus periodicum præſertim Planetarum haberet proportionem rationalem ex æqualibus moris perpendiculi colligibilem; nam talis figura, & motus haberet perfectionem, & pulchritudinem Intelligentijs dignam, quod cùm non fiat, ad quid recurritur ad motrices Intelligentias, cùm præſertim careant corpore, quo hunc efficerent motum? Nulla ſiquidem eſt neceſſitas talis proportionis, & eſtò eſſet, falſum tamen foret figuram circulariter ſpiralem non eſſe perfectam ſpectato præſertim ordine ad finem, ad quem ordinatur motus; & præterea non ſolæ proportiones nobis effabiles pulchras eſſe, ſed & multò magis ineffabiles, imò longè præſtantiores uti Algebriſtæ eruditè demonſtrant. Ad id quod addebatur Angelos egere corpore, quo mediante ſidera moveant, falſum eſſe adſtruimus; nam ſic nimis derogaretur perfectiſſimo modo, quo illi operantur abſque ullis ſenſationibus per potentiam ſuam locomotivam ſibi ex intrinſecis naturæ ſuæ principijs convenientem, directi nempe à ſpeciebus ſibi ab initio creationis ſuæ divinitùs infuſis, uti infrà oſtendemus.

1310 Neque obſtat ampliùs, quòd juxta noſtrum ſiſtema motus ſiderum fiant per lineas ſpirales ſecundum rationes Libræ, & Vectis, ſeu ſecundum neceſſitatem Naturalem ex natura ſtateræ ortam potiùs, quàm ſecundùm ratio-

rationem intellectualem, aut voluntariam destinationem, quod non fieret, si ab extrinseco moverentur. Nam verum non est, si sermo sit de ratione per se primò intenta à facultate motrice siderum, id quod objicitur; licèt enim concederemus aliquam similitudinẽ, vel analogiam talis motûs cum motibus, qui fiunt per stateram, & vectem, non tamen videtur conveniens, ut istam per se primò analogiam voluerit repræsentare in cœlestium motu summus Artifex; neque enim ad has mechanicas angustias restringendum est illud Sap. 11 omnia in pondere, numero, & mensura; sed ad altiores fines, & proportiones determinatas mediorum cum suis finibus, quos Deus habuit *1314* dum conderet mundum. Quin & datâ propositione, adhuc negari potest assumptio, cùm sit valde probabile, id quod paulò antè dicebamus, infusam esse scientiam Angelis motoribus de modo librandi, & movendi sidera, adhoc ut salva esset analogia illa, tanquam mundo inferiori maximè accommodata, finiqué horum motuum nullatenus repugnans.

1311 Porrò utrùm Intelligentiæ moventes sidera quiescant, an potiùs unà cum ipsis circumeant? nobis videtur probabilior hæc pars ultima tum quia disertè id testatur Scriptura Eccles. 7. oritur Sol & occidit, lustransqué universum in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur; tum quia activitas Intelligentiarum finita est ac limitata, ac consequenter non videtur posse producere motum, vel impetum in corpus distantissimum, alioquin sidera tardiùs moverentur, quò remotiora sunt ab Angelis, quàm dum sunt propinquiora, ut patet à pari in omni actione uniformiter difformi agentium creatorum.

1312 Ex hac ipsa limitata, & finita virtute Angelica censemus longè esse probabilius plures esse deputatos Angelos huic muneri siderum movendorum, adeoqué minimùm tot debere esse, & assignari, quot sunt constellationes stellarum inerrantium, quotqué sunt Planetæ, ita ut quælibet ad minimum constellatio & quilibet Planeta suum proprium motorem sibi semper assistentem Angelum habeat. Cùm enim constellationes ipsæ deprehendantur ab accuratissimis Astronomorum ex variatione distantiæ, quam habent, distincto ab alijs motu moveri, uti certum fit ex constellatione Arietis, quæ non ampliùs est in illo cœli puncto, in quo primò moveri cœpit; & maximè elucet in Planetis, consequens est Angelum unicum adesse non posse Planetis, & *1316* stellis à se invicem distantissimis, prout ad illorum motum est necessarium; adeoqué plures necessarij sunt pro pluralitate saltem constellationum qui propterea etiam virtutes cœlorum dicuntur.

1313 De figura autem astrorum probabiliùs dicimus illam saltem ad sensum esse circularem, quod ut asseramus facit primò quòd sic nobis appareant ad oculum sive liberè, sive per tubum aspicientibus. Secundò ex Eclypsibus, quibus Luna nobis Solem obscurat; in ijs enim planum superficiem solarem ita secat, ut lucem habeat circularem, non verò quadratam, aut pyramidalem. Tertiò quia figura circularis aptissima censetur ad motum, eò quòd præ cæteris sit continens immobiliter. Quartò quia Luna maximè dum augetur, vel minuitur repræsentat lucem figuræ circularis, quod fieri non posset, nisi lunare corpus esset sphæricum.

An autem inter se specie differant astra an numero tantùm, probabilius nobis videtur ea omnia convenire in hoc conceptu metaphysicè univoco, quòd sint substantiæ igneæ; adeoqué ne confundamus metaphysica cum physico-mathematicis tenemus astrum quodlibet, non secùs ac quæcunqué alia sub una specie metaphysica contenta; solo numero physicè, & realiter differre; si enim aliquod esset indicium majoris alicujus differentiæ, maximè esset lux, color, calor, motus, &c. ex quibus tamen nullam posse argui simpliciter physicâ specie distinctionem, patet inde, quòd una aqua sit semper calida, alia frigida, &c. sicut alius homo est albus, alius niger, &c. intra eandem speciem.

1315 Quod autem spectat ad siderum in hæc inferiora influxus, cùm illa sint reliquorum corporum præstantissima, clarum evadit ea debere habere maximam, eamqué universalissimam agendi virtutem, cui cætera quæqué inferiora suo modo subordinentur, juxta summi Artificis sapientissimam dispositionem sapientissimè ima summis conjungentem; siquidem, ut suprà diximus, in eo potissimùm sita sit totius mundi perfectio, quòd habeat unitatem partium suarum, quoad ordinem, & subordinationem inferiorum ad superiora; hinc per accessum, & recessum Solis præsertim & Lunæ, plantæ, ac animalia vel inertia, vel magis dispositа, redduntur ad effectus & operationes suas peragendas, &c. quod verum est etiam respectu aliorum siderum, nam stella caniculæ adfert calorem, Saturnus melancholiam, Jupiter humores temperat, Mars bilem excitat, astraqué reliqua suas quæque virtutes, ac influxus in hæc inferiora exercent; quos ut recipiant, corporum discontinuationem, & vacuum tantopere natura abhorret.

Neque obstat eorum à nobis distantia, quia illa nobis sunt sufficienter præsentia, & si non suppositо, at virtute mediantibus nimirum non solùm lumine & calore, sed etiam occultis quibusdam qualitatibus, seu influentijs; uti constat quoad primum ex innumeris effectibus, qui à sideribus causantur per lumen

& ca-

& calorem, quo multipliciter moventur & alterantur hæc inferiora.

1317 Quoad ſecundum etiam patet ex eo imprimis, quòd cùm agens paſſo conjunctum eſſe debeat ſaltem per qualitatem ab eo diffuſam, explicari non poſſet, quomodo ſidera concurrerent immediatè ad generationes metallorum, aliorumqué plurium mixtorum in viſceribus terræ, aut in imis maris partibus, quò lumen & calor à ſtellis procedens pertingere nequit.

1318 Deinde non videtur eſſe in ſtellis tanta efficacia concurrendi ad productionem tam diverſorum effectuum vi præcisè ſolius luminis, & caloris; cùm non ſit tanta diverſitas luminis Martis & Mercurij, Jovis & Veneris, quàm ſunt varij effectus horum ſiderum, cùm eorum lux & lumen non differant ab invicem niſi ſecundum magis & minùs.

1319 Demum lumini, ſive calori ſiderum tribui ſimpliciter non poſſunt effectus quidam, ijqué valde mirabiles, quales evenire cernimus præſertim in punctis, in quibus Sol cum Luna, vel alijs aſtris diverſo modo configuratur, licèt tunc aſtra illa nobis non luceant. Neque verò hac in parte eſt ad aſylum ignorantiæ recurrere ad hujuſmodi occultas, ſeu innominatas qualitates ex cœleſtibus corporibus promanantes; cùm aliæ innumeræ hujuſmodi etjam in ſublunaribus per certiſſimos effectus ſe manifeſtent, uti oſtenſum jam eſt ſuprà in Phyſica.

1320 An autem motus aſtrorum requiratur tanquam conditio ſolùm applicans virtutem activam aſtrorum, an tanquam cauſa? Nobis prius eſt probabilius longè ex eo, quòd quodlibet aſtrum in ſe ſit ens completum, habeatq; intra ſe ipſum perfectiſſimas virtutes operativas, non ſecùs quàm habeant corpora ſublunaria; cùm igitur hæc non requirant motum ut concauſam, ſed ſolùm ut viam ad acquirendum terminum, ſeu localem præſentiam, ideo rectè dicimus illum inventum eſſe à natura ſolùm, ut per ipſum activa paſſivis debitè applicata ſuos aſſequantur fines, producantq; convenientes virtuti ſuæ effectus.

1321 Nec obeſt quòd per motum excitetur calor in ſublunaribus, uti contingit, dum qui curſu, luſu, alijsqué hujſmodi motibus incaleſcit. Ad id enim non formaliter, ſed ſolùm ut conditio ſine qua non concurrit motus: ſic aër attenuatur & calefit formaliter per lumen cauſans calorem, non verò per motum; ſic homo incaleſcit currendo, &c. ex nimio affluxu & agitatione ſpirituum animalium, qui per motum excitantur, poroſqué dilatant per illos diffluentes; ſic ex attritu ſaxi, & chalybis reſilit ignea ſcintilla, quia aër interceptus comminuitur, & rarefit ſupra modum formæ ſubſtantiali aëris debitum; ſic ſagitta per aërem magnâ vi emiſſa, & lignum aliquod dum terebratur, aut ſerratur ex nimia aëris comminutione caleſcit, & ſæpè accenditur, ad quod formaliter non concurrere motum, ſed ſolùm ut conditionem ſatis patet vel ex ipſius motûs eſſentiali natura.

1322 Imò & exinde, etſi immobile ſit Empyreum cœlum, probabilius tamen ſuis mundum hunc noſtrum felicitat influxibus; cùm absq; ijs complurium effectuum, quos in diverſis regionibus ſub eodem ſemper climate fieri experimur, aſſignare cauſam naturalem nequeamus; cur enim arbor perſica quæ in alijs regionibus eandem habentibus poli altitudinem cum noſtris eſt venenata, & noxia; in noſtris autem ſalubris & utilis? cur arboris nucis in Italia, umbra innoxia eſt, in alijs partibus valde noxia? cur in Europa inter Adæloum & Neſtum amnes procreantur leones longè ferociores illis, qui in Syria vel Africa gignuntur? cur in Ungaria ſub latitudine 47. graduum equi velociſſimi, & validiſſimi ſint; quales in alijs Regionibus ejuſdem latitudinis non reperiuntur? aliaqué hujuſmodi plurima experimenta in vineis, arboribus, fructibus, animantibus, adduci poſſunt, quorum rationem aſſignare non poſſumus, niſi recurramus ad alicujus cœli immoblis, quale eſt probabiliter Empyreum, influxus, & qualitates.

1323 Ulteriùs hic campus peramplus ſe aperiret occaſione Aſtronomicæ delineationis cœli agendi tum de inſtrumentis, quibus utitur illa ad conſequendam notitiam latitudinis, longitudinis, motûs, diſtantiæ, &c. ſiderum, quorum jam ſuprà mentionem fecimus; tum & maxime de punctis, lineis & circulis, quas Aſtronomi appingũt liquidiſſimo cœleſti corpori, ad hoc ut illis explicent magis ad captum motus, & apparentias aſtrorum; qualia puncta ſunt Augis, eiqué oppoſitum; Apogæi, Hypergæi, Perigæi, Capitis, & caudæ Draconis &c. quales lineæ ſunt ſinuum, tangentes, ſecantes &c. quales circuli ſunt azimuthales, almuchantarachtani, verticales, ſeu circuli altitudinum, circuli aſcenſionis rectæ, & declinationis; item latitudinis, poſitionum, longitudinis, paralleli æquatori, eclypticæ, meridiano; circuli dodecatemorij, ſeu duodecim domorum cœleſtium, exaltationum Planetarum, Depreſſionum, ac aſpectuum eorumdem &c.

1324 Verùm quia tranſcendunt hæc limites nobis præfixos, viamqué pandunt ad Judiciariam, Genethliacam, & Planetariam Aſtrologiam damnatam meritò ob intolerabiles abuſus, & impoſturas à Sixto V. Pontif. Max. ideò ne nominetenus apud veros Philoſophiæ ſectatores; cum illa nulli prorſus, vel imaginabili philoſophicæ rationi, quæ vel probabilem haberet veri ſpeciem, innitatur; locum habeat, aut ſui memoriam; etiam quæ remotè impiæ

illi

illi vanitati, non scientiæ, deservire possent, lubentes præterimus.

Physico-cosmographicæ Geographiæ notio, quidditas, utilitas, subjectum, & hujus divisio multiplex

1325 GEographia vox Græca Latinis aliud non sonat, quàm terræ descriptionem; aptè definitur, quòd sit species scientiæ cosmo-physico-mathematicæ, quæ totum orbem terræ cognitæ, omniaqué quæ ipsi annexa sunt attributa, proprietates & affectiones describit, habito respectu positionis, quam in terræ superficie ad invicem, atque ad cœlestes imaginarios circulos habent.

1326 Dividitur communiter imprimis in Generalem & specialem; illa totius terraquei globi figuram, distinctionem, mensuram, magnitudinem, & situm respectu cœli expendit; nempe sub quibus cœlestis orbis parallelis sit locus quivis positus, sub qua poli elevatione, quo in meridiano, qua in distantia ab æquatore, quas dierum ac noctium varietates habeat, quænam stellæ fixæ illi verticales fiant, quæ perpetuæ sint vel occultationis, vel apparitionis; pluraqué his similia, qualia sunt terræ figura, dimensio, & magnitudo, motus, aut immobilitas ejusdem, situs, aliaqué quæ illi sunt intermixta, & cum ea globum unum, quem terraqueum dicimus constituunt.

1327 Specialis verò eadem considerat in singulis regionibus, illa ad tria reducens capita, quæ sunt cœlestia, terrestria, humana; cœlestia dividit in octo classes; in prima considerat distantiam loci ab æquatore & polo; in 2ª obliquitatem motûs supra & infra horizontem; in 3ª quantitatem dierum; in 4ª parallelos, climata & zonam; in 5ª calorem, ventos, pluvias, atque anni tempestates; in 6ª solis, ac reliquorum sIderum ortum, & motum super horizontem; in 7ª stellas per verticem loci transeuntes; in 8ª demum quantitatem, qualitatem, & celeritatem motûs stellarum.

1328 At in terrestribus decem perpendit: 1o nempe limites, & circumscriptionem regionis. 2o longitudinem loci, & situm. 3o figuram. 4o magnitudinem. 5o montes, & eorum appellationem, situm, altitudinem, proprietates, & in ijs contenta. 6o fodinas, & mineralia. 7o sylvas, & deserta. 8o aquas, id est mare, sinus, lacus, paludes, fluvios, horumqué origines, fontes, ostia, tractus, latitudinem, aquæ copiam, celeritatem, qualitatem aquæ, & cataractas &c. 9o fertilitatem. 10. animalia.

1329 Pari modo in humanis ad 10. respicit. 1o nimirum ad incolarum originem, colorem, staturam, vitam, cibum & potum. 2o ad quæstus, & artes, mercaturam, ac merces, quas talis regio mittit. 3o ad virtutes & vitia, scholas, genium, ingenium, eruditionem. 4o ad consuetudines attendit, circa nuptias, puerperia, funera, aliasqué solennitates. 5o ad sermonem & linguam. 6o ad regimen politicum. 7o ad religionem & statum rei Ecclesiasticæ. 8o ad Urbes, Arces, Fortalitia, passus, aliaqué celebriora. 9o ad historias, & eventus memorabiles tempore belli & pacis. 10. ad viros illustres, vel fæminas, artifices, & inventa, aliaqué plura his similia notatu & scitu digniora.

1330 Hæc rursus specialis Geographia subdividi solet in Chorographiam & Topographiã; illa amplioris alicujus terræ partis vel regionis: hæc angustioris & particularis terræ portionis v. g. Urbis, campi, nemoris, fluvij, promontorij, littoris, montis &c. prædicta singula describens considerat: undè facilè

1331 Patet Utilitas ac dignitas hujus nobilissimæ scientiæ; ut enim omittamus, quæ Sacris in litteris continentur à Geographiæ ignaro intelligi non posse; & Philosophiam, imò universam scientiarum amplitudinem absque illa in tenebris cæcutire, uti universalissimâ inductione constat; certè Historico, Politico, belli Ducibus, Regibus, atque Cæsaribus adeo utilis, & necessaria est, ut ex ejus ignoratione irreparabilia damna hactenus in Regna, & Respublicas provenerint.

1332 Hinc non immeritò doctissimus Lipsius in suis politicis Regum, Magnatumqué conclavia, Belli-ducum tentoria, Politicorum musæa felicissima pronunciavit, quæ mappis, ac tabulis geographicis exornantur; nimirum hoc ornatu Reges, ac Principes, prudentes, ac fortes viri in umbra sedentes cognoscunt, quis in orbe terrarum patriæ, & domicilij cujusque sit situs, qui populi in ortum, vel occasum, Boream, & Austrum sint positi, qui eorum mores, leges, vires, robur, potentia &c. ac denique totius orbis terraquei faciem & constitutionem præ oculis habet distinctissimè. Ex quibus constat Geographiæ objectum esse totum globum terraqueum, quatenus à viventibus variè habitatur, habito respectu ad imaginarios circulos cœlestis sphœræ.

1333 Neque propterea quis inferat nos commiscere per hoc Hydrographiam, & artem nauticam cum Geographia; licet enim Geographia & aquas, & maria describat, ac consideret non tamen id facit sub ratione formali Hydrographiæ, quæ subalternata illi de mari tantum distinctè tractare solet, illudqué discernere certis plagis, certisqué lineis, secundum quas in hunc vel illum portum navigationum cursus est dirigendus.

1334 Suum porrò subjectum considerat Geographia potiùs secundum partes ipsius materialiter integrales, quàm essentiales; eò quòd de his agere propriè ad Cosmographiam spectet; illas autem rursus dispertitur in magis,

minuſqué principales: inter eas cenſet continens, ſeu terram quandam continuam in amplum aliquem tractum extenſam, quam mare non interluit: Inſulas, Peninſulas, Iſthmos, Promontoria, Montes, Valles, Campos, Sylvas, Maria, Freta, Sinus, Lacus, Stagna, 1337 Flumina, horumqué Oſtia, &c. Inter minus principales verò adnumerat Agros, Arva, Prata, Lucos, Nemora, Colles, &c, item paludes, rivos, lacunas, &c.

1335 Has autem omnes partes materialiter integrantes orbem terraqueum rurſus aſſumit conſiderandas, tanquam ſub ratione formali, 1338 ſecundum longitudinem & latitudinem, quæ ob id Geographica appellatur. Longitudinis nomine venit arcus aliquis Æquatoris terreſtris interceptus inter meridianum loci, & alterum primum meridianum, qui aſſumitur pro initio meridianorum ab occaſu verſus orientem; in quo conſtituendo variant Authores; alij enim illum dicunt eſſe primum meridianum, qui per inſulas fortunatas, alij illum, qui per inſulas floridas, per Heſperides alij, alij per Thulen, alij per columnas Herculis, alij per fretum Gaditanum, alij per inſulas Corvi; alij primum meridianum deſumunt ab illa linea, quam delineavit Alexander VI. ſummus Pontifex, ut novum, & veterem orbem, litesqué omnes dirimeret, quas indiès inter Ferdinandum Caſtiliæ & Joannem Luſitaniæ Reges novas terras imperio ſuo adjungendi creabat ſtudium. Neque immeritò ita controvertunt Geographi in ſtatuendo primo 1339 meridiano, ſiquidem neque per ſolas ſtellas fixas, neque per ſolem ipſum, aliumqué planetam, neque per lunæ eclypſes, neque per horarias ipſas clepſydras, neque demum per magnetem quidquam certi ſtabiliri potuerit hactenus.

1336 Unde circa hoc principium meridianorum libitum erit cuivis aſſumere ex dictis quãcunqué hypotheſim, & juxta illam diſtantias geographicas inter unum, alterumvè locum, ſecundum longitudinem, vel conſtituere, vel 1340 dimetiri. Latitudo autem geographica eſt diſtantia locï in ſuperficie terreſtris globi ſiti ab æquatore, & in ejuſdem meridiano circulo dimenſa; quæ tanta eſt præcisè, quanta eſt diſtantia verticis, ſeu Zenith ab æquatore; quam, ſi notam habeas poli altitudinem, eodem opere, & labore habebis: ideo autem tali nomine appellatur, quia pars orbis terraquei cognita ab uno ad alterum polum mundi anguſtior eſt, quàm quæ ab occaſu ortum verſus; communi autem acceptione habetur, ut ſuperficiei terminatæ ab alia linea, quàm à circulari, pars illa vocetur latitudo, quæ eſt arctior & anguſtior; cùm igitur hoc noſtro tempore latitudo totius globi terraquei ſolùm reperta ſit eſſe graduum 139. ex quibus 81. ſunt Boreales, reliqui 58. ſunt Auſtrales, manifeſtè patet tam verſus Septentrionem, quàm & maximé verſus Auſtrum ampliſſimas latere Provincias & Regiones nobis hactenus ignotas.

Neq; obeſt quòd ſupra dixerimus totum globum terraqueum circumnavigâſſe aliquot jam rei nauticæ peritiſſimos; nam id accipiendum eſt in ſenſu ſolùm accommodo, hoc eſt totum orbem cognitum; nam nemo niſi imperitus revocare poteſt in dubium paulò ante illatum corollarium.

Ulteriùs Geographi orbem terraqueum dividunt in quinque zonas; zona autem aliud nihil eſt, quàm ſpatium ſuperficiei terreſtris cum reſpectu ad concavam cœli ſuperficiem, inter duos minores cœli circulos comprehenſum; ſic zona torrida continetur intra duos Tropicos Cancri & Capricorni excluſivè; cujus tanta eſt latitudo, quanta ipſorum tropicorum inter ſe nimirùm 47. graduum; credebatur verò antiquis inhoſpitalis, & inhabitabilis illa, tum propter æſtus nimios, tum quia percipere illi non poterant, qualiter illius Zonæ habitatores bis in anno haberent ſolem verticalem, & conſequenter binas hyemes, & binas æſtates, prout defacto deprehenſi ſunt habere plures Affricæ & Americæ populi, qui adeò in quibuſdam zonæ ſuæ partibus aurâ temperatâ utuntur, ut non rarò candore vultûs, & corporis ſymetriâ ſuperent longè quascunqué Europæ nationes.

Zonæ temperatæ duæ ſunt, Borealis una à Tropico Cancri uſque ad circulum Arcticum, altera à tropico Capricorni usqué ad circulum Antarcticum, ſeſe extendens: ſic dictæ ex eo, quòd antiqui Geographi exiſtimaverint has ſolas ob temperiem aptam vivẽtium exigentiæ tantùm eſſe habitabiles; utraqué ſeorſim complectitur ſpatium 47. graduum; intra quos elevatio poli nunquam eſſe minor poteſt 23. gradibus cum dimidio, nec major 65. cum ſemiſſe.

Frigidæ verò zonæ terminantur, & Borealis quidem à circulo Arctico, & Polo boreali; Auſtralis verò è contra; earum habitatores tam verſus Boream per novem gradus altitudinis, quàm verſus Auſtrum per 33. ſeu ut alij per 44. ſunt nobis omninò incogniti, excepto tantùm, quòd de ijs conſtet, eos habere elevationem polarem à 65. gradu & 30. ad usque nonageſimum incluſivè; quam ob cauſam, qui propinquiores Polo ſunt habent diem continuam plurium hebdomadarum, imò menſium noſtratium: dicuntur autem frigidæ zonæ illæ, non ex eo, quaſi non reperirentur intra illas regiones amœniſſimæ, uti conſtat ex illa, quam ob perennem virorem & amœnitatem, terram viridem appellant; ſed quia ſolis radij non reflectuntur ad illarum atmo-

mosphæram, nisi remotè valde & obliquissimè, eò quòd multùm sit dissitus à Zenith incolarum; sicut enim si Sol semper in Horizonte, aut illi valde vicinus maneret, non multùm nos calefaceret, estò regiones nostras valde redderet amœnas, ob divaricationem & discessum reflexorum radiorum, à directis, ortam ex obliquitate incidentiæ radiorum directorum, quâ fit, ut nequeant se invicem coadjuvare: atque hinc est quòd circa solstitium æstivum magnum experiamur calorem, & è contra circa solstitium hybernum magnum frigus, quia nempe in æstivo maximè sol accedit ad nostrum verticem, incidentiaqué radiorum minùs obliqua reflexos radios directis viciniores reddit; quare cùm contrarium accidat tempore hyberni solstitij ob remotionem Solis à nostro verticali puncto, hinc fit quòd frigore cuncta rigeant.

1341 Porrò hæ quinque zonæ varijs parallelis, & climatibus discriminantur; paralleli ij dicuntur circuli, qui in sphæra ab invicem per æqualia intervalla distant; dividuntur in Generales & Particulares; illi sunt, qui per verticem alicujus regionis secundum longitudinem extenduntur incipiendo ab æquatore, & finiendo cum principio graduum 90. elevationis poli; numerantur octo hujusmodi paralleli à Geographis, quorum quivis ab altero distat gradibus 10. in meridiano.

1342 Particulares autem sunt quædam lineæ in sphæra terrestri excogitatæ ad distinguendas regiones ab invicem, quæ etiam ad polum ab æquatore ascendunt: & hi paralleli statuuntur numero 48. vi quorum & maxima dies unius regionis differt à die alterius regionis positæ sub vicino parallelo unius horæ quadrante, & determinatur spatium quoddam in globo terraqueo, quod clima nuncupatur; & est zonula quædam æquatori parallela duobus circulis eidem æquatori parallelis terminata totam terram circumcingens, tantæ latitudinis, ut à termino ipsius australi ad borealem dies maxima excrescat per horæ dimidium. Cùm autem dixerimus unum parallelum ab altero differre per horæ quadrantem, sequitur necessariò ad unum clima constituendum tres requiri parallelos, duos scilicet ipsũ terminantes, tertium verò eorum medium per ipsum incedentem, qui propterea dicitur parallelus per medium climatis.

1343 Statuerunt autem antiquiores Geometræ climata universim novem supra æquatorem, & totidem è contra; at recentiores post detectas novas terras ad Septentrionem & Austrum Climatum numerum auxerunt ad vigesimum octavum usque plura posituri ubi eæ, quæ latent regiones, innotuerint.

1344 Ex notitia autem Zonarum, Climatum, & parallelorum, eorumdemque in sphæra respectivè ad cœlum septemplici positione facilè quivis dignoscet diversitatem positionis habitantium populorum in superficie globi terraquei; ex ijs enim aliqui Antipodes dicuntur; & sunt illi, qui habitantes in sphœra obliquè constituta è diametro oppositum terræ locum incolunt, pedumqué plantas plantis aliorum contrapositas habent; sic Græcensibus Antipodes sunt, qui ad maris Pacifici littora habitant sub latitudine Australi 47 Graduum & 40 circiter minutorum qui populi habent omnes proprietates geographicas prorsus nobis oppositas; nostrum enim Nadir est illorum Zenith, nostra dies longissima illorum longissima nox, nostra summa æstas illorum sũma hyems.

1345 Alij sunt Antœci, qui & sunt sub eodem meridiano, & quibus fit eodem momento meridies; sic Græcensium Antœci sunt incolæ Insularum de Saradina in nova Anglia, qui populi habent æquinoctium Vernum quando nos Autumnale, tantamqué noctem, quantam nos diem &c.

1346 Alij sunt Periœci, illi nempe, qui habitant in eodem parallelo, habentqué eandem poli altitudinem, sub diverso tamen meridiano, eandemqué quantitatem dierum, ac noctium, Situm umbrarum, annuam tempestatis mutationem &c. Sic respectu Græcensium Periæci sunt, qui habent latitudinem Borealem 47. Graduum 40 minutorum quales sunt plurimi populi in Tartaria majori, Quanzaurani in Chinis, Chilagenses, Atoquelani, & habitatores terræ de Bacalaos in America, prout in artificiali globo terraqueo constat.

1347 Alij dicuntur Antiscij, & sunt illi, qui umbras habent in partem oppositam versas, quales sunt habitatores zonæ frigidæ, ac temperatæ Australis respectu nostri, qui zonam temperatam, & eorum qui zonam frigidam Borealem incolunt.

1348 Alij sunt Perisćij, quorum umbræ rectæ apice suo formàt perfectam quasi circuli periphæriam, uti est eorum omnium, qui incolunt sphœram parallelè sumptam.

1349 Alii Heteroscij, qui alteram tantum umbræ speciem habent, quales sunt omnes, qui inter zonas temperatas degunt. Alij demum sunt Amphiscij, quorum umbræ alternatim Australes, & Boreales sunt, prout solem habent modo ad Austrum, modo ad Boream, ut contingit habitatoribus zonæ torridæ.

1350 Sed de his divisionibus geographicis terraquei globi, (cujus magnitudinem, ejusque dimensionem trinam jam supra explicuimus) uti & de ea, quâ Recentiores eum in sex partes præcipuas, nimirum Europam, Asiam, Africam, & Americam, Terram Hyperboream, & Terram Subaustralem partiuntur, indicâsse ex multis paucula pro præsenti nostro instituto sufficient, si simul indicaverimus faciles

ali-

aliquas praxes, quibus terraqueus orbis, ſeu totus Geographicè ſeu ſecundum aliquam ſui potiorem partem Chorographicè, ſeu ſecundum diſtrictum tantùm aliquem Topographicè facilè à quovis poſſit deſcribi.

Geographicè deſcribendi orbem in plano praxis Geographica.

1351 EX diverſis quas excogitârunt hactenus Geographi praxes deſcribendi in plano globum terraqueum, ſequentem nos facillimam conficimus, quâ quivis usûs lineæ & circini conſcius, quantociùs intentum aſſequi absque difficultate poterit. Dato namque centro A (utemur nempe literis tametſi non opponamus ſchema) ad intervallum quodvis, prout quis deſideraverit magnam vel parvam habere mappam, deſcribatur circulus B C D E, ducanturqué duæ Diametri ſeſe orthogonaliter ſecantes in A, & ſupponatur punctum eſſe ſeptrionale, D meridionale, C ortivum, E occiduum. Deinde quadrans C D dividatur in 90. gradus ſeu partes æquales: tum ex puncto B. ducantur rectæ occultæ ad ſingulos gradus notatos in quadrante C D, quæ interſecabunt ſemidiametrum A C in punctis G, habebunturquè tria puncta, per quæ deducentur meridiani in dicto ſemicirculo: ſicqué omnes meridiani ſeu circuli longitudinum deſcripti erũt in utroque hemiſphærio.

1352 Ut autem & deſcribantur circuli latitudinum, extra datum circulum ducatur linea recta H I centum octaginta graduum æqualium illis in quos deberet dividi diameter B D, tractamqué dictam lineam divide in 90 partes: quo facto accipe circino longitudinem hujus, & inſuper unam partem ejuſdem cum 50, minutis, invariatoqué circino à puncto B ſurſum fac ſignum K, & habebis cẽtrum omnium parallelorum latitudinis; poſtea à puncto H verſus I lineæ extra ſcriptæ numera 16 partes & 25, minuta quam diſtantiam transferes in lineam B F, ponendoqué unum pedem circini in F, altero ſignâbis punctum L, per quod tranſit diameter dati circuli, quæ eſt linea æquinoctialis; ut autem habeas utrumque Tropicum rurſum recenſe 23 Gradus & 30 minuta lineæ H I, poſitoqué uno pede circini in puncto L, alteroqué extenſo verſus B facies ſignum Q; à K igitur ad Q aperto circino duc lineam R Q S, habebiſqué tropicum Cancri, ſeu parallelum dictum Diaſyenen: quâ ratione ex oppoſito operando invenies tropicum Capricorni, ſeu parallelum dictum Diameroen &c.

1353 Ut autem habeas circulos Arcticum, & Antarcticum fige circini pedem in puncto H lineæ extra ſcriptæ, & alterum intende verſus I uſque ad 63 gradum circinoqué immoto à puncto L verſus E fac ſignum T; deinde à K ad T, ut prius, deſcribe curvam lineam, habebiſqué circulum Arcticum, ſeu extremum parallelum zonæ temperatæ Borealis tranſeuntem Dia Thulem, & è contra operando verſus Auſtrum, Antarcticum deprehendes circulum.

1354 Quibus habitis prout circumferentiam totam diviſeris per quinos, aut denos gradus, ſic ex punctis K divaricato circino ad graduũ diviſionem lineas curvas ttahes, quæ circuli paralleli erunt; quibus ſi adjeceris climata, ventos, & parallelos diſtinctores horarum, aliaqué ad ornatum figuræ ſpectantia, habebis fundamẽtum poſitum pro deſcriptione totius terraquei orbis.

1355 Cui ut præcipuas Regiones, Provincias, Urbes &c. inſcribas, nôſſe te oportet cujuſqué loci inſcribendi longitudinem, & latitudinem; quam cum nullus habere poſſit ex propria obſervatione, ideo inſpiciendus eſt catalogus ad id à diverſis authoribus ſtudiosè confectus, qui paſſim venalis exſtat, quo habito, locus quiſqué in eo contentus in poſitis hemiſphœrijs ſic inſcribitur; v. g. ſi ſit Græcium inſcribendum, facto initio longitudinis ab Inſulis Fortunatis, reperio in catalogo ejuſdem longitudinem, & latitudinem, quarum circuli in puncto interſectionis dant Græcenſe centrum. Quo pacto pariter etiam in chartis jam confectis diſtantias cujuſcunqué loci ab invicem facilè quis reperiet.

Chorographica praxis deſcribendi quãcunqué ex majoribus globi terraquei Regionem.

1356 GErardus Mercator in ſuo Atlante id confecit ſimpliciter per lineas rectas; at quia negotium eſt valde intricatum, ideo faciliori hac praxi nos totum expediemus. Sit igitur propoſitum nobis deſcribere chorographicè Germaniam potentiſſimam, vaſtiſſimamqué totius Europæ Regionem; trahemus primo meridianam E F in rectum axis mundi coextenſam, quam dividemus in gradus 11 (totenim eſt univerſa Germaniæ latitudo à gradu ſcilicet 45 ad 56) extendemuſqué per extremas dictorum undecim graduum diviſiones, parallelas A B & C D cum eadem E F orthogonales; quarum Borealis A B diſtabit ab Æquatore 56 gradibus Auſtralis verò C D 45.

1357 Uni autem ex 11. partibus etiam ducemus ſeorſim æqualem C H, quam dividemus in 60. gradus 60. minuta gradûs magni circuli repræſentantes: & quoniam uni gradui A B paralleli reſpondent fere 37. minuta, ipſius verò paralleli C D ferè 45. qualium unus magni circuli gradus eſt 60. ideo accipimus ex G H ad juſtam aperturam circini 37. minuta, & in octo æquales partes partimur parallelam A B ultrò citroqué punctum E, conſurgentqué

18 gra-

18 gradus, quanta videlicet totius Germaniæ perhibetur esse longitudo. Idem facimus cum parallelo C D sumptis ex eadem G H 45. minuta. Ducimus postmodum per singulas divisiones ipsius E F occultas parallelas ipsis A B & C D, nec non proprios meridianos ultrò citroqué medium E F juxta præmissum numerum graduum distributos; quorum occidentalior distabit ab occidente 25. gradibus, orientalior verò 43. tandemque circumscribimus proprios graduum tam longitudinis, quàm latitudinis numeros.

1358 Quibus absolutis adnotamus locum quemlibet saltem insigniorem, pro ipsius tam ab æquatore quàm ab occidente distantia; & primum quidem urbes, oppida, castra, & pagos celebriores; postea lacus & flumina, tandem montes, sylvas, promontoria, &c. observatâ semper longitudine, & latitudine cujusqué loci, ut supra diximus, in qua ad invicem sectione est centrum loci inscribendi. Adscribimus præterea huic descriptioni scalã milliarium, quâ mediante statim deprehendere possumus distantiam cujusqué loci ab alio: formamus autem illam taliter; partes lineæ A B, quarum singulæ repræsentant unum gradum circuli æquatoris, dividimus in partes 15. æquales, attribuimusqué quamlibet uni germanico milliari, acceptamqué circino loci à loco distantiam commensuramus datæ lineæ, & habemus quæsitum.

Topographica praxis describendi Urbium territoria, Dominia, Toparchias, aliasqué hujusmodi minores terræ partes.

459 CUm circulo in solido aliquo plano diviso in gradus 360, habenteq; suam dioptram cum duobus pinnacidijs conscendimus descripturi v. g. Græcense territorium, in montem arte & naturâ munitissimæ Arcis Græcensis, ex quo circumspicere possumus omnes partes subjecti longè, latequé campi, vicinorumqué collium: beneficio deinde acûs magneticæ statuimus firmiter datum circulum in linea meridiana, quo facto volvimus dioptram hinc inde, donec per foramina pinnacidiorum omnium circumjacentium locorum nobis describendorum situm videamus; describimus præterea in charta ad id parata occultũ circulum divisum eodem modo in 360 gradus occultos, sicut priorem, & situs loci cujusque à primo in istum mediante circino transferimus, trahimusqué à centro hujus circuli ad circumferentiam lineas occultas; post hoc proficiscimur animi causâ ad amœnam arcem S. Martini, ibiqué figimus secundam stationem, agimusqué similiter cum angulis positionum cujusqué circumjacentis loci; quos ubi habemus, ponemus punctum istius arcis in prędicto plano chartaceo, ad quamcunqué lubitum est distantiam, super tamen suâ lineâ positionis, atque ex hoc puncto trahimus circulum occultum, & meridianum distantem à priori meridiano undiqué æqualiter.

1360 Demum ducimus ex hoc puncto lineas positionum jam inventas, & ubi fit intersectio harum cum prioribus primæ stationis, ibi notulas & nomina inscribimus pro quovis loco describendo. Quod si contingat, ut non rarò usuvenire solet, quòd utrâqué vice locus quispiam venerit in medio inter duas stationes principales, tunc necesse habemus adire tertiam stationem, & ex transverso aspicere, quo pacto quæsitum absolutè perfecimus. Imò si post descriptam hac ratione chartam velimus etiam eam in certas dimetiri distantias milliarium, aut semimilliarium, consideramus spatium inter duas stationes interjacens, spatiumqué inter duo centra circulorum, in tot dividimus rursusqué subdividimus æquales partes, & habemus scalam distantiarum perfectam uti cuiqué juxta dicta operanti facillimè fiet manifestum.

1361 Verùm à particulari consideratione globi terraquei qui pars est elementaris mundi rursus ut universum illum consideremus quantum brevitas temporis, propositumqué institutũ patitur sub ratione formali gravis & levis illum exhibemus imprimis, ut sic ejusdem aliqualem notitiam consecutos nos esse per decursum Philosophiæ nostræ indicemus.

Physico-staticæ notio, quidditas, quotuplicitas, objectum.

1362 STatica physico-mathematicæ scientiæ species nomen suum sortita est inde, quòd statum, corporumqué lationem, motumqué secundum locum inquirat; definitur recte quòd sit scientia physico-mathematica, quæ ponderis & gravitatis corporum rationes, proportiones, ac qualitates considerat: octupliciter dividi solet, nimirum in Elementarem, Centrobarycam, Isoropostaticam, Mechanicam, Hydrostaticam, Aërostaticam, Pyrostaticam, & Polystaticam, quarum quælibet species rursus subdividitur multifariam.

1363 Objectum, seu potius subjectum, & materia circa quam illius sunt corpora physica, quatenus gravitate aut levitate sunt affecta; illa autem in duplici sunt differentia, nempe elementaria seu simplicia, & mixta. Dari elementaria, ex quibus non formaliter, sed virtualiter tantum manentibus reliqua mixta componantur, tam est certum, quàm est indubitatum, & non dari processum in infinitum, qui necessario in mixtorum generationibus daretur, nisi ad aliqua tandem corpora simpli-

cia deveniremus in alia corpora irresolubilia; & simul necessarium esse assignari aliqua, quibus primæ qualitates activæ nimirum calor, frigus, humiditas, & siccitas quæ omnes positivæ sunt, ut ex earum effectibus fit manifestum, integrè ac perfectè conveniant, quemadmodum imminutæ, ac refractæ in mixtis reperiuntur; ita dicta, quia ex illorum simplicium mixtione vel proximè, vel remotè generantur.

1364 Et propterea analyticè rectè definiuntur illa esse, in quæ corpora, nempe mixta, resolvuntur in quibus potentia manent, & id quidem non tantum quatenus qualitates eorum in gradu remisso actu in mixto continentur, sed etiam quatenus forma substãtialis mixti æquivalet formis elementaribus in eo, quòd exigat connaturaliter primas qualitates in gradu refracto, & remisso, suntqué ipsa irresolubilia in alia. Tametsi composita & ipsa sint ex materia, & forma propria substantiali, & consequéter secundum se corruptibilia absolute, ne admittamus dari defacto plures primas materias specie diversas, quæ absque ulla propria forma secundum se existerent; cùm pateat elementa esse secundum se diversæ speciei, eaque invicem secundùm quid saltem transmutabilia, sive jam mediatè, sive immediatè, ut constat.

1365 Atque hinc, quod consequitur, esse solùm quatuor nec plura nec pauciora, uti patet ex primis quatuor jam dictis qualitatibus, quæ in omnibus sublunaribus corporibus juxta diversum eorum temperamentum, earumqué combinationem binas semper sumendo in summo nimirum unam, alteram in intenso; nam quòd ex tertia in remisso valdè gradu cuilibet insit, non tollit vim dictæ combinationi, cùm illa admittenda necessario sit aliundè, nempe ob exigentiam & ipsarum formarum elementarium, & ne vacuum quod natura abhorret, in capacitate subjectiva elementorum concedatur; cùm ob activitatem singulorum in invicem, nec unica tantum nec utraqué qualitas in summo singulis ullatenus possit concedi.

1366 Quas qualitates realiter distinctas esse ab effluvijs materialium spirituum, seu corpusculorum exspirantium substantialium ex ea substantia, quæ in aliam operatur: satis inde constat, quòd dentur multa v.g. calefacientia, quæ neque exspirant, neque exspirare possunt tale effluvium, cujusmodi sunt multa luminosa, quorum lumen calorem causans in tali effluvio consistere nequit, alioquin radij luminis & lucis transmissi per vitra ustoria dum ex adverso calefaciunt, imò & succedunt, si corpuscula essent, deberent momento temporis penetrare connaturaliter durissima illa vitra; quod idem accideret dum aqua calida vitro inclusa calefacit manum extrinsecus applicatam; hoc autem repugnare experientiæ constat, quâ scimus ita custodire vitrum corpora sibi credita, etiam subtilissima, ut non permittat exspirare vel tenuissimos spiritus, uti patet præsertim in odoriferis, quos ita conservat, ut prius disrumpatur, quàm vel hylum eorum evaporet: per quod tamen minime sublatum imus hujusmodi corpuscula tenuissima, & subtilissimos spiritus, quos dari in natura, sed à primis qualitatibus distinctos realiter, nemini Philosophorum naturalium potest esse dubium.

1367 Porrò si quis quærat, quidnam sint reipsâ tales qualitates primæ? respondemus imprimis quòd calor sit id, quod congregat homogenea & disgregat hetrogenea; ex eo, quòd nulla reperiatur qualitas tam apta ad resolvendum facilè, & citò mixta, separandaqué ab invicem elementa, ex quibus mixta virtualiter componuntur, ac calor; cùm sit attenuativus, & vi suâ resolutivus; ignis enim calore suo purgans aurum cum alijs metallis permixtum, & partes ejus divisas interpositione aliorum metallorum in unum congregat & coadunat; sic applicatus lignis elevat calore suo partes subtiliores, & aëreas attenuat in fumum, congregatqué in loco superiori: partes verò aqueas facit effluere, & terras simul relinquit congregatas in cinere, &c.

1368 Quòd si in venis misceat, & non disgreget sanguinem cum reliquis humoribus, sicut & in stomacho cibos; id facit solùm per accidens & secundariò, quatenus scilicet illos attenuando rarefacit, leveſqué reddendo priùs eos reddit homogeneos: sic dum medicinæ à pharmacopœis miscentur calor congregat partes homogeneas, elevando in locum superiorem partes subtiliores; per quod quia partes grossiores minutissimè dividuntur, ideò etiam invicem permiscentur ad sensum, ut patet in distillationibus, in quibus per accidens commiscentur heterrogenea ob vasis operculum, à quo impediuntur subtiliores, ne avolent.

1369 Deinde dicimus frigus esse qualitatem, quæ congregat tam homogenea quàm heterogenea; quasi diceretur frigus esse potissimum medium ad conservanda mixta ne dissolvantur & corrumpantur; & hinc quædam facilè corruptibilia melius conservantur in hyeme quàm æstate, quia scilicet frigus constipat poros, omniaqué unit ac constringit refringendo vim caloris, ne facilè evaporet, impediendo nè partes heterogeneæ invicem separentur, cùm simul ad suum locum naturalem moveri nequeant; quòd si in sanguine è naso, aut venis emisso frigus videatur separare heterogenea dum partes subtiliores & aqueæ vi frigoris supernatant, & magis terreæ descendunt; hoc causat tantùm per accidens, quatenus scilicet humores illi à frigore reduntur heterogenei dum singuli ad statum suum naturalem se reducunt.

Ulte-

1370 Ulteriùs humiditatem asserimus esse qualitatem facilè terminabilem termino alieno; eò quòd humida se conforment facilè figuris corporum, quibus imponuntur absqué discontinuatione suarum partium, cùm non habeant certam figuram, ut patet in aëre & aqua, & alijs liquidis, quæ absque discontinuatione suarum partium in varias figuras vi humiditatis suæ flecti possunt.

1371 Siccitatem demum dicimus ècontra qualitatem esse facilè terminabilem termino proprio, difficulter alieno; tenacissima nempe sunt sicca suæ figuræ, nec alienam recipiunt nisi difficillimè, adeò ut vix unquam obtineatur conformatio sicci cum aliena figura, nisi per partium discontinuationem; sic lignum siccum faciliùs frangitur, quàm flectatur.

1372 Neque obest quòd arena subtilissima, farina, &c. sicciissima licèt sint, facilè tamen terminentur figurâ corporis cui infunduntur; nam illa non sunt unum siccum, sed plurima sicca, & tot quot sunt granula, quorum nullum est, quod se accommodet alienæ figuræ; quando autem simul cumulantur decidunt hinc inde propter gravitatem; quam habent, vi cujus occupant locum servando figuram propriam, nisi fortè per accidens & violenter eam amittant. His positis velut præcognitis ad perfectam notitiam eorum, quæ de gravitate & levitate dicenda in præsentiarum brevissimè occurrunt, venit modò examinanda.

Physico-staticæ objecti quasi formalis, seu Gravitatis & Levitatis quiddidas & distinctio.

1373 CUm constet ex dictis ipsa corpora tam elementaria quàm mixta esse Physico-staticæ objectum quasi materiale, ut illius velut formale assignemus seu id à quo habent illa tanquam à principio formali proximo ut descendant, vel ascendant ad locum sibi connaturaliter competentem, dicimus hoc formaliter esse ipsam gravitatem, vi cujus corpus est aptum natum ferri ad medium sive deorsum, & ad centrum universi; & levitatem, vi cujus corpus est aptum natum ferri à medio, sive sursum ad circumferentiam.

1374 Quas esse distinctas realiter imprimis ab ipsis substantijs corporum, quæ dicuntur gravia & levia, patet tum ex eo, quòd accidentia Eucharistica destructâ panis substantiâ gravitent & proprio pondere deorsum ferantur; tum quia si gravitas & levitas identificarentur cum substantia, vel identificarentur cum materia, vel cum forma, vel cum utraqué; nam constat quòd identificari nequeant unioni, quia hæc modus est, & solùm ultima actualis determinatio hujus materiæ ad hanc formam & vicissim; non etiam dici potest quòd identificetur materiæ, quia hæc est indifferens secundum se, ut sub hac forma gravitet, & sub illa levitet; non item formæ, ut constat primò in homine, cujus forma cùm spiritualis sit nequit esse subjecta gravitati, aut levitati; & deinde in alijs formis materialibus, manente enim eâdem formâ substantiali perit gravitas, & accedit levitas, ut patet in vaporibus, qui sunt sustantialiter aqua, & in exhalationibus, quæ sunt substantialiter terra: non secùs quàm adversarij concedant glaciem esse substantialiter aquam, quæ tamen novis illis affecta accidentibus suam gravitatem non habet, imò hâc amissâ acquirit levitatem, quâ non supra aquã tantùm, sed etiam supra aërem ascendit.

1375 Quòd si dicatur materia & forma, dici principium motûs, & quietis in eo, in quo est; facilè solvitur dicendo, verum id esse de principio tantùm remoto & radicali, non verò de formali & proximo per quod illud exit in actum secundum.

1376 Si rursus instetur: potentiam loco motivam animalium non esse realiter distinctam ab ipsa substantia eorumdem; respondemus latam esse disparitatem in eo, quòd animalia, non moveantur utcunque, sed simpliciter, etiam cùm sunt in suo statu connaturali; at quæ moventur per gravitatem, & levitatem moventur solùm ad situm naturaliter sibi convenientem, quo obtento moveri desinunt.

1377 Distinguitur præterea realiter gravitas & levitas tum ab ipsis primis qualitatibus, ut patet ex earum effectibus formalibus, vi quorum corpora tendunt ad suum debitum locum ac in eo requiescunt; ipsaqué experientiâ, quâ constat, & quòd alio modo afficiant, & immutent sensum tactûs, ac illæ, & quòd ferrum candens servatâ eâdem gravitate immutetur in primis qualitatibus, sicut & aqua dum ex frigida fit calida, vel è contra: tum etiam à densitate, & raritate; nam & glacies est aqua densior, & tamen remanet levior aquâ; & corpora Beatorum retinent eandem raritatem, vel densitatem, absque ulla gravitate; & demum quia conceptus formales, imò & effectus reales realiter sunt diversi, ut manifestum est ex eo, quòd densitatis effectus formalis sit, juxta cõmunem, facere occupare minorem locum, raritatis majorem; gravitatis verò est movere deorsum, & levitatis sursum, juxta id quod ordo universi, & recta in eo rerum contentarum exigit coordinatio.

1378 Quod si nunquam inveniatur ignis cum calore, & siccitate, quin secum etiam habeat levitatem, ac nunquam terra cum suis primis qualitatibus, quin simul etiam in ea reperiatur gravitas; hoc aliud nihil probat, quàm quod levitas ad qualitates ignis necessariò sequatur, sicut gravitas ad qualitates terreas, tanquam quidam quasi effectus ad suam quandam quasi

cau-

cauſam proximam: cùm conſequantur juxta exigentiam naturalem primarum qualitatum iſtæ motivæ virtutes poſitâ debitâ raritate, vel denſitate tanquam diſpoſitionibus materiaſibus, prout patet in exhalationibus terreis, in quibus levitas exoritur à calore & ſiccitate, poſitâ raritate tanquam conditione, ſeu diſpoſitione ſine qua non.

1379 Quare & tertiò diſtinguitur gravitas, & levitas ab ipſo primarum qualitatum temperamento; tum quia nos ipſi experimur impetum deorſum, cui nè cedamus contrà niti debemus; & hinc directè ſtantes defatigamur, quod dum patimur non contrà nitimur temperamento primarum qualitatum, quod in nobis eſt, cùm illud ſit ex ſe indifferens ad motum ſurſum, & deorſum.

1380 Tum etiam quia eſt indubitatum elementa habere gravitatem & levitatem, etſi careant primarum qualitatum temperamento: tum demum quia plurima mixta aſſimilantur in temperamento earundem, & tamen notabiliſſimè differunt ſecundum gravitatem & levitatem inter ſe, ut patet inductione.

1381 Quòd ſi quis petat, ex quibus primis qualitatibus oriantur gravitas & levitas? Reſpondemus levitatem oriri ex calore juncto raritati, adeoqué igni, & aëri propriè convenire: graviratem verò præcipuè ex frigore juncto denſitati, ac propterea aquæ & terræ ordinariè competit: ſiccitas autem & humiditas, quia tam cum frigore quàm cum calore conjunguntur; ita ab illis determinari poſſunt ad gravitatem vel levitatem, aut ſimpliciter, aut ſecundum quid: & propterea non ineptè grave dividitur in graviſſimum ſeu grave ſimpliciter, & in grave ſecundum quid; eodemqué modo leve, debitè ſervatâ proportione: graviſſimum autem dicitur, & eſt illud, quod ſemper deorſum tendit, eò quód exigat ſubeſſe omnibus alijs; grave verò ſecundum quid eſt, quod non tendit ſemper deorſum, ſed ſi ponatur ſub graviori aſcendit; idem è contra ſentimus de leviſſimo, & levi cum addito.

1382 Atque hinc etiam dicitur unum corpus gravius, aut levius altero, aut æquè grave, vel abſolutè, vel in ſpecie; primo modo eſt tale, quando in bilance v. g. conſtituta in eodem medio poſitum unum æquè, vel magis ponderat, quàm aliud v. g. pluma unius libræ æquè gravis eſt abſolutè ac una libra plumbi, & pluma duarum librarum eſt abſolutè gravior plumbo unius libræ. Gravius verò in ſpecie, ſeu ſecundum ſpeciem eſt illud, quod in æquali mole alteri præponderat; ſic aurum dicitur graviſſimum eſſe inter cætera metalla, quia in mole æquali præponderat omnibus metallis.

1383 Ex quibus tamen minime quis inferat gravitatem, & levitatem inter ſe diſtingui tantùm ſecundum magis & minus: cùm differant poſitivè ſecundum naturam ſpecificam, eò quòd per ſe, & ex natura ſua ſint ex principijs diverſis & oppoſitis, & ad terminos ſeu effectus oppoſitos & diverſos, uti patet ex paulo ante dictis; & ulterius tam ratione, quàm experientijs comprobatur; ratione quidem, quia alioquin ignis tenderet violenter ſurſum, eò quòd ſolùm aſcenderet, quia extruderetur à reliquis elementis fortiùs illo contendentibus ad centrum, quod idem contingeret aquæ, quę remaneret in ſuperficie terræ coacta à gravitate graviori terræ: quæ ſequelæ admitti non poſſunt, niſi ab eo, qui velit admittere quod ignis motu inceſſanter violento tendat ſurſum velociſſimè, & nunquam recidat; quodqué ignis minor longè velocius aſcenderet quàm major, cùm faciliùs vinci poſſit & extrudi à gravitate aliorum elementorum. Cur inſuper eâdem ratione dici nequiret, quòd motus deorſum terræ eſſet violentus, eò quòd potiori jure dici poſſet terram ab igne, & aëre trudi deorſum, cùm ignis ſit agens longè vehementius terrâ, & activitas illius in terram ſit multò efficacior, quàm terræ in ignem?

1384 Experientiæ autem, quæ probant poſitivam Levitatem contradiſtinctam ſecundum ſpeciem à gravitate, ſunt, imprimis illa, quâ pyramis agglutinata ſecundum baſim volæ manûs, ita ut aqua inter manum & baſim pyramidis ſubingredi nequeat, notabiliſſimè manui eam immergenti in aquam reſiſtat, ut conſtat facienti experientiam.

1385 Altera eſt, quæ fit in fiſtula vitrea tenui, & oblonga, impleta aquâ ita, ut tamen aliquod breve ſpatium in illa relinquatur aëri; eâ namque ritè occlusâ, & celeriter inverſa ad oculum exhibetur veritas noſtræ illationis.

1386 Quod adhuc evidentius præſtat illa, ſi immediatè ſupra aquam infundãtur aliquot guttæ olei, relicto aliquo adhuc ſpatio pro aëre, qui oleum & aquam cuneatim pervadens in fiſtula celeriter inversâ ſeſe ſuperiori loco reddit hærente adhuc oleo circa medium fiſtulæ, cui, ut ſæpè contingit, ſi adhæreant aliquæ bullæ aëreæ longè citiùs per medium aquæ aſcendit, quàm aliàs conſuevit; coadjuvante illud nimirum levitate, quâ aër ſuperat oleum. Quo in caſu clarè patet concurrere ſimul tanquam duas cauſas partiales levitatem aëris, & olei ad celeriorem hujus aſcenſum. Ex quo plures objectiones diſſolvuntur.

1387 Omittimus alias experientias levitatem poſitivam manifeſtè demonſtrantes, quales ſunt, quæ fiunt per lignum cubicæ figuræ detentum in fundo baſis infra aquas mediante bacillo; per pilam, aut veſicam inflatam, aliaſqué plures hujuſmodi, quæ nullatenus poſſunt ſalvari per hujuſmodi extruſionem, cùm nullum ſit infra illa corpora, Agens extrudens.

1388 Ex quibus omnibus ſufficienter oſtenſum manet,

manet, gravitatem & levitatem realiter & positivè ab invicem distinctas esse; cùm præsertim experientiæ quædam, quæ in contrarium adducuntur facilè ex dictis solvi possint, maximè cùm illæ ad accuratiorem trutinam videantur examinandæ, eò quòd aliquot illarum, uti est illa, quâ dicunt constare, quòd corpus illud ligneum cubicum, cujus suprà meminimus, positum in vase aquæ ex una parte bilancis cum alio pondere sibi æquali in altera lance posito constituat æquilibrium, quod perfectè ajunt servari, sive lignum illud appendatur tenui filo supra vasculum, ita ut non attingat aquam; sive innatet aquæ; sive ex fundo aquæ sursum enitatur. Verùm hanc experientiam non subsistere præsertim quoad secundam, & tertiam partem assumpti accuratissimâ in contrarium factâ coram pluribus perspicacissimis non minùs oculis, quàm ingenijs, manifestâ constat experientiâ.

1389 Quare cùm quo, cui præcipuè innitun- 1392
tur Adversarij, experimentum, nullatenus subsistat; idcirco reliqua etiam, quæ ipsi adferunt ad accuratius examen revocanda videntur, priusquam fidem ipsis præstando in vanum laboremus indagando rationes, quibus ipsis satisfaciamus.

Physico-statici gravitatis, & levitatis effectus.

1390 COnstat ex modò ostensis gravitatem & levitatem esse virtutes, seu qualitates positivas motivas, & consequenter operativas suo modo effectuum, eorumq; valdè mirabilium, prout scientia physico statica demonstrat, quando nobis exhibet varijs suis instrumentis opera planè naturalia, qualia sunt motus ventorum in Æolopilis, vaporum elevationem, & resolutionem per imbres, nivem, grandinem, idoneis organis; aëream temperiem pro diversis temporibus, & locis in termoscopio; irides in fontibus; cœlestium corporum, & animalium motus; avium volatus & cantus, in 1393
sphæris, horologijs, curribus, navibus, automatis, hydrauliciſque machinis; quin etiam tonitrua & fulgura in tormentis bellicis; meteora ignea in pyrothecnicis; ipsosqué terræ motus in cuniculis subterraneis formidabili artificio imitatur &c. quorum omnium causam & originem à gravitate, levitateque corporum tanquam à principio primo proximo provenire nemini statices perito est dubium.

1391 Quamvis hi magis particulares earum sint effectus; universales enim tres potissimùm nec malè esse dicuntur; quorum primus est detentio elementarium corporum in loco illis debito connaturaliter; secundus ipsa gravitatio & levitatio, quos duos effectus sensu quivis experitur: si enim quis pondus aliquod 1394
vel manu, vel dorso sustinet sentit pressionem & impulsum deorsum, quem gravitationem appellamus; si verò leve aliquod deprimere tentet, percipit impulsum, ac vehementiam sursum tendentem, quæ levitatio nuncupatur. Tertius demùm effectus, qui propriè tribuitur gravitati tanquam primarius & velut formalis, est motus deorsum, quo res extra suum locum naturalem posita ad suum centrum movetur, nisi impediatur; levitatis verò primarius & quasi formalis effectus est motus sursum, quo levia ad naturalem sibi debitum locum in universo ascendunt; circà quam divisionem non est difficultas, si quis bene perceperit ea; quæ centrum concernunt, quod ut nos assequamur paucis explicatur.

Physico-staticè gravium centri quidditas, multiplicitas, & affectiones.

1392 NOmine centri nobis venit pars aliqua quãtitatis continuæ, & finitæ indivisibiliter accepta, ac determinata actu, vel in illa ipsa quantitate ejusqué termino, vel extra cum certo tamen respectu ad partes illius cujus dicitur centrum. Tripliciter sumi solet, nempe pro centro magnitudinis, & pro centro gravitatis; centrum figuræ dicitur illud punctum (quod nomen quoad rem significatam intelligimus juxta explicationem ipsius datã in Physica) in quo radij, sive semidiametri figuræ prodeant, seu in quo omnes diametri sese intersecant. Magnitudinis est illud punctum quod undique æqualiter ratione magnitudinis & extensionis ab extremis abest: at centrum gravitatis ab Aristotele definitur esse ejusdem gravis medium, seu punctum illud, quòd si apprehendatur, & cohibeatur à motu, reliquæ quoque omnes partes in eo conquiescunt: quia nempe illud æquè graves semper circumstant partes; dum enim pari conatu descensum moliuntur, nec una alteri quasi cedere, ambæ se se à lapsu invicem arcent.

1393 De his nos cùm agamus solùm physico-mathematicè, ideo illa inter se realiter, & quoad sensum non existimamus distingui, spectatâ præsertim, quatenus locum habent in hoc universo; ut clarè constat in globo terraqueo, in quo licèt terra sit interfusa aquis, & propè superficiem heterogeneis partibus mixta, ad reliquam tamen terræ molem homogeneam heterogeneitas hæc insensibilem habet proportionem, & ineptam ad præponderandum versus unam partem; ut enim constat ex accuratioribus observationibus eorum, qui ferè omnes ejus notas circumnavigârunt partes, ita montes, & maria circa terram disposita sunt, ut undique æqualia sint momenta circa ejus centrum.

1394 Accedit quòd si centrum gravitatis à ter-

ra eſſet ſenſibiliter & phyſicè diſtans à centro magnitudinis, ſeu univerſi, id ipſum indicarent perpendicula liberè demiſſa ſupra ſuperficiem camporum, aut æquoris; inclinarentur enim neceſſariò ad unam partem potiùs quàm ad alteram; quod tamen non contingere ad oculum patet in arboribus navium, in parietibus ædificiorum, &c. quæ ſeclusâ violentiâ perpendicularem motum ſurſum ac deorſum ſervant ad terreſtrem globum, quia nimirum centrum terræ eſt terminus, ad quem naturaliter, ac per ſe tendunt omnia gravia, qui terminus impoſſibile eſt, phyſicè loquendo, ut alius ſit quàm centrum univerſi; nam ille neceſſariò eſt terminus ad quem tendunt gravia, qui eſt terminus à quo ad oppoſitum terminum feruntur levia, cùm per eandem lineam, ſimiles ubique facientem angulos illa deſcendant, hæc aſcendant; levia autem feruntur verſus extremam ſuperficiem loci univerſalis mundi medium continentis, id eſt verſus extremam ſuperficiem concavam cœli Empyrei, & quidé aſcenſu perpendiculari remotis impedimétis; adeoq; terminus à quo levia recedunt, & ad quem gravia accedunt eſt mediũ, ſeu centrũ terrę, hoc eſt ipſum centrũ univerſi.

1395 Ex quo facilè quivis corriget vulgi imaginationem putantis Antipodas non dari, eò quòd cadere deberent in oppoſitam cœli partem; quam enim ridicula ſit talis imaginatio patet, quia gravitate eorum inclinante ad terræ centrum perpendiculariter ſuperficiei terræ non ſecùs quàm nos inſiſtunt.

1396 Unde ſimul facilè quis intelliget quo pacto orbis terræ in medio aëre ponderibus ſũis libratus immobilis hæreat, virtute ſcilicet ſui centri, vi cujus aërem quaquà verſus circa ſe habens, æquilibris ipſa in tali medio conſtituta non poteſt aut magis, aut minùs aliorſum declinari. Sed neque ullatenus moveri circa ſuum centrum, ſeu motu circulari, ſeu motu aliquo à ſeptentrione in Auſtrum, ſeu alio reali motu, quem vocant trepidationis.

1397 Quod univerſim verum eſſe, & præſertim quoad primum, patet tum Authoritate ſcrip. Eccleſ. 1. terra autem in æternum ſtat, & Pſal. 92. firmavit orbem terræ, qui non com-1400 movebitur &c. Tum ratione, quâ conſtat primò per ſententiam contrariam tolli neceſſariò omnem rectum motum decidétium gravium, cùm illa demiſſa ex alto, dato motu terræ circulari deſcriberent ſuo deſcenſu lineam ad omnem ſenſûs ſubtilitatem circularem, ſiquidem raperentur neceſſariò una cum aëre ad eam partem, ad quam terra circumageretur; ſecundò ſagitta vel globus in altum projectus perpendiculariter nunquam recideret ad pedes proijcientis; proijciens enim terræ inſiſtẽs, jam aliquot Germanicis milliaribus proceſſiſſet; non ſecùs quàm cùm aliquis è navi velocißimè motâ globum in altum jacit, nunquam ille amplius in navim recidit. Tertiò tormentum bellicum citiùs pertingeret ad metam, quàm globus ex illo emiſſus; tormentum enim citiùs moveretur cum terra quàm globus: teſte enim Tychone, qui id expertus fuit, globus ex tormento emiſſus intra duo minuta temporis non nifi unum parvum Germanicum milliare conficit: at tormentum ſi terra moveretur, intra duo minuta conficeret ſeptem milliaria Germanica, & amplius: nam intra 24 horas tota terra conficeret 5400 milliaria, adeoqué ſingulis horis 225, & conſequenter ſingulis minutis tria milliaria, & 45 partes milliaris.

1398 Demum dato motu circulari terræ, difficillimum eſſet ambulare, navigare, volare &c. verſus occidentem; unà enim cum terra deberet moveri aër, orientem verſus multò vehementiori impetu, quàm cujuſcunque venti Aquilonaris; quin pinnacidia turrium, flammæ, ac fumi bolidum ignitarum, earumqué radioſi ignes, fila globo alligata, & projecta in aërem, vela navium &c. obverterentur perpetuò verſus orientem, aliaqué innumera, quæ inferri poſſunt ex dato motu circulari terræ, ſequerentur inconvenientia.

1399 Quæ omnia pariter oſtendunt repugnantiam phyſicam motûs librationis, ſeu agitationis terraquei globi à meridie in ſeptemtrionem, & viciſſim. Motu verò trepidationis terram ſecundum ſe totam phyſicè non moveri etiam patet, cùm videatur eſſe contra lumen naturæ admittere univerſam terram tremere ad ſaltum pulicis, vel ad caſum guttæ pluviæ; ad hoc enim ut talis motus fieret in terra non tantum deberet ex una parte terræ eſſe plus gravitatis, ſed tantus deberet eſſe exceſſus, ut poſſet ponderis in contrarium conantis reſiſtentiam ſuperare; ſicut enim ſi quis muſcam ingenti bellico tormento filo alligaret, quantumvis conaretur muſca, non poſſet tamen loco movere machinam illam ullatenus, nempe quia impoſſibile eſt ut à minore vi fiat motus, quàm ſit impedimentum, juxta præcipuum cui innititur elementaris Statica principium; ſic &c.

Neque favet trepidæ illi de trepidatione terræ opinioni, quòd defactò ſenſibiliter terra quando ingentes exercitus progrediuntur, vel montes corruunt, vel vaſtæ aquarum moles ex uno loco in aliũ deducũtur, &c. trepidet; quod quidem verum eſt, ſed ſolùm ſecundum aliquam terræ partem, ſupremamqué ejus particularem aliquam ſuperficiem, non autem ſecundum totam molem terræ; cujus ratio eſt, quia talis motus, ſicut quælibet alia actio diffunditur uniformiter difformiter, adeoqué ſentiri poteſt in partibus vicinioribus potentię moventi, ut patet ex acu quæ poſita ſupra tympanum indicat ſaltitando propinquitatem

hoſti-

hoſtium; quod idem præſtant nolulæ teneriores appenſæ arbuſculis, &c. ex quibus tamen certis experientijs minimè extendere licet motum illum ad totam terram tam parum, quàm extendatur calor calefaciens aërem in cubiculo ad calefaciendum aërem totius mundi, &c.

1401 Stat igitur in, & circa ſuum centrum immota tellus; at in ejus ſuperficie quæcunque ſtant ſtare nequeunt licèt validiſſima ſint abſq; unius lineolæ, quam directionis dicimus adminiculo, ſic dicta, eò quòd motus gravium, leviumque omnium dirigat ac æquilibret; intelligitur namq; ea ducta à mundi centro ad verticem uſque eorundem, quia neceſſe eſt eam à centro procedere, ſeu in centrum tendere ita, ut quæcunque in altum eriguntur, aut innituntur telluri ut ſtent, & non cadant, debeant habere hanc directionis lineam ductam à centro terræ, & tranſeuntem per centrum gravitatis eorundem, & præterea per locum cui illa inhærent; ſi enim vel centrum gravitatis, vel baſis ipſorum ſit extra hujuſmodi lineam immediatè dimoventur illa, & proſternuntur verſus eam partem, ad quam centrum gravitatis prævalenter inclinat.

1402 Unde & ad progreſſivum motum hominis vel cujuſcunq; alterius gravis mobilis motum, hanc lineam directionis mutari eſt neceſſe ad hoc, ut omnes partes æquiponderantes ex æquo diſtent à linea directionis, & conſtituant corpus in æquilibrio requiſito, ut dum progreditur ſtet, & non ruat: cujus admirandæ, ſed neceſſarijſſimæ lineæ naturam ſi quis benè perceperit; intelliget imprimis quomodo homo v. g. pedibus inſiſtens, ſi brachium extendat ex ea parte quà pendet dubio procul cadat; ita ut ſeſe inclinare nequeat ad ullam prorſus partem abſque infallibili ſuimet ruinâ; linea namque directionis tranſiens per extremum pedis in caſu poſito non tranſiret per centrum gravitatis, quod ſupponitur manere in anteriori parte, adeoqué impoſſibile erit ut ſe moveat ſtans, & non cadat; cui neceſſitati providit provida omnibus natura, docens hominem cùm ſe inclinat in poſteriorem partem pedem extendere, qui quaſi vectis in ſtatera præponderet capiti: atque hinc fit, quòd ſi quis habitâ æquilibrij ratione, corpore immoto brachium extendat quaſi quidquam arrepturus, cadat, niſi ſe ad æquilibrium celerrimè reduxerit.

1403 Intellige deinde quâ ratione nullus, quantumvis robuſtus è ſede, in qua ſedet, vel è terra, in qua jacet ſeſe erigat invariatâ directionis lineâ; nam ſedens erigit ſuperiorem partem corporis, quæ eminet non dirigendo crura, & reliquas corporis partes; verùm dum pedibus inſiſtere vult, neceſſe eſt, ut totius corporis centrum gravitatis quàm maximè ſit propinquum lineæ directionis tranſeunti per pedes, quibus inſiſtere debet; atque idcirco corpori ut ſurgat ſubmittere pedes debet, caputque educere, ut pedibus ipſis immineat.

1404 Similiter jacens ſupinus ſurget nunquam immutatâ dictâ lineâ, cùm neceſſarium ſit ad ſurrectionem, ut corpus complicet, & ſuperiorem partem corporis prius erigat, ac pedes ſubmittat corpori: quòd ſi jaceat pronus manibus primùm inniti debet ſimul, & pedibus, moxqué genua in anteriorem partem complicare, ut ſe erigat; quia ſcilicet quando totus jacet ſecundum omnes ſui partes conſiſtit, at verò cùm pedibus inſiſtere vult, qui maximè ſunt remoti à centro gravitatis corporis (nullum namque corpus eſt, figura nulla, nullaqué ſuperficies, aut magnitudo, quæ ſuo centro gravitatis careat) opus eſt, ut eos paulatim ad ſe colligat, eaque omnia præſtet, quæ ſedenti, ut ſurgat, ſunt neceſſaria.

1405 Intelliget præterea, quo pacto quadrupedia tunc tantum ſtare poſſint quando linea directionis per extremum ſuperficiei, quam inter extremos pedum terminos operiunt, tranſiens pertrãſierit etiam per centrum gravitatis eorumdem; item cur aves caput, ac corpus ſemper inclinent ad ſumendum cibum; extendant autem pedes & caput dum volant? cur grave aliquod caſurum ſuapte ſponte per appenſionem eidem duorum ponderum æquè gravium ſuſtentetur liberè in aëre? cur turris Bononienſis in Italia, & Colonienſis in Germania, quantumvis maximè inclinatæ, non tamen cadant? cur ſi Deus tolleret totum noſtrum hemiſphærium altero relicto immutato, in vaſtiſſima illa quam concipimus planitie non niſi unicus homo, & ille quidem difficillimè conſiſtere poſſet? cur in convexa montium ſuperficie etſi triplo major ſit, quàm plana ipſi ſubjecta, nequeant tamen plures ſegetes, arbores &c. creſcere, quàm in plana triplo minori? cur aſcendentes ſcalas, vel montes plurimùm homines ad anteriorem partem incuruentur? cur caſuri in partem unam, in alteram brachium extendamus naturali quodam impetu? cur ars ludionum, & funambulorum, quâ nixi ſupra funes mirabilia patrant, præſtigioſa non ſit? cur gibboſi ſenes genua antrorſum incuruent? cur quadrupedes utrumqué ſimul pedem attollere nequeant, ſed nunc ad dextram nunc ad ſiniſtram corpora inflectant? aliaqué plurima his ſimilia facillima ſunt intellectu illi, qui naturam lineæ jam dictæ bene perſpectam habet, cùm ex illa noſcat centrum gravitatis debere eſſe in linea directionis, ad hoc ut ſervetur æquipondium.

1406 Porrò juxta hanc directionis lineam gravia omnia motu ſuo naturali moventur rectà ad centrum, & è contra levia ad circumferentiam; nempe quia motus iſte eſt inſtitutus à natu-

natura, ut partes rectè ordinentur, & diſponantur in univerſo inter ſe in ordine ad totum, quæ ordinatio & diſpoſitio connaturaliter fieri debet per lineam breviſſimam, qualis eſt jam dicta, cùm natura horreat ſuperflua & ambages, ut recte Ariſt. oſtendit 3. de cœlo.

1407 Gravia autem deſcendentia, & levia aſcendentia naturali motu moventur uniformiter difformi velocitate, eaquè majori verſus finem motûs, juxta illud, motus in fine velocior; cujus certitudinem oſtendunt nobis plurimæ experientiæ deſumptæ ex ſonitu, què majorem edit grave ex loco altiori ſupra aſſerem cadens, quàm ex loco demiſſiori; ex percuſſione ipſo tactu perceptibili; ex ictu, & majori vulneratione cadentium ex alto: ex repercuſſione, & reſultu corporis decidentis, ſi in aliud æquè durum, aut durius impingat &c. quarum experientiarum ratio à priori eſt illa, quòd gravia decidentia, aſcendentiaquè levia acquirant ſemper majorem ac majorem impetum, ſeu gravitationem & levitationem donec ad ſuum pertingant terminum, in quo conquieſcant.

1408 Atque ex his patet ratio, cur ſi ex una parte bilancis ponatur pondus decem librarum, in aliam verò lancem ex alto decidat pondus unius libræ, hæc illas attollat? cur ſecuris quæ lento motu ligno ſuperimpoſita findere nequeat, ſi verò elevetur, & celeri illud feriat motu ſtatim findat? cur globus ligneus ex alto decidens in aquam, totus immergatur? cur currens deorſum per clivum poſt aliquod ſpatium, etſi velit, non poſſit tamen inhibere curſum &c. quia ſcilicet quo longiùs & diutiùs gravia feruntur, eò majorem in ſe producunt impetum, cùm vires ſemper motus gravium acquirat eundo.

1409 Unde etiam patet non omnia gravia æquali velocitate per ſe moveri deorſum, ſed abſolutè illa, quæ graviora ſunt aut in ſpecie, aut in individuo velociùs, & citiùs deſcendere cæteris paribus, quò enim major eſt gravitas, & gravitatio, eò velociùs movetur grave; non ſecùs quàm in rebus alijs omnibus videamus, quòd quò validior, & major eſt perfectio agẽtis, eò citiùs, & facìliùs ſequatur effectus; cùm igitur gravitas & levitas ſint agentia maximè neceſſaria, eò velociorem cauſabunt motum, quò majorem ſemper habuerint impulſum, ſeu gravitationem, & levitationem, quæ, ut diximus, ſemper augetur eundo: ex quibus facilè dabimus rationem multarum illationum & experiẽtiarum, quæ circa motum gravium, & levium inferri, & fieri poſſunt.

1410 Ne autem gravia præcipuè ad ſuum centrum recto colliment motu, etſi multis modis impediri poſſint, ita ut aut circularem, aut elypticam, aut ſpiralem, aut aliam quamcunquè lineam decurrant: vel certè aliò contra propriam naturæ exigentiam devolvantur: quinque tamen præcipuis inſtrumentis, ſeu machinis, quæ omnium propè Artium univerſaliſſima ſunt organa, id præſtari poteſt; nimirum librâ, vecte, trochleâ, axe in peritrochio, ſeu ergatâ, & cuneo; ad quæ revocantur omnia quæcunquè hactenus ſunt excogitata inſtrumenta, quibus gravia & levia ab eo, quo à natura donata ſunt inſtinctu, amoveri poſſunt.

1411 Porrò libram, cujus plures ſunt ſpecies, nimirum bilanx, ſtatera, Romana, omnes inſervientes pro æquilibrio rerum reperiendo, illud dicimus eſſe inſtrumentum machinicum, quod vel utrinquè, vel alterutra ex parte ſuos æquales protendit radios, per cujus acceſſum vel receſſum ab horizontali linea ponderum æqualitas, aut inæqualitas examinatur. Illius virtus tanta eſt, ut per eam debitè applicatam mira planè exhibeantur; fundantur namque in libræ, ſeu ut recentiores nunc appellant, in magnæ bilancis artificio tum inſtrumenta omnia, quibus ingentia pondera facillimè elevantur: tum ea, quibus ab unico homine ingentes in fluminibus & foſſis urbium fundantur machinæ, tum admirabiles illæ naves, quibus æquè ſupra, ac infra aquas ſecuriſſimè navigatur; tum alia innumera, quæ in automatis, curribus, ſtatuis, prodigijs ſimilia cernimus; imò & in hominum operationibus, ut ambulare ſuper funes, modico gubernaculo ingentem navim ad libitum dirigere, tormenta bellica manu unicâ in omnem partem verſari, ingentes librare in hoſtes è baliſtis molares lapides, mutationes theatrorum celerrimas, &c. quæ factibilia ſunt Libræ, ſeu magnæ bilancis beneficio, factaquè jam eſſe oſtendit Illuſtriſſimus Guidovvaldus, Monantholius, Stevinus, & alij.

1412 Vectem autem rectè deſcribimus dicendo inſtrumentum oblongum, cujus alterum extremum in cuſpidem acutam, & paulò latiorem deſinit, diciturquè lingua; alterum extremum caput eſt, aut manubrium; cui in uſu ſupponitur fulcimentum, hypomoclion, ſeu porrecta preſſio dictum. In hoc inſtrumento tantùm humanæ vires inveniunt ſubſidij, ut licèt hic ferreus ſit, atque adeò tantò plus ſecum ponderis oneri elevando attulerit, nihilominùs ita laborantem adjuvat, ut Ariſtoteles hujus tam mirabilis effectûs cauſam voluerit eſſe non niſi mirabilem, circulum ſcilicet, quem, dum vectis movetur, efformat; nec immeritò, circulus enim cùm ortum ſuum trahat ex motu, & quiete, lationibusquè contrarijs, non poteſt non mirabilium effectuum eſſe principium; adeòque quantò ab hypomoclio magìs diſtat potentia, tantò faciliùs movet, eò quòd quò plus à centro elongantur lineæ, eò majorem deſcribunt circulum; &

quia

quia circulus major longè velociùs movet minori, hinc vis omnis in vecte.

Atque hinc facilè patet cur fundæ, & ba-
1413 listæ tam violenter contorqueant saxa? cur veterum arietes per funes suspensi violentiores fuerint? cur longiores hastæ per extremitatem difficiliùs ferantur, aut eleventur quàm per medias partes; cur ligna genibus applicata, 1417 aut pedibus supposita per extremum faciliùs frangantur? cur quò antenna sublimior, eò celerior feratur navis? cur modico gubernaculo navis ingens obliquetur? cur tanta remorum virtus in medio præsertim navis? cur securis adacta longiori manubrio ictum validiorem faciat? cur pondus manu detentum plus negotij faciat exporrecto brachio, quàm contracto? cur forcipes, forfices, nucifrangibu- 1418 la, dentiduci, &c. faciliùs scindant, frangant, & moveant, quò longiora fuerint eorum brachia, &c. quorum unica causa est facilitas vectis præsertim longioris, & distantia ponderis, aut potentiæ motricis à centro motûs.

1414 Trochlea describi solet dicendo quòd sit instrumentum unâ, aut pluribus rotulis circa suos axes mobilibus, & fune ductario constans ad trahendum & attollendum pŏdera aptum: multiplex est juxta multiplicitatem rotularŭ, quibus constare potest; si enim duabus constet dicitur dispastos, si tribus trispastos, si pluribus polyspastos &c. omnium istarum rotularum vim, ut commodè in aliquibus, sic malè in multis per libram & vectem explicant aliqui: neque enim tam egena illa est, per quam divitiæ orbem circumnavigant, ut necesse habeat ab alijs demonstrationes suæ potentiæ emendicare; quâ tantâ pollet, ut datum quodvis pondus ad data quæcunqué spatia per potentiam da- 1419 tam movere possit, uti experientiâ demonstravit Archimedes, cùm manu lævâ quinquies millenum modiorum pondus attraxit, & navim in littus ejectam, ad se perinde adduxit, ac si in mari velis, remisque impulsa fuisset.

1415 Axis in Petritrochio quid sit, ipsum ipsius nomen satis indicat; est enim instrumentum quoddam cylindricum duobus fulcris per extrema sustentatum, quod tympanum, seu major rota ambit, in cujus peripheria scytalæ aliquot fixæ sunt, ita quidem, ut dum potentia totam cum axe suo circumagitat, simulqué funem ad axem agglomerat paulatim pondus in altum educit. Ad hoc instrumenti genus ergatæ, succulæ, terebræ, rotæ dentatæ quæcunqué cum suis axibus, horologia rotata &c. revocantur.

1416 Utilitates illius quæ diversæ sunt, & faciles, cùm non tantùm ab hominibus, sed ab e- 1420 quis, bobus, canibus calcari & circumverti possint, in diversas eandem coëgerunt formas, & modos, quorum omnium efficaciam ac virtutem, unica hæc exhibet propositio. Describatur linea penes quam pondus ad centrum terræ, aut homo alio, si velit, conatum suum dirigit; ad hanc è centro axis ducatur circulus tangens, deinde hujus semidiameter cum semidiametro axis cŏferatur, habebiturqué proportio, quam inter pondus, potentiamqué existere est necesse, ut in æquilibrio perstent.

1417 Cuneus demum est instrumentum, mole quidem parvum, in acutos ex parte unâ desinens angulos, quod, ut ait Arist. ingentes corporum magnitudines ideo dividit, quia ipse continet duos vectes sibi invicem contrarios, cujus utriusque fulcimentum est in concursu laterum, aut cunei vertice, quo divellit, & comprimit; cui vires adduntur ex valida mallei percussione.

1418 Ad hujusmodi instrumentum spectant quæcunque percussione, vel impulsu incidunt, dividunt, perforant, secant &c inter quæ eminet Cochlea, quæ est cuneus cylindro, vel cono circumvolutus, helicis instar, dentibus tympani congruentis, qui per vectem versus magna pondera movet, ac divellit, & eò faciliùs quò vertex helycis fuerit acutior, & vectis longior. Hujus instrumenti cuneati virtute, non tantùm quodcunque datum pondus à data potentia movetur facillimè, verùm etiam mirabili industriâ effici potest, ut ingens vis aquarum evacuetur, & omnis fluvij affluxus ab imo ad superficiem usque effundatur; quin etiam, ut aqua naturâ suâ gravis non vi aliquâ educta, sed sponte, quia descendit sursum ascendat, & etiam quò ulterius movetur semper deorsum mota, semper in altiorem locum magis ac magis sursum mota reperiatur, quàm fuerit locus ille, ex quo moveri cœperat.

1419 Dum autem hic mentio occurrit aquarum, aptè sese ingerunt, breviter ponderanda humido innatantia; de quibus universa, quæ disputari solent innituntur, sex propositionibus ab Archimede libro de his quæ vehuntur, aut insident humido demonstratis ex illis primis naturalibus principijs, ratione & experientiâ notissimis; quæ sunt: Primò omne grave exigit naturâ suâ esse infra leve, & è contra. Secundò nŏ datur naturaliter penetratio corporum. Tertiò non datur vacuum naturaliter. Quartò gravia in humido descendentia non plus ex humido extrudunt, quàm ipsa pŏderent. Et demum quintò omnia quæ supernatant sive aquæ, sive aëri leviora sunt in specie corpore illo cui supernatant, ex quibus universa, quæ hydraulica ingenia in hydrostaticis excogitârunt, dependent tanquam à certis suis, & physicis principijs.

1420 Unde necessariò sequitur omnia corpora posita in aqua mergi debere, quæ aquâ sunt graviora, illa verò esse graviora, quæ plus ponderant in aëre, quàm ponderet aqua æqualis ipsis in magnitudine: quare si sumatur quod-

cunque corpus sive homogeneum, sive heterogeneum, quod ponderatum in aëre cum aqua mole æquali, si præponderet aquæ, mergetur, secùs si è contra.

1421 Atque hinc non videbitur ulli paradoxum, si quis asserat vel primò fieri posse navim ex ferro, plumbo, aliové metallo, quæ aquæ supernatet, & apta sit ad omnia portanda non secùs quàm illæ, quibus defacto utimur. Vel secundò naves inversas mergi, non mergi rectas. Vel tertiò navigia faciliùs mergi in portu quàm in alto mari. Vel quartò posse grave aliquod humido innatans in uno plus mergi in altero minus, in uno omnino mergi, in altero supernatare. Vel quintò non repugnare naturæ legibus eâdem nave navigari in aëre, quâ navigatur in aqua, & consequenter non esse ridiculum Kepleri assertum existimantis aliquando futuros homines adeò industrios, ut per aëra navigandi modum reperiant. Sextò demum posse homines absque ullo miraculo, aut præstigio naturali industriâ ambulare super aquas; aliaqué hujusmodi mira, quæ vastissimum hoc loco nobis aperiunt æquor excurrendi in mirabilia hydraulica, pneumatica, hydrostatica, quin & aërostatica, ac pyrotechnica, nisi id, quod nos cogit coarctare cursum, tempus, & præfixum nobis intentum, vastum adeo ingredi oceanum prohiberet.

1422 Verùm dum obtemperamus necessitati, cogimur reliqua de quibus in Physico-mathematicis opportunè agendum foret silentes præterire, qualia sunt Hydrostatica, Hydraulica, Aërostatica, Pneumatica, Pyrotechnica, Polymesostatica, & quæ hæc consequuntur. Architectonica, Polemica, Gnomonica, imò & Optica, Catoptrica, Sonimetrica, Echologica, aliaqué plura, quorum subinde in præcedentibus meminimus quæquè paucis aliàs positionibus profecuti sumus. At quoniam in portum compellimur passis, ut ajunt, ulnis ad Hominem unicum, alijs omissis minùs illo dignis,

tendimus.

1423

1424

1425

PHILOSOPHIÆ QVINQVE-PARTITÆ

PARS QVARTA,

seu

PHYSICO-ETHICA.

Physico-Ethicæ Notio, Quidditas, Quotuplicitas.

1423 DIlacuit hanc quartam Philosophiæ nostræ partem Physico-Ethicæ insignire nomine, tum quia in ea, quæ cæteroquin in Libris de Generatione, & Anima hominis communiter tractari solent, breviter attingemus: tum quia hanc ipsam eorum considerationem per media ad Finem ultimum, quem non nisi per victoriam Passionum, Virtutumqué exercitium homo assequitur, dirigemus.

1424 Ac propterea dum Physica simul & Moralia conjungimus, non est quòd inscriptionis novitas difficultatem pariat, nisi fortè illi, qui 1427 Nominalium sectator nimius amat de nomine litigare: cum quo ne jurgemur ulterius, nomen Ethicæ universim sumptæ ab ἐθῶς voce Græca, quæ Latinis consuetudinem, seu mores significat, asserimus provenisse; quia nimirum hominem, humanasqué actiones illa componens ex naturæ interna coñotione sapientisqué animi fœcunditate orta, ut in omni vitæ gradu ille honestum, finemqué ipsi præfixum attingat.

1425 Definiri autem solet multipliciter à Peripateticis: aliqui enim ajunt eam esse Facultatem animæ, quæ probè exculta virtutem agentem procreat; at perperam, nisi loquantur de naturali præcisè; artificialem namque, seu scientificam facultatibus, seu potentijs animæ, adnumerari non posse satis constat, cùm ea tam parum animæ congenita sit, quàm vel Logica vel alia scientia, quas ipsi congenitas non esse sufficienter patet ex ostenso errore Platonicorum in prima parte suprà, negantium de novo ullam dari scientiam.

1426 Alij proinde animadvertentes datam Ethicæ definitionem nō posse subsistere, aliam excogitârunt, dixeruntqué, Ethicam esse rationem, secundum quam virtute morum utimur; sed neque hi aptiùs videntur locuti, cùm manifestum sit rationis nomine Intellectum humanum significari; perspicuum autem est Ethicam humanum intellectum non esse, at potius principium, & habitum quendam scientificum Intellectualem, dirigentem & operationes & operantem ipsum ne aberret à tramite rectæ rationis.

1427 Quare longè probabilius Ethicam definimus dicendo: eam esse scientiam practicam, hominis, ejusdemqué operationum, honestorumqué morū directivam. Quæ definitio cùm naturam definiti sui adæquatè explicet, non potest non esse sufficiens; imprimis enim inter scientias propriè dictas reponit Ethicam, cùm & hæc conclusiones suas ex per se notis deducat principijs, cujusmodi sunt illa: omne bonum est amplectendum; fugiendum è contra malum omne, &c. & simul demonstret de suo objecto plura ipsi necessariò convenientia per proprias causas; siquidem de operationibus voluntatis, ex eo quòd sint media ad felicitatem, demonstrat debere eas hoc illové modo elici ad hoc ut proportionatæ sint fini; de passionibus pariter ostendit, quòd coërcēdæ sint, ne rectum rationis usum impediant, obstentqué assecutioni felicitatis, ad quam consequendam homini subservire debent.

1428 Quòd verò ratio practicæ ſcientiæ etiam ipſi competat, patet inde, quòd præſcribat regulas proximè ad praxim, & operationem accommodatas; cùm nullum Ethicæ dictamen aſſignabile ſit, quod in pura ſiſtat cognitione; neque enim aliquod eſt, quo præcisè cognoſcamus, quid ſit v. g. virtus, quid fortitudo &c, ſed quodlibet eſt ut boni ſimus, fortes &c.

1429 Neque obeſt, quòd dictamina Ethicæ egeant externâ materiâ; ut quòd ſit reddendum depoſitum, ſtrenuè pro Patria pugnandum &c. Adeoqué, inter ſcientias etiam practicas recenſeri non poſſe; nam hoc non habet illa ex fine primario, & per ſe, ſed ex ſecundario ſolùm, & per accidens: Ethica namque propriè & primariò agit de internis actibus, quibus voluntas apud ſe conſtanter ſtatuit reddere depoſitum, pugnare pro Patria &c. Ad quorum executionem externæ actiones tantùm per accidens, velut inſtrumenta requiruntur.

1430 Plura quæ hîc opponi poſſent, ex dictis de Logica in ſimili nullo ſolventur negotio. Quoad tertias demum datæ definitionis particulas etiam facilè illa patet, tum à pari ex dictis de neceſſitate, quam habet homo, ne in operationibus intellectualibus erret, alicujus habitûs directivi; tum quia certum eſt dari humanarum operationum directivam naturalem aliquam ſcientiam, quam nos Ethicam communi vocabulo appellamus.

1431 Hæc autem ſcientia univerſim ſumpta rectè dividitur in Monaſticam, quam quidam Ethicam expreſsè acceptam vocant, in Oeconomicam, & in Politicam: totuplex enim ea eſt, quotuplex eſt modus, quo homo actiones ſuas ad bonum, & felicitatem dirigere poteſt; hunc autem tantùm triplicem eſſe conſtat ex eo, quòd dirigat homo operationes ſuas vel ad privatum, & proprium bonum, in quo dirigitur à Monaſtica, vel ad bonum Familiæ in quo juvatur ab Oeconomica, vel ad bonum Reipublicæ, & in hoc regitur, ne aberret, à Politica.

1432 Neque diviſioni datæ quidquam officit authoritas Ariſtotelis comprehendentis tam Monaſticam, quam Oeconomicam ſub Politica; hoc namque, dum facit ille uſurpat Politicæ nomen in latiſſima ſignificatione, nempe pro eo habitu, qui intra latitudinẽ ſuam comprehendit quidquid ad optimum Reipublicæ ſtatum aliqua ratione referri poteſt; quo modo non parum ad eundem conducunt Oeconomica, & Monaſtica; non verò ſtrictè & rigorosè, nimirum pro ea tantùm Ethicæ parte, quæ tota eſt in dirigendo homine ejuſque operationibus ad bonum Reipublicæ, in quo ſenſu datâ in diviſione Politicam propriè ſumimus.

Phyſico-Ethicæ Objectum.

1433 IN hoc ferè non minùs diſcrepant Authores, quàm in objecto Logicæ aſſignando: alij namque opinantur illud eſſe felicitatem humanis actionibus attingibilem; ſed horum non placet opinio, ſiquidem objectum ultimatum cum proximo, & immediato confundit; immediatè namque Ethica intendit regere hominem circa operationes voluntatis, ut per has reddatur habilis ad bonum proſequẽdum, & felicitatem obtinendam.

1434 Alij virtutem ipſam pro objecto Ethicæ ſtatuunt: at nec horum arridet placitum, cùm deficiat in eo, quòd objectum ſcientiæ ulteriùs referri non debeat ad aliud, ſicut refertur virtus ad operationes honeſtas ab homine eliciendas, ut patet ex ipſa virtutis definitione, quâ dicitur habitus inclinans hominis voluntatem ad actiones rectæ rationi congruas, & conſequenter honeſtas.

1435 Alij demum ſtatuunt pro objecto Moralis Philoſophiæ DEUM quatenus finis eſt omniũ humanorum actuum. Verùm & hi falli videntur in eo, quòd Ethicæ attribuant neceſſariò rationem illam formalem, per quam DEUS objectum materiale ſit alicujus intellectualis habitûs; quæ ratio eſt fides ipſa, & revelatio, ut conſtat ex ijs, quæ communiter à Theologis docentur, ubi de Objecto Theologiæ & Divinæ Fidei diſputant.

1436 Alij demum exiſtimant objectum Ethices eſſe Ideam rectarum operationum voluntatis. Sed & iſta nobis non probatur ſententia; talis enim Idea, vel conſiſteret in conceptu formali ſive regulis, & dictaminibus rectè operandi; vel in conceptu objectivo, hoc eſt in re ipſa facienda; non in primo; quia de Idea, ſi pro regula agendi ſumatur, uti hoc loco ſumi debet, id dici non poteſt; cùm objectum debeat eſſe id inter quod, & potentiam interjaceat actus, & quidem ſolus, uti patet ad oculum in viſiva potentia, ejuſque objecto, & in eſſentia ipſius actûs, qui aliud non eſt, quàm exercitium habitûs, ſeu potentiæ circa ſuum objectum: inter ipſum autem habitum cognoſcitivum, & regulas illas nullus mediat actus, cùm regulæ illæ ſint ipſi formaliter actus immediatè eliciti ab habitu intellectuali operativo; adeoqué primo modo ſumpta Idea nequit eſſe ullatenus objectum Ethices: ſed neque ſecundo modo; quia conceptus objectivus, ſeu, quod idem eſt, opus præconceptum eſt id, in quod immediatè fertur habitus; hic verò immediatè fertur in ipſum ſuum dictamen, regulam, aut actum quem elicit, ut conſtat.

1437 Neque obeſt quòd hæ regulæ, & dictamina non videantur poſſe meliùs explicari, quàm per dictas Ideas, cùm in illis operatio elicienda reſplendeat quaſi in ſpeculo rectę rationis: nam dum Ethica poneret talem Ideam, vel eliceret illam reſpiciens in aliam, & ſic daretur proceſſus in infinitum, qui in ipſis etiam moralibus operationibus non minùs repugnat

quàm

quàm in physicis; vel non eliceret respiciens in aliam, quod necessariò admitti debet; adeoqué potest Ethica elicere illas regulas, quæ re ipsâ sunt rectæ morales operationes, absque Ideis; quo semel admisso, frustra Ideas illas assignari convincitur, ut patet.

1438 Quare Physico-Ethicæ totiusqué Physico-moralis Philosophiæ objectum aptissimè statuimus esse hominem ipsum, quatenus felicitabilem per humanas operationes suas juxta rectum rationis dictamen elicibiles. Hoc ut statuamus suadet nobis ratio illa, quâ manifestè constat ex rejectione aliarum opinionum finem hujus scientiæ assignari non posse alium, quàm ipsam felicitatem hominis assequibilem ab ipso per operationes elicibiles juxta practica dictamina rectæ rationis directæ ad operandum à regulis, & principijs hujus scientiæ, uti constat ex dictis in simili de objecto adæquato Logicæ quæ huc, proportione servatâ, aptè accommodari possunt.

Physico-Ethicæ Subjecti prima origo.

1439 QUia materiale objectum, ut ex modo positis liquet, seu subjectum Physico-Ethicæ est homo, non immeritò hìc indagamus primam ejus originem, cùm enim ex Physico-Mathematica constet nec fuisse, nec esse potuisse ens ullum creatum, & multò minùs hominum generationes, utpote successivas, ab æterno, consequenter restat, ut disquiramus hìc à quonam homo fuerit primò productus, 1443 ut sic principium & finem ejus conjungentes universam, quam de eo habere possumus, notitiam complectamur.

1440 Ac proinde dicimus sextâ mundi die, postquam diebus præcedentibus omnia perfeciisset summus rerum Opifex fictum factumqué esse ex limo terræ Adami corpus absque ullo defectu, in temperie valde excellenti, ad omnes operationes vegetativas, sensitivas, 1444 & rationales dispositissimum, illudqué animâ rationali ex nihilo rigorosè creatâ informatum, & vivens redditum per insufflationem, ut ait Scriptura, in faciem ejus spiraculi vitæ, hoc est, per infusionem animæ, quæ spiraculum Dei est, hoc est spiritus à Deo procedens, & vitæ spiraculum, seu vita ipsa sui communicatione corpus vivificans, prout statim idem sacer Historicus innuit, dum apponens quasi 1445 Epigraphen tam mirabili operi, ait: & factus est homo in animam viventem, hoc est habens animam viventem.

1441 Et quia Adam solus non sufficiebat ad executionem finis, quem supremus Artifex in operibus suis intenderat; ideo immisso sopore in Adam, tulit unam de costis ejus, & ædificavit eam in Muliebre corpus, quod pariter rationali animâ informatum vivere fecit in adjutorium Adamo simile, utriqué suam impertiens benedictionem: crescite & multiplicamini, ac replete terram.

Quòd si quis petat in qua ætate formati fuerint primi humani generis Parentes? Respondemus (non quidem mensurando eam per cursum temporis, sed eo sensu, ut tanta futura fuisset, si modo ordinario concepti, & nati ad eum, in quo conditi sunt, corporis statum crescendo pervenissent, quo in sensu intelligimus quæsitum) ad quod inquam respondemus, quod licèt communiter Authores teneant fuisse eos conditos in ætate triginta trium vel triginta quatuor annorum: nobis tamen videri probabilius conditos illos in eo statu, quem habituri fuissent ex virtute sui temperamenti, & alimenti convenientis, sufficientem ad prolificandum; tum quia ante tale tempus corpus non est planè firmum & perfectum; tum quia tali in ætate congruum est eos productos fuisse in qua apti erant accipere paulò ante à DEO benedictionem, quod maximè usuvenire solet in Masculis circa decimum quartum ætatis annum, in Fœmellis verò circa duodecimum, prout & Ecclesia Catholica & sacri ejus Canones, & experientia ipsa fundata in communi Medicorum consensu sufficienter declarat: tum demum quia sicut Mundus major in sui Vere productus est ita congruum erat ut Mundus minor in Vere ætatis suæ, quale est maximè adolescentiæ, circa decimum quartum annum produceretur &c.

1443 Quòd si rursus aliquis sciscitetur quâ magnitudine, & pulchritudine corporis dotati fuerint? Respondemus fuisse proceritate decorâ, non Gigantæâ, ut quidam malè putant; tum quia semper statura nimis magna habita fuit inter sapientes, monstrosa & indecens; tum quia Gigantum fit mentio tanquam rei novæ à Sacro Historico cap. 6. suæ historiæ, Mundo jam adulto, & provecto.

1444 Quod autem ad pulchritudinem, & venustatem eorum attinet, illam in illis fuisse eximiam, & planè excellentem dubitari non potest; pulchritudo enim consurgit ex membrorum omnium symetria, & vigore boni sanguinis, ac spirituum foris in extrema cute emicantium; utrumqé, autem in primo Summi Opificis opere, tanquam in Artis Divinæ compendio, in eximio gradu fuisse res ipsa suadet.

1445 Si demum quis quærat quale fuerit in illis naturale temperamentum? Respondemus fuisse perfectum in ratione vitali, quod satis colligitur ex illorum longæva ætate, viribus verò vitalibus proportionatas fuisse animales est necesse; adeoqué, in ipsis eximius fuit sensuum vigor, omnis reliqua dispositio operationibus facultatis vitalis apprimè serviens,

Phy-

Physico-Ethicæ subjecti, seu hominis à Protoplastis, & deinceps Propagatio.

1446 HAnc fieri per naturalem generationem ex debita commixtione seminum utriusque Parentis nemo Philosophorum, Medicorumqué ignorat. Definitur rectè, generatio vivétis, & præsertim hominis propriè, & presse sumpta: productio viventis à principio vitæ in similitudinem naturæ; cùm enim, ut Divus Augustinus loquitur perennare nequeat homo, communicans aliquid sui genito generat aliud se, & superstes est in filio tanquam sibi in similitudinem naturæ conjuncto.

1447 Unde quò perfectior fuerit hæc similitudo, eò etiam perfectior erit generatio, ita ut si intra eandem speciem genitus conveniat in aliqua etiam individuali perfectione cum generante, generatio perfectior erit, sic præcellit generatio Filij Filiæ, quia magis ille, quàm ista assimilatur agenti magis principali: per similitudinem proinde non excluditur identitas in natura; imò ex hac oritur generatio perfectissima, uti patet in Generatione Æterna Divini Verbi, quod est identicè ejusdem omnino naturæ cum Patre, simulqué est perfectissimè, & proprijssimè Filius Patris, sic Divus Doctor totidem ferè verbis.

1448 Unde patet imprimis fuisse propriam, & in rigore veram generationem Christi Domini ex purissimo sanguine Immaculatæ semper Virginis, cùm illa exhibuerit activè materiam de se ordinatam ad veram generationem necessariam, & aptam ad compingendum Divinum illud Corpusculum, non secùs, quàm aliæ Matres, quoad rem ipsam, licèt quoad modum diversimodè prout ejus intemeratæ Virginitatis conservatio exigebat.

1449 Deinde excludi è ratione generationis viventium productiones illas, quæ non fiunt mediâ aliquâ virtute generantis alteri communicata, ac proinde Adamum, qui dicit filium fuisse naturalem Dei, errat; cùm productus à Deo non fuerit tanquam à principio conjuncto, & per communicationem alicujus partis à Deo decisæ, etsi lato quodam modo dicatur factus ad imaginem, & similitudinem Dei.

1450 Eâdem ratione à vero procul abeunt, qui productionem Evæ ex Costa Adami generationem propriè dictam esse volunt, Adamiqué filiam, & sponsam Evam fuisse poëtizant: cum non fuerit ab Adamo tanquam à Principio agente per decisionem alicujus partis de se ordinatæ ad generationem ejusdem, sed solùm tanquam à principio passivo, & subministrante materiam ex qua Deus Omnipotenti virtute suâ formavit primam Matrem viventium.

1451 Atque hinc à ratione generationis viventium excluduntur productiones animalculorum ex humanis corporibus scaturientium, imò & illæ, quæ fiunt ex commercio Dæmonis incubi, qui aliunde surreptum semen ignobiliori communicat sexui; cujusmodi generationes fieri factasqué fuisse eruditè ostendit Delrio in disquisitionibus Magicis libro 2. q. 15. ubi aptissimè inculcat Apostolicum illud anathema: maledictus homo, qui spargit semen suum super terram.

1452 Porrò causam principalem efficientem, vi cujus propriè dicitur homo generare hominem, satis constat esse ipsos Parentes, qui concurrunt ad assimilandum sibi effectum; instrumentalem verò esse semen ab utroqué Parente deciduum, quod operatur ad assimilationem effectûs non sibi, ut causæ instrumentali, sed ijs, à quibus decisum fuit, ut causæ principali. Formalem verò Physicam causam complures putant esse ipsas dispositiones materiæ ad formam; sed nisi fiat quæstio de nomine, 14
hæc opinio non videtur posse subsistere; dispositio enim ad formæ introductionem alteratio est, & mutatio accidentalis subjecti prærequisita ad ipsam necessariò generationem. Alij arbitrãtur esse ipsam Formæ eductionem; verùm præterquam quòd hoc placitum nullatenus habere locum possit in generatione hominis; Formæ eductio, quatenus se tenet ex 14
parte agentis, non requiritur ut quid illi intrinsecum, uti constat ex dictis in Physica; cùm possit educi Forma ex potentia Materiæ, & tamen non uniri, uti etiam ex loco jam citato patet, in quo casu esset eductio Formæ, absque compositi generatione.

1453 Consistit proinde, hominis præsertim, generatio formaliter in ipso formali fieri unionis, sive in ipsa formali unione exercitè uniente primò partes essentiales hominis producti: cujus ratio est tum quia materia, & forma primò unitæ sunt realissimè compositum ipsum, quod habetur formaliter per ipsum fieri, & esse unionis; tum quia aliud nihil est assignabile per quod formaliter dici possit homo generare hominem; cùm partes essentiales geniti, ut quod, ab homine nullatenus produci possint; tum quia in Resurrectione mortuorum dabitur vera regeneratio, & tamen in ea nihil prorsus reproducetur, quàm sola unio; tum demum, quia sicut verè dicitur dealbare parietem, non qui producit albedinem simpliciter, sed qui ponit albedinem in pariete, ita verè dicetur generare hominem, qui ponit unionem substantialem inter materiam, & formam; adeoqué in ipso formali fieri unionis actu exercito unientis partes consistit formalis ratio generationis hominis.

1454 Unde rectè sequitur unionem in homine, dato etiam non concesso, quòd identificata esset ipsi actioni productivæ, esse purè materialem; cùm & illa ab agente naturali materialiter

ter operante producatur ; & subjectetur in materia, solumquè se terminativè intrinsecè habeat ad formam ; & demum, quia ex intrinsecis suis principijs destruibile, & corruptibile quid est, quod nulli spirituali substantiæ convenire potest. Hîc aptus esset locus definiendi, quo tempore fiat hæc unio inter materiam 1458
fœtûs, & substantialem ejus formam ; item quo modo & situ ille se habeat post animationem in utero ; quando & qualiter inde sese exsolvat, ac in lucem prodeat, aliaqué his similia, quæ ideo hoc loco adferre supersedemus, quia Medici, fortè potiùs, quàm Philosophi ea decent institutum.

Physico-Ethicæ subjecti, seu hominis Nutritio.

1455 SIcut quamprimùm facta est unio inter essentiales partes fœtus nutriri incipit, ita & multò magis postquam in lucem est editus infans, alimento eget, quod in sui substantiam per vitalem nutritionem convertat, quæ aliud 1459
nihil est quàm adgeneratio unius partis substantialis ad aliam facta per virtutem intrinsecam viventis transmutantis substantiam alimenti in suam propriam.

1456 Cùm enim vivens quidem omne, sed maximè homo propter continuam caloris actionem in humidum deperdat aliquam sui partem necesse est, ne citò consumatur, ut alia substantia succedat loco deperditæ, quæ superstiti uniatur ; quod alio modo fieri nequit, quàm per vitalem nutritionem modò descriptam ; tametsi minimè cẽseamus necessarium, 1460
ut id fiat toto vitæ tempore incessanter, & absque interruptione : ex eo enim quòd homo à cibo esset per dies aliquot, eum non mori statim experientiâ constat ; licet tunc non detur nutritio propriè talis, cùm ad nutritionem rigorosè sumptam duo sint necessaria : nimirum 1461
alimentum bene temperatum, & calor naturalis bene dispositus ; utrumque autem horum posse deficere satis liquet ; siquidem & alimentum potest esse, ut sæpe contingit, noxium, & ineptum nutritioni, & calor vi morbi alicujus ita debilitari potest, aut obrui, ut in alimentum operari nequeat, atque adeò tunc saltem aliquo brevi temporis spatio interpolabitur, & cessabit propriè dicta nutritio.

1457 Ex hoc tamen ne quis inferat nutritionem esse actionem discretam per aliqua interpolata instantia, seu morulas, prohibet ratio, quâ constat calorem naturalem naturaliter agere intra sphæram activitatis suæ uniformiter difformiter ; hoc est validius in proximiores alimenti partes, debilius in remotiores ; cùm igitur alimentum, quod est intra partes vitales viventis, quantumvis exiguum, constet partibus, utpote ens materiale, & quantitativè extensum, sequitur necessariò illud esse magis approximatum secundum aliquas sui partes, & secundum alias minùs ; adeoqué nutritio fiet continuè successivè, dum fit ad eum modum, quo cum motus datur, continuus est, licèt necesse non sit, ut vivês semper moveatur.

Quòd si quis petat, ex quo principio proximo proveniat, quòd homo, sicut & reliqua animalia, adeo solicitè feratur in nutritionem ? Respondemus, quòd præter innatum vitæ appetitum, sit cruciatus quidam, & dolor internus, quo vehementer impellitur ad victum, & alimentum sibi procurandum : defectu namque alimenti partes corporis, & præsertim ventriculi contrahuntur, & divelluntur quodammodo violenter ab alijs, cujus vellicationis, & divulsionis causa est humor quidam acidus ex lyene in fundum ventriculi effusus, qui attenuatus in quendam vaporem quoquo-versus stomachum ipsum, ac præsertim orificium ipsius superius, quod Oesophagum dicunt, ac deinde fauces invadit, stimulatqué.

1459 Quam rationem veram esse patet ex communi Medicorum sententia, qui bulimiam seu famem lupinam ex majori copia talis humoris provenire docent, adeoque moderata fames ab eodem erit principio minus copioso, & moderatè effuso : quod patet experientiâ eorum, qui melancholici cùm sint, plurimum sint voraces. Unde non male definiri potest fames, quòd sit dolor ex divulsione ventriculi excitatus appetendi cibi gratiâ : & sitis, quòd sit dolor in stomacho, ejusqué orificio, & præsertim in faucibus excitatus appetendi potûs gratiâ.

1460 Neque obest definitio Aristotelica, quâ fames dicitur appetitus calidi, & sicci ; & sitis appetentia humidi, & frigidi ; nam has definitiones dedit solùm per oppositionem istarum duarum affectionum ad invicem, non autem per ipsa principia earundem.

1461 Si rursùs quis petat quotuplex, & quale sit alimentum nutritioni viventium accomodatum ? Respondemus imprimis alimentum tale esse omne id, quod est vi caloris naturalis convertibile in substantiam viventis ; illud autem comparari debet ad potentiam vitalem, sicut passivum ad activum suum proportionatum ; ex quo statìm patet discrimen inter alimentum, medicinam, & venenum : alimentum namque non transmutat vitalem potentiam, sed ab illa transmutatur, & convertitur in substantiam viventis ; medicina autem magis alterat, quàm alteretur à vivente, neque convertitur in substantiam viventem saltem primò, & per se ; sed solùm à vivente tollit humores noxios, & putredini proximos. Venenum deniq ; vix alteratur à vivente. Sed ipsum è contra vivens alterat, & corrumpit, convertendo ipsius humores in substantiam venenatam, unde in veneno affectis tumor, & inflatio.

1462 Reſpondemus deinde duplex eſſe alimentum remotum, & proximum; illud eſt cibus, qui introſuſceptus per virtutem vitalem viventis convertitur in proximum; hoc autem eſt illud, quod varijs modis concoctum, & digeſtum vi potentiæ nutritivæ immediatè convertitur in ipſam viventis ſubſtantiam, cujuſmodi eſt ſanguis: & quia cibus dum ſumitur, dilui debet, neceſſarius eſt etiam homini potus, requiſitus neceſſariò ad fermentationem, & concoctionem cibi in ſtomacho, atque ad temperandam ſiccitatem partium vitalium; qui quamvis in his Regionibus frigidus expetatur, probabilius tamen eſt calidiorem magis conferre ad meliorem concoctionem, non ſecùs quàm aqua ſubcalida conducat ad meliorem fermentationem maſſæ convertendam in panem & conſequenter ad perfectiorem ſanitatem hominis, uti patet in populis Japonicis, ſinenſibus, alijſqué orientalibus, qui non ſunt obnoxij calculo, Podagræ, alijſqué morbis, quibus Europei conflictantur; ex eo, quòd populi illi ſubcalido utantur potu; quem noſtratibus febricitantibus ſæpe prodeſſe conſtat experientiâ; & ratio ſuadet, quia nempe ab eo ventriculus nihil patitur ſed juvatur potiùs ad propriam ſuam acquirendam, & conſervandam temperiem ne ciborum faſtidium incurrat.

1463 Unde facilè patet quâ ratione inſtitutus ſit modus nutritionis à natura; videlicet per varias alterationes, & decoctiones alimenti; prima namque alteratio cibi fit in ore, ubi cibus dentium, & linguæ miniſterio conteritur, & quaſi maceratur, verequé ac proprie per ſalivæ admixtionem alteratur, cùm referat colorem, ſaporem, & odorem diverſum ab eo, quem prius habebat: cibus deinde ſic alteratus ab ore demittitur in ventriculum, in quo peragitur, ut diximus, prima illius concertatio per fermentationem concurrente cum calore ventriculi acido illo humore, quem ex lyene provenire diximus, pervadente intimè omnes partes ingeſti cibi, non ſecùs quàm ſpiritus fermenti minimas quaſqué farinæ particulas in maſſa farinacea pervadit: cibum autem ſic fermentatum calor nativus ebullire quaſi faciens eum diſſolvit, & diſtribuit in portiones varias viventis conſervationi neceſſarias.

1464 Expurgatum deinde à potiori parte excrementitia, quæ in inteſtina tranſmittitur, commutat in Chylum; qui ex ventriculo per Meſenteriũ, ſive per venas meſeraicas procedit ad hepar, ubi ſecunda decoctio fit; quâ expurgatior manet chylus, ſiquidem ejus partes craſſiores ab hepate tranſmittuntur in lyenem, ex quibus plerumqué phlegma, & atra bilis generatur: leviores autem partes ad fel ſe recipiunt, in quo eſt officina flavæ bilis; aliæ demum partes reſiduæ in hepate convertuntur in pituitam, comitem ſanguinis, & in ſanguinem ipſum qui amplâ quâdam venâ exceptus, & per alias minores tranſmiſſus per totum animalis corpus quoquo-verſus diffunditur, erratico, & multiplici lapſu diſcurrens, ſingulis partibus juxta earum exigentiam nutrimentum ſubminiſtrat, inſtar roris cujuſdam ſubiens intra poros partium nutriendarum; & craſſior effectus dicitur cambium; magiſqué adhæreſcens vocatur gluten; ac tandem ſufficienter percoctus viribus nutritivæ potentiæ tranſmutatur in ipſam ſubſtantiam viventis; in qua cõverſione propriè & rigorosè dicta conſiſtit nutritio; de ultima verò ſanguinis concoctione generativæ potentiæ neceſſaria, ac quibuſdam alijs, quæ hîc interſeri poſſent, mentionem non facimus, utpote magis ſpectantibus ad Medicos, quàm Philoſophos.

Phyſico-Ethices Subjecti, ſeu hominis Augmentatio

1465 AUgmentationem proprijſſimè ſumptam, quatenus per eam acquirit vivens magnitudinem, & molem quantitativam rectè cum communi Peripateticorum definimus eſſe motum, ſeu mutationem rei ad majorem Quantitatem per introſuſceptionem vitaliter factam; cùm enim motus phyſicè ſumptus dividatur quadrupliciter, ut ſuprà vidimus, & Generationis ſit ad ſubſtantiam præcisè, Alterationis ad qualitatem, & Lationis ad ſitum, ſeu locum acquirendum, conſequitur neceſſariò Augmentationis motum eſſe ad quantitatem, ſeu molem majorem adipiſcendam cùm maximè aſſignari nequeat alius terminus per talem motum acquiſibilis.

1466 Ex quo patet imprimis eam diſtingui realiter à nutritione; tum quia haberi poteſt nutritio abſque augmentatione, uti defacto habetur in ſenibus, & decrepitis, quos conſtat nutriri, & tamen non augeri, ſed indies imminui; tum quia nutritio eſt ordinata ad ſolam conſervationem ſubſtantialem viventis, augmentatio verò ad ejus augmentum quoad molem, uti patet ex utriuſque conceptu eſſentiali; tum demum quia quantitas præcedens re ipsâ conjungitur immediatè quantitati de novo acquiſitæ ita, ut poſſit conjuncta cum ipſa manere, licèt deſtruatur utraqué ſubſtantia; & viciſſim ſubſtantia præcedens ita unitur parti ſubſtãtiali acquiſitæ ut poſſit ſic manere unita, licèt deſtrueretur utraqué quantitas; adeoqué quantitas præcedens ita jungitur acquiſitæ, ut harum unitio non ſit unio partium ſubſtantialium, & conſequenter actio adgenerativa nequit eſſe ullatenus actio augmentativa rigorosè accepta, cùm hæc ſit quid conſequens ad illam.

1467 Nec obeſt quòd quantitas dicatur ab Aritote-

ſtotele ingenerabilis, & incorruptibilis; nam etiam materia per ipſum talis eſt, & nihilominus nemo negat plus, & plus materiæ per nutritionem acquiri; ſicut ergo non officit actioni nutritivæ ingenerabilitas materiæ, ita nec oberit augmentativę incorruptibilitas quantitatis.

1468 Neque etiam obſtat, quòd videamur multiplicare actiones abſque neceſſitate, cùm eo ipſo quòd vivens habeat actionem acquiſitivam majoris partis ſubſtantialis abſque ulla actione diſtincta acquirit ſimul majorem quã- 1472 titatem & molem: verùm falſum eſſe jam eſt oſtenſum, quòd ſemper ad nutritionem conſequatur augmentatio; adeoqué non ſine, ſed magnâ cum neceſſitate, & ratione has duas actiones ab invicem realiter diſtinguimus.

1469 Patet deinde etiam augmentationem diſtingui à rarefactione, & condenſatione; tum quia rarefactio eſt actio illa per quam parum materiæ quantæ conſtituitur ſub magnis, & condenſatio è contra eſt illa, per quam multum materiæ quantæ ponitur ſub parvis dimenſionibus abſque ulla acquiſitione, vel deperditione novæ alicujus quantitatis; tum quia longè probabilius eſt vi rarefactionis ad majus aliquod ſpatium corpus quantum extendi, ob infinitudinem ſyncategorematicam partium, quam in ſe habet (quod idem è contra dicimus de condenſatione) vi quarum corpus quan- 1473 tum nulli ſpatio impar eſt, nullaqué magnitudine, aut extenſione, exiguitate, aut reſtrictione locali ſuperari poteſt.

1470 Unde facilè patet in quonam formalis ratio raritatis, aut denſitatis conſiſtat; nempe in ipſa dicta partium infinitudine ſyncategorematicè tali, poſitâ actione extrinſecâ agentis rarefacientis, aut condenſantis; prout manifeſtè patet tum ex eo, quòd ſic intrinſeca ratio aſſignetur raritatis, aut denſitatis in ipſo raro, aut denſo; tum quia per hoc ſalvetur optimè quo pacto cera unius libræ v. g. minus ſpatium ſine penetratione, quæ naturaliter dabilis non eſt, occupet, eademqué rarefacta multo majus ſpatium loci obtineat abſque ullis vacuitatibus, quas natura horret, interjectis, vel abſque ulla acquiſitione amplioris quantitatis, aut corpuſculorum interjectorum; ex eo nimirum quòd partes ceræ, & partes ſpatij infinitæ ſint ſyncategorematicè, & conſequenter ob infinitudinem adæquabiles ſibi invicem reſpectu cujuſcunque extrinſeci loci.

1471 Non ſecùs quàm vel ob eandem rationem major minorqué rotæ circulus in ſuo motu ſibi adæquentur; vel infinitæ lineæ à centro alicujus corporis ſphærici per majores, & majores circumferentias ad circumferentiam ex illis maximam deducantur abſque ulla vacuitate, aut penetratione; vel involucrum aliquod modo majus, modò minus ſpatij occupet poſitâ ſolâ ipſius explicatione, aut complicatione; vel per vitrum convexum in obſcurum cubiculum intromiſſum aliquod maximum palatium omnes ſui partes clariſſimè abſque penetratione ullâ in exigua pagella exhibet; vel per microſcopium pulex conſpectus ſex millies ſe majorem oculo intuenti repræſentet; quorum omnium Peripatetici Philoſophi aliam non dant rationem, quàm ipſam partium proportionalium infinitudinem, quæ in quolibet quanto reperitur neceſſariò.

Adeoqué à pari ſi conſequenter loqui velimus in re cæteroquìn difficillimâ, eandem rationem formalem aſſignare debemus ejuſdem rei quantæ per rarefactionem modò majus, modò per condenſationem minus ſpatium occupantis; cùm aliunde jam conſtet rarefactionem, & condenſationem eſſe quaſdam quantitatem conſequentes affectiones, & propterea non poſſe ſalvari per qualitatem aliquam indiſpenſabiliter exigentem talem ubicationem, ſine qua connaturaliter exiſtere nequeat in rerum natura; neque etiam per ubicationem majorem, aut minorem cùm hæc ſupponat neceſſariò, & non formaliter conſtituat extenſionem quantitativam; non ſecùs quàm alia quæcunqué ubicatio ſupponat id, quod ubicat, neque illud in eſſe ſuo abſoluto formaliter conſtituat.

Contra quam conſtitutionem formalem raritatis, & denſitatis non urget, quòd ſic videamur attribuere enti materiali rationem eſſendi entis ſpiritualis in loco; Nam ſicut omnes indeterminatæ partes quantitatis ſunt unũ totum potentiale, & ſolùm potentiâ, non actu inter ſe diſtinctæ, ita & ſpatium illis correſpondens eſt unum totum quaſi potentiale, cujus partes indeterminatæ ſunt diſtinctæ potentiâ, non actu, ſicque correſpondent ſibi partes ſpatij & partes quanti corporis; adeoqué inſtantia nihil urget cùm ſolùm habeat vim in ijs entibus, quæ tota ſunt ſimul actu, nullamqué potentialitatem habent ad diviſionem realem, qualem habent partes proportionales; quapropter cùm iſtæ tantùm potentiâ ſint tales etiam tantùm potentiâ correſpondebunt partibus ſpatij potentialibus: ſiquidem inter locabile, & locum debet eſſe debita proportio, adeoqué juxta captum noſtrum loquendo, ad ſimilitudinem quandam, quæ eſt inter partes determinatas, & indeterminatas; verùm eſt quòd pars proportionalis quantitatis afficiatur tanquam à ſua proprietate à parte proportionali loci, præſertim cùm quantitas ſecundum nullam ſui partem commenſuretur loco formaliter, ſed ſolùm per ubi ſuperadditum, conſequens ad ipſum eſſe quantitatis, ſicut quivis modus conſequitur ad eſſe ſui modificati.

1474 Nec rurſus urget, quòd totum corpus rarefa-

refactum majus ſpatium occupet quàm condenſatum. Nam hoc verum eſt ſecundum partes determinatas, & finitas, non verò ſecundum indeterminatas, & ſyncategorematicè infinitas; ex nullo namque capite dici poteſt quamlibet corporis partem proportionalem penes idem omnino ſui eſſe, majus, quàm antea, ſpatium occupare, cùm illæ ſecundum ſe præſcindant à loco actuali, & tantùm ſint in potentia ad exiſtẽdum in ſpatio actuali; quod manifeſtum fit ſi quæratur ab adverſarijs in quo loco ſint impoſſibilia, poſſibilia, negativa, entia univerſalia, formæ in materia prima ſecundum ſe præcisè ſumptæ &c. quodqué illi reſpondebunt, nos pariter de noſtris partibus proportionalibus reſpondebimus.

1475 Nec urget ampliùs, quòd ſi partes quantitatis eſſent ſolùm finitæ non poſſent abſque vacuitate, vel expenetratione ad majus ſpatium extendi; vel abſque alicujus vacuitatis expletione, aut penetratione partium ad minus ſpatium contrahi, quod idem videtur dicendum de proportionalibus. Nam inſtantia ex Phyſico-mathematica ſolvit hanc difficultatem; ſi enim linea diametralis punctis finitis conſtaret, ijſdemqué etiam conſtaret linea coſtæ in quadrato, una non eſſet longior alterâ, quod eſt evidenter falſum; cujus ratio aliunde peti non poteſt, quàm ab infinitudine partium potentialium; pari ratione circulus exterior non eſſet major interiori, ſi uterqué punctis finitis conſtaret, & tamen utriuſqué inæqualitas per infinitudinem partium proportionalium bene ſalvatur; nam ſicut unum infinitum categorematicum per adverſarios non poteſt eſſe propriè majus altero, idem ipſum dicimus nos de ſyncategorematico reſpectu partium proportionalium, licèt una magnitudo determinata ſit major, minorqué alterâ.

1476 Nec urget ulteriùs, quòd ſi hæc infinitudo partiũ eſſet formalis ratio rari, & denſi, quodlibet ſimul rarum, & denſum foret. Nam hæc ſequela fallitur in ſuppoſito, quòd cauſa formalis debeat dare ſemper ſuum effectum, abſque eo, quòd dentur debita requiſita, & conditiones, ſine quibus non: cùm igitur non ſemper habeat infinitudo illa partium requiſita omnia extrinſeca ad hoc ut ſimul det ſuum effectuum formalem, conſequenter mirum non eſt, quòd tantùm præſtet alterutrum diſiunctivè reſpectu conditionum, & requiſitorum extrinſecorum, quæ ſimul eſſe nequeunt; quibus poſitis modò hunc, modò illum effectum cauſat juxta extrinſecam determinationem, & exigentiam eorundem.

1477 Nec demum urget, ſequi ex hac noſtra ſententia abſque ulla replicatione guttam v. g. aquæ in tantum poſſe rarefieri, ut totum Oceani ſinum replere poſſit. Quod verum eſt quoad ſubſtantiam, falſum verò quoad modum, uti eleganter docet D. Auguſtinus in Dialogo 65 quæſtione 27. Et D. Thomas primâ parte q. 68. art. 3.

1478 Verùm ex his rurſus, ut regrediamur ad Augmentationem, à qua digreſſi ſumus, ſi quis fortè quærat, an Augmentationis motui omnes partes humani corporis poſt nativitatem ſint ſubjectæ? Reſpondemus affirmativè (ſi unicam oculi pupillam excipiamus, quam illi non obnoxiam, ſicut nec Decretioni communiter cum P. Aquilonio tenent Optici; quorum Authoritati libenter ſubſcribimus, cùm nulla in contrarium adferri poſſit ſufficiens ratio,) & ratio reſponſionem noſtram ſuadens deſumitur ex ipſa formatione humani corporis, quod eſt ita à natura ordinatum, ut ſit plenum poris, ac venis, per quarum meatus ſanguis ad omnes ejus partes deferri poſſit juxta cujuſque, ut ſuprà diximus, indigentiam: & rationem hanc confirmat experientia, quâ videmus proportionaliter, quòd ſecundum omnes partes integrales viventia creſcant, ſiquidem totum nutritur corpus, adeoqué cùm nutritionem ſequatur augmentatio, certum eſſe debet quòd creſcat in mole ſecundum omnes ſui integrantes partes.

1479 Quòd ſi rurſus quæratur, quamdiu duret in homine augmentum talis incrementi? Dicimus, inſiſtendo ſententiæ Medicorum, probabiliſſimè hominem in longum creſcere ad vigeſimum quintum uſque ætatis annum, quo tempore, qnia calor naturalis vegetior eſt, ideo plus etiam alimenti poteſt convertere in ſubſtantiam aliti, & conſequenter in molem, quàm deperdatur.

1480 Et quia ſtatus conſiſtentiæ juxta eoſdem Medicos ad quadrageſimum nonum uſque ætatis annum durat, hinc fit quòd ſecundum latum, poſitis debitis requiſitis, ad illud uſque tempus dilatari connaturaliter homo poſſit: cùm enim potentia nutritiva, & augmentativa ſint agentia naturalia, & hæc agant uniformiter difformiter, ut ſæpe jam diximus, conſequens eſt, ut certam ſuam habeant, & limitatam activitatis ſphæram, intra quam agant, quæ experientiâ teſte definitur intra tempus jam inſinuatum.

1481 Neque obeſt, quòd ſi ſic homo ſuam ſubſtantiam, & quantitatem, per nutritionem & augmentationem variet, ſequatur, prout plures docent, illum ſingulis ſeptenijs omnimodè quoad corpus immutari. Nam ſequelam hanc non ſubſiſtere, etſi plures eam admittant, patet inde, quòd licèt multæ accedant partes, vel in locum deperditarum, vel accumulentur alijs, maneant tamen quædam radicaliter eædem ſemper, cujuſmodi ſunt calor nativus, humidum radicale, partes item, quas ſpermaticas vocant, & præterea ſolidiores, ac magis præcipuæ, quales ſunt oſſa, nervi, cartilagines, cor hepar,

hepar, cerebrum &c. adeoqué dici debet eundem semper etiam quoad corpus manere physicè hominem; alioquin sequeretur, quod rursus deberet baptizari post quodlibet septennium, & si Sacerdos esset de novo consecrari, quia character tam Baptismalis, quàm Sacerdotalis sunt qualitates physicæ, physicè inhærentes homini, uti supponimus ex D. Thoma, & communi Theologorum.

1482 Si demum adhuc quis petat quantâ augmentatione sit opus, ut humanum corpus dicatur, & sit proportionatum? Respondemus probabilissimum esse requiri ad proportionẽ justam humani corporis, ut sexies tantum contineat in longitudine, quantum in latitudine, continet à dextro latere ad sinistrum, & decies tantum in longitudine, ac in profunditate, seu à dorso ad pectus. Quam proportionem mensurant alij, nec malè, per sextuplam proportionem capitis cum reliquo corpore; quamvis videatur optima illa statura hominis esse, quæ constat quatuor cubitis, seu pede Romano cum dimidio. Ubi obiter observamus dictum illud Aristotelicum in parvis naturalibus: quinquennis puer dimidium prope habet suæ magnitudinis, quam totâ vitâ est habiturus. Verum plura scitu digna Philosopho de his quærentes remittimus ad eruditissimam Historiam naturalem P. Nierembergij

Physico-Ethicæ subjecti, seu hominis Anima.

1483 TRansimus ex operationibus, quas experientiâ, & ratione ducibus deprehendimus in homine ad ipsum principium, & radicalem originem, non earundem solum, sed omnium eorum, quæ ab homine, quà talis est, proveniunt; ad Animam inquam, à qua nobilissimum præcæteris humanum compositum formaliter habet vitam, & vivere secundum qualemcunqué conceptum, quem communiter formare solemus de viventibus, & ob cujus separationem homo dicitur interire, & mori: circa cujus essentiam physicam, si alibi uspiam, turpiter errârunt antiqui Philosophi, & post illos impiè nostrorum temporum, mortalium scelestissimi Pseudopolitici, & Athei, quorum alij per summam tam in se ipsos, quàm in universum humanum genus injuriam existimant, vel Animam esse corpus quoddam tenuissimum, adeoqué valde activum, quod idcirco spiritum vocant localiter tantum unitum alteri corpori organico magis crasso, & materiali: vel corpuscula quædam, & atomos pro placito universalis Agentis diversimodè combinata, vel (ut alias aliorum absurditates prætereamus) temperamentum quoddam quatuor primarum qualitatum elementarium.

1484 Quorum erroneas opiniones esse, ut ostendamus, præmittimus, plurimis alijs omissis, tanquam inconcussum fundamentum ea, quæ in sacro Concilio Oecumenico decimo septimo, quod fuit quintum Universale Lateranense, sub Julio secundo, & Leone Decimo celebratum, sessione octavâ constituta fuerunt sic: *Cum diebus nostris ausi sint quidam temerariè dicere de natura humanæ Animæ, quod mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus; & aliqui inscite, & erroneè philosophantes asseverent illud esse verum saltem secundum Philosophiam; sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes intellectivam Animam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus; & hæc in dubium vertentes; cum illa verè & per se, & essentialiter humani corporis forma existat.* Et paucis interjectis: *quæ est immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda.*

1485 Quam Sacrosancti Decreti indubitatam veritatem ut ratione etiam Philosophicâ ostendamus; & imprimis contra primam relatam erroneam opinionem, præmittimus, nos nomine Animæ humanæ intelligere cum communi sapientum id, quod est principium per se discurrendi, volẽdi, cæterarumqué omnium operationum, quæ ab homine procedunt. Quod dum quis negat evidenter convincitur contradictionis; hoc ipso enim, quod neget tale principium, ipsum judicare, & per discursum enuntiare id, est necesse; impossibile autem est ut judicet, & discurrat, si careat principio judicandi, & discurrendi, quale principium est Anima; evidenter igitur concluditur contra hoc negantem, illum turpiter hallucinari, & contradictoria efferre.

1486 Et ne ulterius deducamus hanc evidentem demonstrationem, contra eos, qui hoc principium erroneè arbitrantur esse corpus aliquod tenuissimum localiter tantum conjunctum alteri parti magis materiali & crassæ, sic arguimus. Per humanam animam aliud nemo intelligere potest, quàm id, per quod homo constituitur in esse viventis, hoc est in tali esse, in quo potest exercere juxta exigentiam naturæ suæ vitales suas operationes modo vitali, quod fieri non posse per solam tantùm conjunctionem localem cum corporibus spiritosis, & tenuibus, patet tum in animalibus, quæ non possunt constitui formaliter, & actu cognoscentia, sentientia, & appetentia per conjunctionem localem cum corporibus spiritosis, uti ad oculum elucescit ex ipso oculo, qui non potest constitui formaliter videns totum, v. g. hemisphærium nostrum per conjunctionem localem cum ullo corpore, cum reddatur videns per ipsas species receptas, & subjectatas in oculo; tum in plantis, quæ vivunt in actu secundo non per hoc, quod conjungantur localiter cum ullo corpore, sed per hoc, quod

exerceant, & penetrativè recipiant suos motus vitales; adeoqué cum actus secundus debeat proportionari actui primo, rectè infertur plantas, & animalia vivere per hoc, quod recipiant animam, quæ sit forma substantialiter informans; quod à fortiori dicendum est de homine, qui longè perfectioris vitæ est compos, quam ullum aliud vivens.

1490 AB Aristotele, & communi Peripateticorum sententia, formæ hominis, quam Animam rationalem substantialem jam esse ostendimus, rectè duplici definitione essentia explicatur; imprimis namque dicitur, esse actus primus corporis physici organici potentiâ vitam habentis: per quam definitionem rectè explicari essentiam rationalis Animæ ostenditur; quia dicitur actus primus, id est substantialis, & non accidentalis; nam licèt accidentia etiam sint suo modo actus, sunt tamen tantùm actus secundarius, qui non intenditur nisi per ordinem ad actum primarium; iste enim est primum principium determinatum, ex quo proveniunt omnes operationes vitales humani corporis, primoqué, ac per se intentum à natura.

1487 Contra secundam opinionem, præter ea, quæ contra corpuscula in Physica diximus, est; quia id, per quod corpuscula, quæ secundum se possunt esse viva, & non viva, sensitiva, & non sensitiva &c. constituuntur actu viventia, sentientia &c. Non potest esse sola combinatio eorundem corpusculorum, verùm debet esse aliquid perfectiùs multò tali combinatione; nam si aliquid aliud perfectius quid non esset, sequeretur quod per solam combinationem localem eorundem corpusculorum viva & sensitiva constituerentur, quod dici non posse patet; quia per talem combinationem localem corpusculorum aliud non efficitur, quàm figura; per hanc autem aliquid non potest dici formaliter vivere sentire &c. alioquin statua marmorea, aut lignea hominis viveret, sentiret, & intelligeret æquè ac homo ipse; quod cum falsum, & erroneum sit dictu, necessariò convincitur vel hac unâ ratione, ut plures alias æquè efficaces omittamus, Animam hominis (quod idem de Animabus aliorum viventium dictum volumus) non posse ulterius esse combinationem aliquam dictorum corpusculorum.

1491 Nomine porrò corporis organici venit corpus ipsum varijs instrumentis, hoc est accidentium diversorum, ac dispositionum multiplici apparatu instructum ad exercendas operationes vitales, & consequentes ad tale principium juxta ipsius virtutem, & exigentiam: adduntur aliæ particulæ, *potentiâ vitam habentis*, & quidem potentiâ proximâ, ut habeatur discrimen inter eam, & formam cadavericam; nam licèt in cadavere appareat diversitas partium organicarum, in eo tamen non est potentia vivens, seu potentia exercendi ullam operationem vitalem.

1492 Ac propterea deinde clarior à citato Aristotele alia definitio Animæ adfertur, dum ait; humanam Animam esse id, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus: ex qua satis liquet in homine unicam tãtùm dari Animam, quæ sit omnium harum operationum principium, & quidem ita ut nec simul, nec successivè humanum corpus pluribus informetur formis: non simul; tum quia gratis plures ponerentur, cum omnia salvari possint per unicam, quæ propter suam perfectionem est virtute multiplex præstarequé potest diversissimas operationes non secùs, quàm idem Cytharædus aut Organista pro fidium, aut fistularum, diversitate quæ in organo sunt, sonorum præstat diversitatem; tum quia si pro diversitate operationum multiplicandæ forent Animæ, deberet simul poni Anima visiva, auditiva &c. Tum demum, quia plures formæ totales non possunt simul informare eandem numero materiam, uti ostendimus in Physica.

1488 Contra tertiam opinionem, quæ est fundamentum primum totius Atheismi, facit præter alia, argumentum illud, quod compositum substantiale, quale est humanum, debeat componi essentialiter ex substantijs, & non ex substantia, & accidente; ne dicamus illud esse ens merè per accidens, & non per se; merequé accidentaliter differre à composito canino, à trunco, à lapide &c. cum temperamentum primarum quatuor qualitatum sit ejusdem rationis specificæ in omnibus, & ens purè accidentale, cui nullatenùs attribui possunt operationes vitales, & præsertim intellectuales, ac volitivæ incomparabiliter perfectiores tali temperamento.

1489 Datur igitur in homine substantialis Anima, uti forma verè, & rigorosè informans, & non solùm assistens, ut ineptiunt alij, quia ea est id, quo homo vitaliter operatur, repugnat autem ut forma tantùm assistẽs sit principium, quo res aliqua vitaliter operetur, alioquin studiosus thecæ suæ, Nauta Navi, Angelus syderi dum assistunt, redderent, thecam, navim, stellam vitaliter operantem, quod quis admittat?

1493 Quod etiam nec successivè dentur in homine plures formæ substantiales, patet tum ex paulo ante dictis de generatione ejusdem, tum quia Anima imperfectior v. g. vegetativa esset per se instituta ad hoc, ut directè, & ab intrinseco tenderet ad sui destructionẽ per hoc ipsum, quod tenderet ad sui perfectionem; dum enim illa perficeret organa pro Anima sensitiva, & hæc pro rationali, tenderet formaliter, & directè ad

Physico-Ethici Subjecti, seu hominis Formæ quidditas, unitas, & qualitas.

ctè ad destructionem sui, quod dici non potest; nam licèt subindè indirectè, & ex secundaria intentione tendant aliquando formæ in sui destructionem, uti contingit, quando appetentes pabulum ad sui conservationem, ab illo tandem destruuntur; attamen quod ab intrinseco, & ex intentione directa tendat Anima vegetativa ad perficienda organa, quæ sint in sui destructionem, nec nisi in bonum alterius Animæ, non videtur dici posse; præsertim cum nulla aliunde sit ratio urgens pro tali successione.

1494 Nam si quæ esset maximè esset ex eo, quod prius dentur dispositiones pro Anima vegetativa, deinde pro sensitiva, & demum pro ratio- 1497
nali; sed hæc nihil urget; tum quia probat in generatione hominis debere successivè dari plures Animas, quàm tres: introductâ enim Anima vegetativâ priusquam dentur dispositiones pro sensitiva, non est, cur non dentur dispositiones pro alia Anima innominata perfectiori, quam sit vegetativa, sed imperfectiori quàm sit sensitiva. Tum quia si successivè introducerentur, successivè etiam deberent tales Animæ destrui; si enim ex operationibus sensitivis, vel rationalibus colligantur dispositiones pro Anima sensitiva, vel rationali, cum 1498
sæpè, quando perit homo, priùs cessent operationes rationales, quàm sensitivæ, priùs cessarent dispositiones pro Anima rationali, quàm pro sensitiva & per consequens statim, ac recedit Anima rationalis, quia adsunt dispositiones pro Anima sensitiva, deberet hæc introduci, quod nemo admittit.

1495 Nec obest, quod Anima vegetativa, & sensitiva materiales sint, corruptibiles, divisibiles; & Anima verò rationalis spiritualis, incorruptibilis, indivisibilis &c. quia illud solùm verùm est de Anima vegetativa, & sensitiva seorsim, & secundùm se sumptis, non autem quatenùs virtualiter, seu eminenter continentur in rationali.

1496 Porrò quod attinet ad quæstionem qualis sit Anima rationalis, dicimus cum communi omnium rectè Philosophantium, imprimis eam esse substantiam spiritualem. Ratio, ut prætereamus Authoritates tam sacras, quàm Philosophicas, est, tum quia rationalis Anima intelligit, & discurrit de rebus abditissimis ut de DEO, Angelis, Entibus Possibilibus, & Impossibilibus &c. tum quia pollet libero arbitrio, quod ex præstantissimo suo modo operandi ostendit Animam hominis esse ab omni 1500
concretione materiali immunem; tum quia necesse est ut illud principium sit spirituale, quod habet facultates, & operationes spirituales; neque enim modus operandi, seu effectus potest esse perfectior suâ causâ; cum igitur Anima rationalis habeat intellectum, qui est facultas, seu potentia universalis ad omne ens cognoscibile; & voluntatem, quæ imperat appetitui sensitivo, ipsisqué membris corporis utitur pro libitu ad varios fines; imò imperat sibi ipsi cum perfecto Dominio in actus proprios, ita ut positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, vel non agere, quin sæpè agere contraria, vel abstinere ab omni actu; nec cogi potest, vel necessitari ab ulla creatura; quæ omnia nulli enti materiali convenire possunt; cum quodlibet determinatum sit ad unum, potestqué per se, & directè vim pati à causis externis creatis; idcircò non nisi irrationabiliter negari potest spiritualitas de Anima rationali.

Deinde Substantiam simplicem; quia defacto nec datur, nec probabiliter de possibili dabilis est materia spiritualis; nam materia talis esset æquè perfecta, ac ipsa rationalis Anima; imò perfectior; quia Anima educi posset ex illa non è contra; & aliunde esset intellectiva, cum omnis substantia spiritualis ex dictis in Physica sit essentialiter intellectiva, & intellectionis capax. Quæ si talis foret, omninò inutilis esset, cum nullam operationem elicere posset, nisi merè spiritualem, quod proprium est solius formæ, ut constat.

1498 Nevè quis dicat, quod licèt verum sit non dari materiam spiritualem aliquam, ex qua componatur Anima, non sequi tamen eam per hoc esse simplicem substantiam, cum possit esse composita ex duabus formis: contra est quia si composita tantùm esset ex formis, perinde rediret quæstio an istæ duæ formæ componentes essent simplices, an compositæ? si hoc secundum, daretur processus in infinitum: si primum, cur idem dici non potest, ac debet de Anima rationali, quod sit simplex non essentialiter tantùm, sed etiam integraliter, cum habere partes integrantes substantiales conveniat solis entibus materialibus, ut patet ex ipsorum conceptu essentiali.

1499 Ex quo consequitur tertium prædicatum animæ rationalis, nempe esse indivisibilem: idquè ulterius confirmatur ex ratione incorporei, quæ ratio proprijssimè eidem convenit: alioquin ea esset formaliter extensa, ita ut secto v. g. brachio, pars etiam Animæ ipsum brachium informans præscinderetur, non secùs, quàm cum parte integrante corporis brutalis, ipsius pars Animæ, quia divisibilis est, utpotè materialis, præscindatur.

1500 Atque hinc inferimus quartam rationalis Animæ proprietatem, nempe esse à materia omninò independentem; quam proprietatem, ut prætereamus rursùs authoritatem sacram, ipsiusqué Aristotelis, ratio probat primò; quia quod est purè spirituale, quale quid Anima rationalis est, ex potentia materiæ oppositæ essentialiter spiritualitati, tam parum educi potest, atque ab ea dependere, ac ex non ente edu-

educi poſſit ens poſitivum, aut ab impoſſibili dependere poſſit ens reale poſſibile, ſiquidem nullatenùs contineri poteſt in ejus potentia, cum incomparabiliter perfectior ſit quâcunqué materia; adeoqué quia nulla activa virtus ſupra virtutem ſuam in ullo genere cauſæ operatur, conſequens evadit certum, non poſſe ab ulla materia dependere rationalem Animam, quæ toto genere perfectionis excedit materiæ potentiam, ac virtutem; alioquin & ex intrinſecis ſuis principijs corruptibilis eſſet, & dependens à materia in operari operationes ſuas inorganicas. Ad hoc autem ut corpus informet, alia non requiritur proportio, quàm intercedere ſoleat inter actum, & potentiam, *1505* perfectibile, ac perfectivum; quam proportionem ſufficere, ſatis conſtat ex Incarnatione Divini Verbi &c.

1501 Immortalem verò eſſe rationalem Animam ex intrinſecis naturæ ſuæ principijs, immortalitate nempè participatâ ita, ut poſito quod ſemel creatur, exigat durare ſemper connaturaliter, patet tum ex eo, quod hoc fundamentum ſit totius Chriſtianæ Fidei; tum rationibus, & phyſicis & moralibus.

1502 Morales deſumuntur primò ab authoritate Scripturæ, Sanctorum Patrum, & principijs Fidei. Secundo inde, quod natura non deficiat ulli in neceſſarijs ad conſervationem ſui eſſe ſecundum naturam propriam, adeoqué multo minus deerit homini, ut ducat vitam ſecundum rectæ rationis, & virtutis dictamina, ad quod neceſſariò requiritur, ut habeatur naturalis, & uniformis exiſtimatio de Divina Providentia retribuente unicuiqué pœnas, aut præmia juxta merita poſt hanc vitam. Tertiò ab experientijs, & exemplis autenthicis, multorumqué reſurrectione, & apparitionibus, quæ evidenter moraliter probant poſt hanc vitam ſupereſſe Animam, uti eleganter oſtendit Marſilius Ticinus; alioquin priùs in hac redubius.

1503 Quartò ex Divina Juſtitia, quæ non poteſt permittere impunita ſcelera hominum, qui in hac vita omni proſperitate, voluptate, ac delicijs in ſuis ſceleribus abundant: neque poteſt ſinere bonos è contrà perpetuis doloribus, ac miſerijs affligi abſque retributione reſervata illis poſt hanc vitam. Quintò ex ultimo fine hominis, quem nunquam aſſequeretur, niſi Anima foret immortalis; cùm finis ille non reperiatur in hujus vitæ bonis, uti infrà oſtendemus. Sextò ex affectionibus, quibus humanarum actionum diriguntur momenta, quales ſunt futurorum ſpes, & timor; præteritorum memoria, amor virtutis, & honeſti, fuga vitij, honoris cupiditas, horror opprobrij etiam poſt obitum. Plura adfert Doctiſſimus Leſſius.

1504 Rationes autem phyſicæ ſunt primò, tum quia Anima rationalis nullum habet contrarium naturale agens; tum quia ſi corrumpi poſſet, vel id fieret per actionem, quam reciperet, & ſuſtentaret in ſe ipſa, & hoc non, quia nulla actio ſubjectum, à quo in eſſe & confervari pendet, deſtruit, vel per actionem receptam in corpore; & hoc etiam non, cùm illa ſit à corpore intrinſecè independens in exiſtendo, & operando: vel ex defectu ſubjecti; neque id etiam, quia independens eſt à ſubjecto ſuſtentante: vel demum ex defectu principij conſervantis; ſed neq; hoc dici poteſt, quia ſicut à ſolo Deo producitur, ſic à ſolo Deo conſervatur. *1508*

Secunda ratio ſumitur ex operationibus, quas Anima habet à corpore independentes. *1509* Tertia ex eo, quod agentia naturalia, ſicut aliud nequeunt producere, in homine, quàm unionẽ, ita nec aliud deſtruere, quàm eandem. Quarta ex principijs omnis corruptionis, quæ duplicia ſunt, nimirùm dependentia à materiali ſubjecto & pugna contrariorum. Cum autem Animæ rationalis eſſe, ſublimatum ſit ſuper horum conditionem, cùm dijudicet & omnia materialia, eò quod attingat etiam ſpiritualia: & contraria omnia, ita, ut quæ ſunt *1510* contraria ſecundùm eſſe materiale, non ſint contraria ſecundùm eſſe intelligibile cum ſimul intelligantur. & quidem taliter, ut cognitio unius contrarij conducat ad cognitionem alterius contrarij juxta illud: contraria contrarijs oppoſita magìs eluceſcnnt.

1506 Neque obeſt quòd Anima rationalis juxta præſentem rerum ordinem non producatur à Deo niſi ad exigentiam ſubjecti; quia hæc exigentia ſolùm ſe habet ut conditio ſine qua non, à qua quod dependere dicitur impropriè, & lato quodam modo dicitur; nempe ſic quod Deus ad exigentiam talium diſpoſitionum Animam ex nihilo crëet, illamqué in corpus diſpoſitum infundat. *1511*

1507 Neque obeſt rursùs (ut prætereamus ea, quæ ab authoritate Ariſtotelis obijci ſolent, quem putamus hac in re utpote cæcutientem in Gentilitatis tenebris, valdè dubium fuiſſe) quod quidquid fit ex nihilo, in nihilum etiam *1512* ſit convertibile: item quod habet principium ſui, habeat etiam connaturaliter finem, cum finis proportionaliter correſpondeat principio. Nam ad primum dicimus, verum illud eſſe reſpectu tantùm illius agentis, cui convenit creatio, & annihilatio, cujuſmodi ſolus Deus eſt, qui haud dubiè juxta abſolutum, quod in res omnes habet, dominium, juxtaq; ſuam omnipotentiam, ſicuti omnia ex nihilo produxit, ita & in nihilum rursùs reducere *1513* quæcunque extra ipſum rationem entis participant, poteſt: in quo non eſt difficultas. Ad alterum verò reſpondetur Animam habere initium quidem juxta exigeutiam corporis habẽ-

bentem se, uti diximus velut conditionem sine qua non, non verò ita, ut simpliciter in fieri, & esse, dependeat à corpore tanquam sui causa, quod assumptum illud non probat, sed supponit.

1508 Quod si petatur, an Anima rationalis educi possit absolutè ex materia aliqua? Respondemus negativè; quia quod per se, & essentialiter immortale est, etiam divinitùs fieri nequit mortale cùm Deus nequeat immutare rerum essentias; cùm igitur Anima rationalis per se, & essentialiter sit immortalis, ut constat ex dictis, educi etiam divinitùs nequit ex materiæ potentia, siquidem sic mortalis esset, & immortalis.

1509 Nec obstat quòd Anima Equi, alioquin naturaliter tantùm educibilis creari possit. Nam disparitas est in eo, quòd Anima Equi non sit dependens à materia per se, & immediatè, sed mediante modo realiter distincto, & superaddito, quo divinitùs privari potest: Anima verò rationalis non per quid superadditum; sed se ipsâ essentialiter, & immediatè in fieri suo à Deo dependet, & independet à materia.

1510 Si quæratur rursus an Animæ rationales defacto sint ejusdem perfectionis intrinsecæ substantialis? Respondemus affirmativè; quia in omnibus reperiuntur eædem, & Physicæ, & Metaphysicæ proprietates, ut inductione est manifestum adeoqué necessariò prodire debent ex principijs ejusdem rationis substantialis.

1511 Neque obest dissimilitudo, & diversitas affectionum, quæ in hominibus reperiuntur, ita ut pauciſſimi & vix ulli reperiantur ejusdem genij, & ingenij homines. Nam talis dissimilitudo non à substantia ipsa Animæ, sed vel à diversitate temperamenti, & organizationis corporum, vel ab aliquo alio extrinseco principio v. g. climatum, Regionum, victûs, cæterarumqué hujusmodi impressionum sæpe corpori ipsi, vi plasticâ, & seminali impressarum procedit; uti clarè à pari constat in Brutis ejusdem speciei.

1512 Ex quo facilè quis arguet quosdam existimantes Animas Virorum, & Fæminarum inter se substantialiter differre; cùm sit merè per accidens Animæ secundum se sumptæ, quòd sit in corpore virili, vel fæmineo; siquidem sæpe contingit ut Anima eadem sit vel sub utrisque dispositionibus simul, ut constat in Hermaphroditis; vel successivè saltem, siquidem non rarò accidit, ut Fæminæ in Viros fuerint commutatæ.

1513 An autem de possibili possint dari rationales Animæ, & consequenter etiam homines diversæ omnimodè speciei; nobis affirmativa pars videtur probabilior; non solùm ex eo, quòd nulla in hoc appareat repugnantia, verùm etiam quia non minùs possunt dari divinitùs variæ Animarum, hominumqué species sub gradu rationalis, quàm sub gradu vegetativo, aut sensitivo, imò fortè longè plures, cùm gradus rationalis Animæ sit longè illis perfectior.

1514 Confirmat hoc nostrum placitum tum diversitas specifica, quæ reperitur inter Angelos defacto; tum plurimorum Authoritas, qui cum Sorbonicis Doctoribus eam defacto dari docent, persuasi ad id ex notabilissima effectuum, & propriarum operationum diversitate, quam inter homines deprehendunt &c.

1515 Si demum à nobis quæratur an rationalis Anima subjecta sit Astris, eorumq; influxibus; Respondemus directè, & per se loquendo negativè. Quod responsum est ita evidens, ut non videatur egere probatione; cùm enim Cœlum, & Astra sint entia corporea, & eorum influxus omninò materiales, clarè consequitur non posse habere ullam activitatem in Animam spiritualem, ejusque proprias actiones directè, & per se; adeoqué sicut nulla objecti propositio, nulla corporis affectio, nulla externa violentia potest nos cogere, ut amemus, quod non amamus, ut velimus interno, & libero actu, quod nolumus; ita cœli, siderumqué influxus non possunt unquam directè cogere, ut id, quod à libera voluntate pendet, extorqueant; possunt quidem sidera inducere sympathiam, vel antipathiam, sed liberam voluntatem ad actum cogere nequeunt; & quod dicitur de phyltro amatorio, nisi vis veneni amentiam inducat, à qua libertas tollatur, vel mens hebetetur, ut fit in ebrietate, & somno, nunquam nos ista cogent, & liberum actum extorquebunt.

1516 Ex quo quis rectè arguet totam molem judiciorum Astromanticorum ruere; quæ falsa esse, erronea, & temeraria, præter Authoritatem, convincit quotidiana experientia fundata in ratione, quâ constat; primò, non posse sciri certum, & determinatum momentum temporis conceptûs, aut ortûs infantis. Secundò multos concipi & nasci eodem loco, tempore &c. & tamen diversissimam planè nanciscì, ut ajunt, Fortunam. Tertio humano ingenio non posse naturaliter notas esse vires omnes Astrorum in quacunqué circumstantia, præsertim cum intercurrant multæ causæ particulares quæ effectum vel impedire, vel promovere solent. Quartò nullas esse realiter in cœlo cœlestes, quas vocant Domos in quibus dicuntur diversari signa alia masculina, fœminina alia, alia humana, alia bestialia &c. Ex quibus dignitates, detrimenta, exaltationes, aliasqué ridiculas nugas vanissimi homines desumunt. Et demum, ut alias omittamus plures rationes, quas eruditissimè prosequitur præ cæteris P. Bernardus de Angelis in

ſuo integro tractatu contra vanitatem Aſtrologicam, eam unico demonſtramus exemplo.

1617 Sit aliquis, qui navigationem inſtituat in aliqua magna navi, vel interſit miles alicui ingenti prælio; ſitqué illi certò prædictum ab Aſtrologo vel naufragiũ vel cædes; ſint etiam alij plurimi qui eâdem navi vehantur, aut idem prælium ineant diverſo loco, & tempore nati, quibus prædicta ſit vel futura navigatio proſpera, vel prælium omnino felix. Jam quærimus quibuſnam continget vera prædici ex aſtris? illiſnè, quibus proſpera navigatio, aut prælium; an illis, quibus infelix? impoſſibile namqué eſt utriſque eventum poſſe reſpondere, ut conſtat; adeoqué impoſſibile eſt ex aſtris, eorumqué influxibus certò, & infallibiliter de rerum humanarum eventu quidquam prædicere, ut patet ex rationibus paulò antè allatis.

Phyſico-ethices ſubjecti forma, ſeu anima quas partes informet, aut animet?

1618 INformantem formam propriè & rigorosè humani corporis rationalem eſſe Animam ſatis ſuprà eſt oſtenſum: quærimus modò an id verificetur reſpectu omnium, & ſingularum partium totius corporis? Nos hac in quæſtione certum exiſtimamus eſſe, primò Animam informare omnes ſolidas humani corporis partes, quales ſunt, caro, oſſa, nervi, arteriæ, cartilagines, dentes, ungues, capilli, &c. Ratio noſtræ opinionis eſt; tum quia ex his quædam ſunt præcipuæ corporis partes; tum quia omnes recenſitæ augentur per vitalem introſuſceptionem; tum quia ſentiunt, tum quia continuantur inter ſe per fibras, quibus ad ſe attrahunt alimentum neceſſarium, integrantqué corpus, quod eſt eſſe proprium informationis ſubjectum.

1619 Nec obeſt, quòd dentes ſponte excidant; nam id contingit, vel defectu humoris nutrimentalis, vel medullæ, quam ijs per fibras ſubminiſtrare nequeunt maxillæ, vel ob exuberantiam humoris pituitoſi, qui & nervos, quibus alligantur maxillis, imò & ipſos homines perſæpe corrumpit.

1620 Nec obeſt iterum, quòd capilli videantur augeri tantùm ſecundum longum; nam poſſunt pervenire ad certum ſtatum ſub una ratione, & non ſub alia; ſicut homines ipſi poſt certum annorum decurſum ſunt in ſtatu conſiſtentiæ verſus altitudinem, ut ſuprà diximus.

1621 Præter enumeratas partes duriores, etiam molliores quaſdam informari humanâ Animâ, ut hepar, cor, pulmones, muſculos, cerebrum, & medullam, tam ſpinæ dorſi, quàm reliquorum oſſium, imò & adipem ipſum, argumentum id nobis ſuadens eſt; tum continuatio horum omnium cum reliquo corpore, ratione cujus uniformiter nutriuntur & augentur; tum pares cum cæteris partibus diſpoſitiones organicæ aptæ ad vegetationem per introſuſceptionem alimenti; tum ſenſus tactûs quo ſingulæ ex illis præditæ ſunt, ut patet experientiâ ſenſitivâ doloris; præſertim, quando malè afficiuntur; tum demum nervuli, venæ, ac teneræ cartilagines, quæ in illis ab accuratioribus Anatomicis deprehenduntur, ſufficientem ad Animam, ſaltem quà vegetativam, conſtituere poſſunt organizationem.

1622 Ex quibus clarè conſequitur Animam rationalem non reſidere in una tantùm parte corporis, ex qua gubernet reliquas, ut quidam ſunt opinati, ſed totam eſſe in toto, & totam in qualibet parte corporis, cùm in ſingulis deprehendantur & organa ſufficientia, & vitales operationes ab illa procedentes. Quod tamen ita dictum volumus, ut de prænominatis jam partibus tantùm verificetur; non verò de ijs, quæ liquidæ ſunt uti eſt ſanguis, bilis, phlegma, & atra bilis, alijqué humores, ut lac, ſemen, ſaliva, lacrymæ, ſudor, aliæque excrementitiæ partes; nam hæ nec cum reliquis partibus corporis continuantur, ſed in venis alijſqué ad id aptatis à natura loculamentis ſeparatis continentur, nec in ijs ullum indicium vegetationis alicujus, aut ſenſationis, aut augmenti vitalis deprehenditur, cùm augeantur merè per juxtà poſitionem ex abundantia ſanguinis, aliorumque humorum, qui in deputatis ad id officinis naturalibus generantur continuè &c. Accedit pro confirmatione horum argumentum Theologicum, quo conſtat vi verborum formaliter ſanguinem non poni ſub ſpeciebus panis, quod dici nequiret, ſi Animâ rigorosè informaretur.

1623 Neque obeſt, quod ſic videatur homo eſſe quid per accidens contra priùs dicta; nam eſtò dictæ partes non informentur formaliter; quia tamen ſunt integrales partes corporis viventis, eiqué ſummè neceſſariæ, & utiles, utpote ſine quibus nec conſiſtere, nec operari, nec alijs ſuis functionibus vivens fungi poſſit, ideo etiam ob exigentiam, quam illæ harum habent, hæ illis ad conſtituendum unum per ſe ſunt ſufficienter coördinatæ.

Phyſico-ethici ſubjecti formæ facultates, ſeu potentiæ.

1624 IN duplici has eſſe differentia indubitatum eſt apud Philoſophos: aliæ enim dicuntur & ſunt materiales, non quidem ſecundum rectum, cùm ſic ſint ipſa Animæ ſubſtantia, ſed ſecundum id, quod coñotant in obliquo, nempe ſecundum organa, & diſpoſitiones materiales requiſitas ad eliciendas tam operationes vegetativas, quàm ſenſitivas: aliæ ſunt potentiæ

tiæ purè spirituales, quæ propriæ dicuntur, & sunt Animæ rationalis, quâ talis. Illæ, ut constat, rursus dupliciter dividuntur, nempe in potentias generativam, nutritivam, & augmentativam, & in potentias materialiter cognoscitivam, appetitivam, & loco-motivam. Priores tres propriè attribuuntur rationali Animæ quatenus virtualiter, seu eminenter vegetativa est; quibus tribus potentijs tanquam magis principalibus subordinantur, ut minùs principales aliæ quatuor, nempe attra-*1628* ctiva, expulsiva, retentiva, & digestiva; quarum omnium quidditas, & officium satis colligi potest ex dictis.

1625 Neque circa has peculiaris aliqua occurrit difficultas, nisi in assignanda distinctione earum tam ab Anima, quàm inter se; cui non difficulter satis-fit dicendo, ut jam insinuavimus, eas non admittere aliam ab Anima, vel ab invicem distinctionem, quàm solius rationis ratiocinatæ; majoris siquidem alicujus nulla est necessitas; cùm Anima immediatè concurrat ad omnes actus dictarum facultatum; cùm ipsa sit immediatè activa, uti ex Physica constat, adeoqué intrinsecè non plus illæ ab Anima, vel inter se distinguentur, quàm distinguatur virtus illuminativa, & calefactiva, solis à sole ipso, vel inter se: aut virtus causæ producendi diversos effectus ab ipsa causa &c. Omnesqué, quæ hac in parte fieri possunt ob-*1629* jectiones, quia vel innituntur suppositio illi, quòd accidentia sint immediatè productiva substantiæ; quod falsum esse jam in Physica est ostensum; vel sunt purè Logicales, adeoq; terminis Logicalibus, quales sunt secundum rectum, & obliquum, specificativè, ac reduplicativè, in actu primo, & in actu secundo sufficientissimè solvi possunt.

1626 Tres autem posteriùs suprà recensitæ, nempè materialiter cognoscitiva, appetitiva, & loco motiva Animæ rationali competunt, quatenus virtualiter, seu eminenter sensitiva est; Animæ enim simpliciter sensitivæ has tres convenire potentias, satis testatur experientia, quâ constat sentientia animalia, & res materiales cognoscere, & ex prævia ejusmodi cognitione appetere easdem, vel fugere, ac demum ad easdem obtinendas, vel deserendas, quæ fugit, localiter moveri; cùm igitur *1630* rationalis Anima contineat perfectiones Animæ sentientis, his quoq; tribus potentijs, seu facultatibus sensitivis prædita ut sit, est necesse; de quarum ab ipsa distinctione eodem pacto discurrimus, quo paulò ante de potentijs vegetativis discurrebamus:

1627 Porrò, potentiam sensitivam spectatis organis per quæ Anima operatur, dividi in sensus externos, & internos; illosqué rursus in Visum, Auditum, Olfactum, Gustum & Tactum, nec plures nec pauciores constat; cum in homine animalium perfectissimo nunquam deprehensi sint plures, quàm quinque enumerati, estò de possibili plures dari possint, & his, qui defacto dantur longè perfectiores, uti satis constat ex dictis in Physica: dicuntur verò juxta communem Philosophorum acceptionem, externi indè, quia potissimùm in membris, & organis exterioribus humani corporis, sicut interni ex eo, quòd in interioribus tantùm hominis partibus, subjectentur.

Et quia Animæ quà sensitivæ objectum, est solùm id omne materiale, & corporeum, quod sub sensum cadit; siquidem dum cognoscit modo materiali ferri nequit ad cognoscéda aliqua, quæ sint extra genus entium materialium; cùm potentia, & objectum debeant sibi invicem adæquari, juxta illud: nemo potest quidquam supra vires sibi proprias, modoqué suo operandi debitas; ideo etiam objectum sensuum, & imprimis externorum, est sensibile illud, quod aptum est se illis per sui manifestationem communicare: cujusmodi aliud est per se, hoc est tale, quod per propriam speciem percipitur immediatè, qualia sunt omnia accidentia: aliud per accidens, hoc est tale, quod non movet nisi ratione alicujus accidentis in ipso existentis: sic entia substantialia percipiuntur v. g. à visu ratione alicujus coloris, quem in se habent &c.

At denuo sensibile per se dividitur in commune, & proprium; commune dicitur, quod à pluribus, vel omnibus etiam sensibus percipi potest; ac hujusmodi statuitur quintuplex, nempe magnitudo, figura, numerus, motus & quies; cùm assignari nequeat sensibile à pluribus externis sensibus perceptibile, quod vel non sit unum existis, vel ad aliquod horum non reducatur, ut sufficienti constat inductione. Proprium autem sensibile illud est, & dicitur, quod unius tantùm sensûs externi est objectum. Hoc aptius ut explicemus, singillatim de cujusque sensûs externi objecto, organis, naturâ, speciebus &c. breviter quædam prosequamur.

Physico-Ethici subjecti, seu hominis sensus Visûs.

1630 INter externos hominis sensus, primum dignitate, & excellentiâ locum vendicare sibi sensum visûs, videtur manifestum; tum quia præstantiora habet organa, quàm alij; tum quia versatur circa objecta nobiliora, & modo quasi minùs materiali; uti nobis indicat actio illius celerrima, quæ ferè fit in momento ad quamcunquè distantiam; tum quia visus præ cæteris sensibus, & imaginationem, & appetitum quàm vehementissimè movet; res enim visas frequentiùs cogitamus, magisqué appetimus: tum demum quia maximè confert ad illam

illam animæ perfectionem, quæ poſita eſt in rerum cognitione; propter quod etiam ab Ariſtotele dicitur ſenſus inventionis rerum plurimarum differentiam manifeſtans.

1631 Cujus ſanè excellentis, & planè mirabilis ſensûs organum totale, & adæquatum eſt oculus, qui eſt membrum quoddam præcipuum humani corporis, quaſi ſphæricum, ob volubilitatem ipſius celerrimam, neceſſariam ad excipiendas rerum imagines; compactum muſculis ſex, quorum quilibet pro munere ſibi à natura præfixo ſubſervit oculi volubilitati: ſex tunicis, nempè Adnatâ, ſeu conjunctivâ, quæ oculum vicinis partibus cohærere facit, & pupillam quaſi hemiſphæricè continet: Corneâ, quæ humorum oculi velut pellucidum antemurale, extrinſecis obſiſtit offendiculis: Uveâ, quæ ſicut & prior totum circumambit oculũ, 1634 niſi quod antrorſum pervia ſit anguſto, rotundoqué foramini; varijs ſola tincta eſt coloribus, à quibus oculi modò cæſij, modò nigri, modò fulvi dicuntur: Araneâ quæ humorem cryſtallinum immediatè comprehendit: Vitreâ ſic dicta ab humore, quem continet; & demum Retinâ, quam formale eſſe visûs organum, vel ipſum ejus indicat nomen; & ſuadet experientia, quâ conſtat eam eſſe ſubſtantiam ſolidam; ſpiritibus plenam; originem trahere immediatè à cerebro; in ſitu tali eſſe, ut omnes radij luminis, citroeunteſqué ſpecies tandem in ipſa ultimò terminentur.

1632 Præter has integrantes ſui partes oculus tribus conſtat humoribus, albugineo ſcilicet, cryſtallino, & vitreo: quatuor nervis, quorum bini viſioni, qui nervi optici dicuntur; bini motui deſerviunt, inter ſe adeo connexi, & innodati, ut moto altero oculorum, alter eâdem ratione moveatur: venulis, arterijſqué innumeris, per quas magna ſpirituum vitalium, & naturalium ſubminiſtratur oculo copia ipſi neceſſaria ad continuum, celeremquè motum: duabus carunculis, quæ in internis oculi angulis, ſitæ ſuâ duritie prohibẽt, ne lacrymæ, aliævè ſordes, quæ palpebrarum contractione introrſum aguntur, oculum lædant: duabus glandulis in extimis itidem oculi angulis repoſitæ, ut humorem è cerebro defluentem excipiant, irrigentquè oculum reddendo ipſum motui aptiorem; ac demum copioſo adipe, tum nè continuo motu oculus æſtuet, atque areſcat; tum nè vi ambientis frigoris rigeat, & contrahatur.

1633 Verùm ne fuſiùs admirandam prorſus oculi ſtructuram proſequendo, Opticam, cujus ſuprà in Phyſico-mathematica mentionem fecimus Ethico-Phyſicæ immiſceamus hæc obiter inſinuâſſe pro nunc ſufficiet, ſi dixerimus objectum oculi magis principale eſſe lumen, ſeu lucem, quæ duo ab invicem nominetenus ferè, & ſolum accidentaliter diſtinguimus; minùs verò principale colorem, quorum utrumquè, longè probabilius eſt, eſſe qualitates ex primis ortas per quas corpus, quod de ſe perſpicuum eſſe poteſt, tale fit actu. Lumen verò, ſeu lucem eſſe qualitatem, patet inde, quia ſi, ut quidam exiſtimant, ſubſtantia eſſet, vel eſſet ſpiritualis, quod dici nequit, quia ſub ſenſum noſtrum non caderet; vel materialis, & corporea, atque ſic dum per cryſtallum traijcitur, & daretur naturaliter corporum penetratio; & corporum motus fieret quaſi in momento cum momento ferè lux, lumenquè diffundatur & illuminatio impediretur à contrarijs ventis, motuquè aëris; & prohiberetur à corporibus diaphanis, aliaquè plura, quæ alioquin clara ſunt in Philoſophia, per lumẽ ipſum obſcuriſſima, ſi ſubſtantia foret, efficerentur.

Ac calorem qualitatem pariter veram & naturalem eſſe (etſi non negemus aliquem dari apparentem tantùm, ut conſtat ex meteoris lucidis, quæ pro variâ luminis mixtione, ac incidentia in ſubjectum aliquod, affectum debitâ raritate, aut denſitate naſcuntur, creſcunt, minuuntur, & intereunt) patet, tum quia plurimi ſunt colores qui de ſe firmum, ac ſtabilem habent ſtatum in ſubjectis quibus inhærent, variatâ quomodocunquè incidentiâ luminis, ut evidenti conſtat experientiâ: tum quia per ablationem realium colorum, extincto lumine, vel occumbente ſole, omnis qui in natura eſt, color, ac pictura prorſus evaneſceret, quod nemo ſanæ Philoſophiæ ſtudioſus admiſerit, ſciens non evaneſcere, ſed occultari ſolùm oculis noſtris colores ad luminis occaſum.

Phyſico-ethici ſubjecti, ſeu hominis ſenſus Auditûs.

1635 AUditus & ob eximium, quem in vita civili uſum obtinet, cùm nihil prodeſſet ſermo, & oratio, quâ ſenſa mentis alijs ſunt communicanda, niſi ipſa audiretur; & ob miram vim, quâ excepta auribus pollent in affectuum motione, ſecundum meritò ſibi poſt viſum locum inter cœteros hominis exteriores ſenſus vendicat. Ipſius organum totale eſt auris, quæ eſt ſuſtantia quædam cartilaginea ex cranio, capitequé prominens, eidemquè quaſi cochleatim infixa conſtans exteriùs cuticulâ, cartilagine, carne, muſculis, venis, arterijs, pinnâ, fibrâ: internis verò, triplici ductu, ſeu meatu, tribus cavernulis, tympano, duobus canaliculis, circulo oſſeo, ſeu petroſo: tribus parvis oſſiculis, duobus muſculis nervis totidem; venâ, arteriâ; aëre ingenito; membranulâ auditoriâ, & auditorio nervo.

1636 Quas partes omnes, præſertìm interiores neceſſarias eſſe ad auditionem eliciendam indè cõſtat, quòd auris extrinſecùs ſit cochleata tribus maximè gyris; tum ut frigidus aër,

qui

qui est auditui maximè noxius, commeans in interiores partes, tepescat aliquantulum, priusquam ad tympanum deveniat; tum etiam ne vehementi motu aëris, aut soni in eo conciti interiora organa lædantur; cùm ob obliquitatem meatûs frangatur, ejusdemquè angustiâ aliquantulum retardetur: tum demum ut illis è contra minutiores colligantur soni, & fortiores perveniant species ad formale auditûs organum.

Progreditur autem sursum potiùs ad in- 1537
teriorem partem meatus ille cochlearis, tum 1540
ut è cerebro defluentes bilioſas sordes aptiùs defluant; tum ut si aliquid subingrediatur extraneum difficiliùs penetret, & decidat faciliùs. Tympanum verò ad hoc à natura est institutum potissimùm, ut externum ab interno aëre dirimat: conservatur hoc à circulo osseo nè contractioni subjaceat: cùm duplici continuo agitetur motu, quem externus, internusquè aër causat. Interni verò aëris munus est servire ut medium ad elicitionem auditionis: trium verò ossiculorum, quorum unum incus, malleus aliud, tertium stapes nuncupatur, officium est subservire majori tympani stabilitati. Cunaliculi alij duo novum recipiendi aërem, ac ingenito evaporandi facultatem præbent: musculi retractionem motûs mallei, qui ad motum tympani elevatur: auditorius nervus 1541
communicationem auris cum cerebro pertractat: ac demum membranulam auditoriam formale auditûs organum esse adstruimus, indè persuasi, quòd sicut visio fieri debet, non in aliquo fluido, sed solido, sic auditio non formari debet in aëre innato, ut quidam existimant, sed in membranula illa tenuissima; quæ 1542
quia connexa est nervo auditorio, facilè recipit, illo mediante à cerebro spiritus necessarios ad actum auditionis, non secùs quàm retina, mediante nervo optico eosdem recipit in suum finem.

Ex communi quoque Authorum consen- 1538
su objectum proprium auditûs sonum esse cõstat; qui sonus est qualitas orta ex subita corporis alicujus fluidi fractione, qualis contingit in corporum allisione ad invicem cum fractione aëris, vel aquæ, vel alterius humidi corporis intercepti: nec alia assignabilia sunt principia talis qualitatis productiva. Quod si Aristoteles subinde sonum vocet motum aëris; causaliter tantùm loqui, non autem formaliter est intelligendus, nè ipse sibi contradicere 1543
videatur, quando paucis interjectis ait: sonum illa pervadere, quæ aëri, vel aëris motui sunt impervia; ut dum ex vitro benè occluso auditur extra sonus intra vitrum excitus.

Sonorum autem differentias multiplices 1539
esse, & tot, quot sunt diversæ species rerum se collidentium in rebus inanimatis; quodquè diversa reperiantur in animalibus organa, à quibus sonus elicitur nemini prudentum est ignotum: sicut enim in hominibus varietas vultûs, incessûs, & inclinationum quasi infinita est, ita vocum diversitas ex conditione corporum, & organorum orta, est propè infinita; prout eleganter, ac more suo eruditissimè explicat Kircherus in sua Arte magna consoni, & dissoni, ubi præter alia scitu digna Ethico-Physico, agit de conjecturis, quæ circa cujusvis corporis temperamentum ex sono, & voce ejusdem fieri probabiliter possint.

Quo pacto autem vox à sono differat, 1540
constat tum ex dictis in Logica; tum ex ipsa vocis definitione, quâ dicitur esse sonus animalis à glotide factus ex percussione aëris respirati ad asperam arteriam cum imaginatione aliquid significandi. Ubi ejusdem indicantur causæ omnes principales, quæ ad vocem constituendam physicè concurrunt; sicut instrumentales rectè comprehenduntur disticho illo

Instrumenta (vocis) novem sunt, guttur, lingua, palatum
Quatuor & dentes, & duo labra simul.

Ethico-Physici subjecti, seu hominis sensus Olfactûs.

SEnsus olfaciendi medium inter reliquos sibi 1541
locum vendicat; tum suum ob modum operandi quasi medium inter modos operandi reliquorum sensuum; tum quia species odorum, quas dari mox dicemus, magis sunt materiales, quàm visibiles sint, & audibiles; minùs verò quam gustabiles, & tangibiles.

Organum hujus sensûs totale est nasus; 1542
formale verò tuberculi, seu caruncula mammillares; quæ residentes in suprema narium parte inspiratione earundem dilatantur, & respiratione restringuntur: illud manifestum est experientiâ, quâ liquet naso obturato nullos nos percipere odores; hoc verò suadetur, tum quia sensimus odores in fine narium, ubi sunt isti tuberculi, & propterea acriùs olfacientes exteriores nasi partes contrahunt; tum quia inspirando attrahuntur odores per foramina ossis spongiosi; quos demum recipiunt papillæ dilatatæ, eo ferè pacto, quo spongia aquam, tum demum quia nulla alia pars ad id muneris aptior potest assignari, ut patet contemplanti ipsius organi totalis partes singulas.

Externas namque, quales sunt cuticula, 1543
variæ cartilagines osseis quibusdam laminis adgenitæ; septum intermedium; & geminæ cavitates, nares dictæ, non posse esse formale odoratûs organum per se patet: multò minùs os, quod totius hujus fabricæ fundamentum est, protensum ex media fronte ad nasi ferè medietatem, Ethmoides dictum, ob cribrosam quasi substantiam quâ constat; sed neque

interiores naſi partes, quæ ſunt interior tabula, ad inſtar cribri perforata; apophyſis, ob figuram criſta galli, nuncupata; lamella oſſea; os vomer intra ſpatium palati, ac ſphenoidis comprehenſum: quod ſpatium diſterminatur in lacunulas refertas carne intermixtâ oſſiculis ſpongioſis ad excipiendos, & detinendos humores ex cerebro defluentes, ne perpetuò ex naribus ſtillent.

1544 Cùm igitur ſoli reſtent papillares tuberculi in ſitu aptiſſimo ad recipiendas ultimò ſpecies neceſſarias ad ſenſationem, hos formale odoratûs organum eſſe neceſſario fatendũ; cùm præſertim ad illos terminentur canaliculi duo cartilaginei, qui ex una parte ad cerebrũ, ex altera ad palatum, & cor protenduntur, per quos odoramenta ad cor, & cerebrum, atque ex his è contra excrementitiæ partes, quæ per naſum exhalant, commëent.

1545 Objectum porrò hujus ſenſus proprium, odorem eſſe nemo ignorat; qui rectè dicitur qualitas ſecunda ex primis reſultans prædominante ſicco, & calido in ordine ad movendum olfactum; ac propterea præſupponit mixtionem ſicci, & humidi, quorum alterutro deficiente nullus percipitur odor! ſic cineres ligni odoriferi odore carent defectu nativi humidi; humido tamen prædominari debet ſiccitas, & caliditas, uti colligitur ex eo, quod in regionibus ſiccioribus, & calidioribus, multa variaq; creſcant aromata. Nec obeſt quòd multi liquores odoriferi ſint; hoc namque habent ex copia ſpirituum ſiccorum, & calidorum, qui ijs prædominantur. Unde mixtio ſicci cum humido ad productionem odoris neceſſaria, fit beneficio caloris, prout ex ſuffitibus conſtat, qui igni impoſiti optimè redolent. Ubi obiter advertimus falli eos, qui exiſtimant carentiam olfactûs eſſe indicium præſtantis ingenij; cùm hæc aliundè non proveniat, quàm ex humido nimirum temperamento copioſâque pituitâ, quam viribus ingenij obeſſe nemo non experitur.

Phyſico-Ethici ſubjecti, ſeu hominis ſenſus Guſtûs.

1546 QUartum ordine ſenſum eſſe guſtum, ſeu facultatem vitalem perceptivam ſaporis, conceſſam animali à natura, tum ut dignoſcat utilia ſibi alimenta, tum ut nutritioni, eiquè neceſſario alimento comparando operam daret, in comperto eſt: Præcipuum & totale illius organum eſt lingua, minùs principale palatum, quo aſſerto diverſas aptè conciliamus authorum opiniones, quorum alij ſolam linguam; alij in interiori tantùm linguæ parte; in radicibus ejuſdem alij guſtativam facultatem reſidere arbitrantur.

1547 Ut autem noſtræ eluceſcat veritas opinionis obſervamus ex ijs, quæ Veſalius lib. 2. de fabrica humani corporis tradit, à cerebro derivari uſque ad linguam duos nervos, qui linguam mediam interſecantes, ex ſe alios minutiores, tanquam ramuſculos diffundunt, vi quorum cõarctatur, dilatatur, extenditur, ac contrahitur lingua pro libitu, & commoditate illâ utentis: circa fauces verò per latas baſes oſſeas diffundi, & ſuſtentari linguam ipſam, cujus ſubſtantiam raram eſſe, & ſpongioſam, tectamquè quâdam ſubtili, ſed nonnihil hiſpidâ tunicâ, cujuſmodi palatum etiam ipſum cooperitur, Anatomicis eſt indubitatum. Duas illa continet muſculos à linea quadam mediâ æqualiter diviſos: duas itidem venas, arteriaſquè totidem præcipuas; in ipſius radice exſurgunt binæ glandulæ carneæ, quarum compreſſione ſaliva educitur: ſubtus eam ad fauces uſque extenſum eſt ligamentum faucibus linguam connectens, cujus ſubinde defectu lingua nimis retrorſum ſe colligit; ſubinde exorta initio retrahi nequit.

1548 Quibus poſitis pro phyſica notitia Phyſico-ethici iſtius organi æquè utilis, ac noxij Civili vitæ, humanoquè conſortio, facilè patet quod aſſervimus, nempe principale guſtûs organum linguam eſſe; quia ſcilicet applicato guſtabili, ſequitur guſtatio; ex eo ſiquidem quòd lingua laxa ſit, & ſpongioſa ſalivam imbibit, quæ vehiculum eſt ſaporis; movetur-què ad ſenſationem guſtativam eo pacto, quo mammillares papillæ imbibentes aërem odoroſum moventur ad odorandum. Et quamvis tota lingua ob nervos præcipuos, eorundemquè ramuſculos per eam ſparſim diffuſos, qui ſunt formale organum guſtûs, ſit ejuſdem organum; exquiſitiſſimus tamen viget in interiori parte linguæ, etiamſi & ad fauces, & ad linguæ radices multùm vigeat, eâ notabili cum differentia, quòd eſculenta priori parte: poſteriori verò poculenta, & ad fauces magis, percipiantur, ut experientia ſatis comprobat.

1549 Quòd verò etiam palatum ſit organum guſtûs minùs principale docent elingues, qui ſapores percipiunt, ac diſcernunt: propter quam cauſam à natura nervi guſtatorij providè velut tot filamenta ſunt diſtributi. Quòd ſi Ariſtoteles in lib. de ſenſu, & ſenſiti videatur aſſere in corde ſitum eſſe organum guſtûs; intelligẽdus eſt loqui radicaliter tantùm, & partialiter: non vero proximè, & totaliter; ut ex combinatione ejuſdem circa id diverſimodè diſcurrendi methodi ſatis colligitur.

1550 Porrò potentiæ guſtativæ objectum proprium ſaporem eſſe, & authoritate, & experientiâ eſt teſtatiſſimum. Saporem autem nemo negaverit eſſe qualitatem quandam reſultantem ex certa primarum permixtione cum dominio humidi aquei in ſiccum terreum vi caloris concoquentis in ordine ad movẽdam,

immu-

immutandamquè per sui species gustativam facultatem. Quare; ut suprà diximus sicut ad productionem odoris siccitas superare debet humiditatem, ita è contra in productione saporis ab humiditate benè delibuta siccum vinci est necesse.

1551 Species autem saporum varias esse constat experientiâ: inter præcipuas adcensemus dulcem ut in melle, & saccharo: amaram ut in Aloë, & absynthio: quæ duæ species dici solent extremæ: has intermediæ sunt pinguis, ut butyri, & olei: salsa ut salis, ex spiritu sicco, & calore immodico exorta: acris ut in pipere, allio, & similibus: acerba vehementer constringens, qualis est in fructibus immaturis: acida ut in olivis, raphano &c. Qui autem ex horum mixtione oriuntur sapores meliùs Apicij, quam Aristotelis sectatores dignoscere consueverunt; ac proinde de gustu ex multis hæc pauca delibâsse sufficiant.

Physico-Ethici subjecti, seu hominis sensus Tactûs.

1552 TActûs nomine, quem quintum hominis perfecti sensum cum Aristotele statuimus, nobis venit facultas illa vitalis, per quam animal percipit calidum, frigidum, siccum, ac humidum, easquè quæ ex horum mixtione resultant qualitates, quæ idcirco objecta tangibilia dicuntur. Qui sensus sicut inter cœteros alios animali maxime est necessarius, ejusquè carentia molestissima, eò quòd absque illo utilia ad vitam tuendam percipi nequeant, & evitari noxia; sic à reliquis sensibus, & à gustu præsertim distinguitur ob diversitatem organorum, proprietatum, & effectuum, quibus ipse pollet.

1553 Organum namque totale tactûs sunt omnes ac singulæ animatæ corporis partes, cùm nulla sit sensationi tactûs non subjecta; estò in nervis, & membranis sensorijs tanquam in organo formali maximè vigeat, utpote quæ se habent ad sensationem tactûs, non secùs ac retina ad visionem, aut mammillares tuberculi ad operationes odorandi: atque hinc fit quòd in nervis, & cartilagineis membranis sensorijs sit tactus exquisitissimus; inquè eorum læsione 1557 dolor maximus, ut constat ex ijs, qui spasmo, artridideque laborant.

1554 Unde etiam patet objectum hujus sensus primò, & per se esse primas qualitates eundem afficientes secundum exsuperantiam; cùm hæ solæ primò & per se, per sui species illum afficiant, immutando realiter temperamentum, ex ipsis constans; & hinc non malè à peritioribus Medicis sensus tactûs, sensus temperamenti nominatur; tametsi aliæ qualitates quales sunt gravitas, & levitas, durities & mollities, lubricitas, & ariditas, asperitas & lævitas, aliæque plures hujusmodi cadant etiam sub hunc sensum, sed solùm ut objectum secundarium, quatenus scilicet ab eo percipiuntur formaliter, prout sibi habent primas conjunctas.

Physico-ethici subjecti, seu hominis externorum sensuum per impressas rerum species ad operandum immutatio.

1555 AB externis sensibus connaturaliter percipi non posse objectum, nisi præsens, constat tam experientiâ, quàm ratione sæpiùs indicata in præcedentibus, desumpta ex finitate, & limitatione ipsius facultatis sensitivæ. Cùm verò verum sit aliunde Aristotelicum illud: sensibile supra sensorium positum non facit sensationem; celebris exoritur quæstio, quidnam id sit, quod formaliter & immediatè sensitivas potentias immutat, & determinat ad operationes sibi convenientes eliciendas?

1556 Nos omissis varijs circa id opinionibus, existimamus formaliter id fieri per species sensibiles ab objectis potentijs sensitivis impressas; quas dari, & luculenta ostendit experientia vitrilenticularis, quo species rerum exterius positarum in clauso cubiculo distinctissimè colliguntur, cujus experientiæ jam suprà sæpiùs injecimus mentionem; & ratio physica à priori id universim convincit; sicut enim natura providit agentibus transeuntes operantibus de qualitate quadam, quam diffundant per medium in passum distans, ut sic virtute suâ sint præsentia, & immediata passo; ita agentibus immanenter operantibus, cujusmodi maximè sunt sensitivæ facultates prospicere debuit de qualitatibus, quæ sint vicariæ objectorum, ut cùm nequeant ipsa objecta immediatè concurrere immediatione suppositi, essequè præsentia, & immediata potentiæ circa ipsam operanti immanenter, saltem sint per tales qualitates à se in potentiam transmissas: quas qualitates cum communi vocamus species, seu imagines objectorum impressas ad distinctionem expressarum, quæ sunt formales vitales objectorum expressiones, seu imagines objectis similes, non in essendo quidem, ut constat, sed in repræsentando.

1557 Neque obest, quòd si darentur tales species deberent semper ab objectis produci, & quasi momentanëè, per totam sphœram activitatis eorundem; Id namque verum est non secùs ac semper è corpore lucido producitur in medio lumen, & ferè instantanëè in tota sphœra activitatis corporis luminosi, cùm nullum habent contrarium.

1558 Neque obest amplius, quòd à qualibet objecti particula in qualibet parte medij produci deberent species: Nam & id veritati consonum esse constat, ex eo, quòd species sensibiles cùm materiales sint, & procedant ex poten-

tentia ſubjecti materialis, neceſſe ſit, ut illi co-extendantur, & proportionentur adeo, ut una illarum pars ex una parte ſubjecti, alia ex altera procedat, uti manifeſtâ patet experientiâ.

1559 Impreſſarum porrò ſpecierum neceſſitas elucet imprimis in operationibus potentiæ viſivæ; cùm enim hæc indifferens ſit ad eliciendam viſionem circa hoc, illudvè objectum; ut potiùs circa hoc, quàm illud illam eliciat ab aliquo in genere cauſæ formalis ſaltem extrinſecæ neceſſario determinari debet; quæ determinatio ab objecto haberi non poteſt, cùm hoc à potentia neceſſariò remotum ſit; habebitur igitur à ſpeciebus, quæ ab objecto in medio diaphano productæ determinant formaliter potentiam ad viſionem talis objecti; alioquin nulla foret ratio cur medium diaphanũ, & certa quædam diſtantia requireretur; ſi enim ab objecto nihil produceretur in medio, ex quacunquè diſtantia, & per quodcunquè medium videri poſſet objectum quodlibet quantumvis exiguum; quod cum non fiat neceſſe eſt dari ſpecies impreſſas viſibiles.

1560 Quas ulterius confirmant plurimæ experientiæ, quæ abſque illis nullatenus explicari poſſunt; ideo enim oculus nec res à tergo poſitas, nec ſe ipſum videt; poſito verò ſpeculo utrumquè præſtat, quia ſpecies à ſpeculo in oculum reflectuntur: ideo perſpicilia convexa conferunt ad meliorem viſionem, quia ſpecies ab illis collectæ validiores fiunt ad movendum ſenſum: ideo multiplicatis ſpeculis eadem res multiplicata apparet, quia ſpecies ejuſdem objecti à pluribus ſpeculis reflexæ objectum exhibent multiplicatum: ideo idem objectum in diverſo medio diverſimodè appareret, ut ſol oriens major, quàm meridianus, remus in aëre rectus & integer, in aqua curvus, aut fractus &c. quia nempe ſpecies à medijs diverſæ rationis refringuntur diverſimodè.

1561 Neque obeſt quòd ſpecies ipſæ directè non videantur; non enim videntur, ut quod tantum, videntur verò ut quo, hoc eſt, non ſecùs quàm ſignum formale cognitum ut quo, nos ducit in cognitionem alterius; & ipſa cognitio cognita ut quo reddit nos formaliter vitaliter cognoſcentes: ſic ſpecies ipſæ impreſſæ viſæ, ut quo tantùm, nos formaliter, non tamen vitaliter, ut diximus determinant ad actum ipſum viſionis, ſeu ad ipſam vitalem formalem objecti expreſſionem.

1562 Sed neque minus auditivæ potentiæ ſunt neceſſariæ audibiles ſpecies, quàm viſivæ viſibiles; tum quia ſæpe ſonum diſtantiſſimum audimus, & ex quâ parte veniat diſcernimus; ad quod determinari non poſſumus à ſono ipſo, nam ſic non eſſet ratio cur perciperetur ex una potius parte veniens, quàm ex alia: tum quia ſonum etiam clauſo cubiculo, vel turri in qua ſit, percipimus, quod fieri non poteſt niſi per ſpecies, cùm ſonus, utpotè accidens phyſicum & reale per corpus ſolidum ad aures pervenire nequeat, eò quòd ſit in aëre vel corpore colliſo, tanquam in ſuo proprio ſubjecto: debet igitur in tali caſu neceſſariò ſui emittere ſpecies: tum quia urinatores intra aquas percipiunt ſonum factum in aëre: & dum torrens cum ſtrepitu ſecum voluit lapides eorum ſonitum audimus, quod refundi non poteſt in aërem, vel aquam colliſam, quæ pervadat organum auditûs, ſed in ſpecies ipſas, quæ etiam per aquam propagantur. Tum demum, ut plura omittamus, ſpecies audibiles reflectuntur, uti manifeſtè conſtat in Echo, quæ reflexio ſæpe fit ibi, ubi ſonus non eſt, quod accidere nullatenus poſſet negatis audibilibus ſpeciebus.

1563 Neque obeſt quòd ſi ſonus emitteret ſui ſpecies ſenſibiles, eæ, utpote carentes contrario, æquè cito producerentur, ac perciperentur à nobis, quàm producantur, & percipiantur viſibiles, quod falſum eſſe docet experientia, quâ cõſtituti à longe prius videmus ictum, quàm audiamus ſonum: Lata enim eſt diſparitas exinde, quòd ſpecies viſibiles abſque motu locali producantur, & conſequenter quaſi momentaneè diffunduntur; at audibiles, quia per motum localem corporum colliſorum fiunt, ideo ſucceſſivè neceſſario ſeſe propagant, mediante motu quodam, quem criſpationis nominamus, quo aër ad ſoni appulſum commovetur. Imò & concedi poteſt, quòd ſpecies audibiles, ſicut & viſibiles momentaneè producantur, tametſi ſonus non niſi poſt aliquod tempus ab ictu percipiatur, quia ſcilicet ſpecies ſoni, qui necdum ſe propagavit realiter, nequeunt ratione diſtantiæ ad nos conſtitutos extra ſphæram activitatis illarum pervenire; cùm ſolum ſpecies illæ ſoni ad nos pertingant, quæ emittuntur à partibus ſoni realiter ſe propagantis nobis propinquioribus: & quia hic ſucceſſivè ſe propagat etiam abſoluto ictu, ideo etiam finito ictu incipimus audire ſonum.

1564 Neceſſarias pariter eſſe ſpecies odorabiles ſenſui odoratûs inde nobis probantur; tum quia par videtur eſſe ratio pro his, quàm pro viſibilibus, & audibilibus, cùm ſenſatio odoris ſæpe fiat ad notabilem diſtantiam, ut conſtat experientia vulturum, corvorum, canum &c. odorem notabiliter diſtantis objecti percipientium; tum quia piſces, & cancri intra ſuas incluſi latebras ab extrinſeco odore illecti prodeunt, ac trahuntur; non apparet autem quomodo poſſint exhalationes cæteroquin leves permeare, & deſcendere infra aquas; tum quia modiciſſimâ ambrâ magnus circumquaquè diffunditur odor; neque eſt probabile, quòd tam diu tanta halituum copia ex tantillo granulo diffundatur; cùm pærſertim nullum

ſenſi-

sensibile in eo animadvertamus decrementũ: tum demum quia objectum odoriferum sæpe conjungi nequit potentiæ, cùm sit sæpe remotum; vel si proximum sit; attamen cùm odor non sit qualitas productiva odoris, tam parum quam color coloris, ideo necessariò illius admitti debent species intentionales.

1565 Neque obest quòd odor sæpe sit potentiæ præsens, ut constat in suffitibus; nam estò præsens suo modo sit, non tamen est præsens intimè ipsi organo formali in quo fit sensatio; quo opus est ad hoc ut potentia vitalis suam eliciat sensationem; hæc namquè intimè conjungi debet, cum sui immutativo; quæ conjunctio intima intentionalis fieri nequit, quàm per solas species objecti vicarias.

1566 Ob quas rationes, ut similiter admittamus species gustabiles, & tangibiles nos cogi non diffitemur; quas habere specialem vim pro speciebus gustabilibus sic ostenditur: quia certum est facultatem gustativam nullum habere medium externum, uti habent priores tres, de quibus jam egimus sensitivæ facultates; quamvis internum illi non possit denegari; eò quòd juxta communem Theologorum doctrinam sola Divina essentia propter suum esse infinitum possit in intellectu Beati supplere species intelligibiles se ipsâ, ita quidem, ut si Angelus unus per intimum illapsum fieret præsens alteri, neuter tamen alterum intelligeret per hanc solam præsentiam absque specie, quia scilicet præsentia hujusmodi foret tantùm veluti materialis, & extrinseca, non verò formalis, & intrinseca, qualis requiritur ad intellectionem.

1567 Ex quo facile patet, quo modo nequeat percipi sapor à potentia gustativa, quamvis illi esset præsens; imò quamvis cum ipsa potentia esset penetratus; cùm talis præsentia materialiter tantùm talis esset, & velut extrinseca, non autem intrinseca, & intentionaliter conjunctiva, quæ habetur per solam intentionalem speciem.

1568 Pari ratione suadentur species impressæ tangibiles; ad hoc enim ut potentia eliciat actum circa suum objectum, necesse est, ut suo modo objecto assimiletur; non potest autem sic assimilari per cõtactum simpliciter realem; nam similitudo, quæ per solum realem contactum fit est valde materialis, & quasi insensibilis, quæ non sufficit ad assimilandam potentiam objecto, cùm hæc similitudo esse debeat immaterialior, utpote quæ constituit potentiam in esse cognoscitivi; quod præstari nequit nisi per solas species. Accedit quòd objectum tangibile sæpe distans à potentia percipiatur, ut dum interpositâ veste baculus dorsum tangit, vel interpositâ chirotheca ferrum, aut lapis tangitur, quo casu durities utriusque sentitur non immediatè & per se, sed speciebus mediantibus.

Neque obest quòd si quis ponat manum in ignem absque ulla mediatione specierum immediatè comburatur; quia probabilissimũ est, quòd si Deus in tali casu impediret productionem specierum, homo non sentiret talem combustionem, ac si lignum foret aliquod insensibile; licèt re ipsâ combureretur; deesset namque unio intentionalis ignis cum potentia, cujus defectu combustio illa materialis non uniretur tactui in esse sensibili, & intentionali.

Ethico-Physici subjecti, seu hominis sensus Internus.

1570 Præter externos in homine sensus admitti debere & internos nemini potest esse dubium, nisi qui ignorat; & nullum externum sensum percipere objectum alterius; & assignandum esse aliquem in quo tanquam centro sensationes omnes sensuum externorum uniantur; & denique experientiam, quâ constat homines dormientes loqui, aliaquè multa operari, quæ non possunt non provenire nisi à potentia interna talia etiam extrinsecùs operante, dum reliqui sensus exteriores mersi sopore jacent. An autem plures sint, an unicus tantùm, nobis realiter loquendo videtur probabilior sententia, quæ unicum duntaxat eum esse asserit, virtualiter extrinsecè multiplicem, varijsquè nominibus appellatum pro diversitate functionum, & actuum, qui ab eo in cerebro residente exercentur.

1571 Cujus majoris nostræ probabilitatis argumentum est; tum quia nulla est necessitas, aut convincens ratio asserendæ realis diversitatis, aut multiplicitatis internorum sensuum; tum quia idem est omnium organum nempe cerebrum, ut clarè constat tam ex nervis à cerebro in sensus externos protensis, quàm ex defectu omnium sensuum, dum per reumata impeditur commercium eorum cum cerebro: tum demum quia sicut intellectum frustra distingueremus realiter in agentem, & patientem, in apprehendentem, judicantem, & discurrentem, cùm hæ omnes operationes, uni eidemquè intellectui sufficientissimè attribuantur; ita etiam frustra distingueremus sensum internum realiter in plures sensus; cùm unus, idemquè diffusus per universam cerebri substantiam, juxta varietatem partium hujus, & temperamenti idonei varias administret functiones, ita ut quatenus discernit inter objecta præsentia sensuum externorum, ijsquè solùm operantibus operatur, dicitur sensus communis: quatenus cognoscit etiam absentia, & operatur sensibus externis quiescentibus, dicitur phantasia; quatenus cognoscit convenientiam, & disconvenientiam materialem objecti, dicitur æstimativa; quatenus demum rerum imaginatarum species conservat,

dicitur memoria sensitiva; non secùs quàm una eademquè anima rationalis, quatenus est principium cognoscendi objecta, dicitur intellectus, quatenus est principium cognoscendi objecta priùs cognita dicitur memoria, & quatenus est principium cognita amandi, vel fugiendi, dicitur voluntas &c.

1572 Nec obest quòd Aristoteles dixerit cor esse principium operationum animalium, & sensitivarum; Nam per hoc aliud indicare non voluit, quàm quòd cor cerebro, in quo residet internus sensus, tanquam in proprio organo, ac sede sua, suppeditet materiam ad procreandos spiritus animales necessarios ad omnem sensationem; & hinc fortè etiam fit, quòd decumbentes ad sinistrum latus, ut plurimùm varijs divexentur insomnijs, eò quòd per oppressionem cordis magna spirituum animalium copia ad cerebrum ascendat.

1573 Objectum porrò interni sensûs esse tam objecta omnium externorum sensuum, quàm etiam eorundem actus suademus indè; tum quia objectum debet adæquari potentiæ, cùm igitur sensus internus potentia sit valdè universalis, consequens est, ut habeat in suo genere objectum valde latè patens, qualia sunt simul sumpta objecta sensuum externorum: tum quia sensus internus judicat, & discernit 1577 suo modo materiali inter objecta externorum sensuum; adeoquè necessariò hæc esse debent objectum etiam illius, cùm immediatè ipse circa eadem suas exerceat operationes: tum insuper quia experientiâ constat, cognitione sensitivâ nos percipere, quod videamus, audiamus &c. quod refundi non posse in intellectum experientia ipsa prohibet, quâ patet bruta pertimescere locum aliquem, in quo malè habita fuerunt; redire ad eundem locum in quo priùs repererunt cibum, erigere aures ut sonum melius percipiant, intendere oculos, ut exactiùs videant &c.

1574 Constat autem quod quidquid eorum appetitus exposcit debeat esse illi propositum à sensu interno immediatè, adeoquè re ipsâ per internum sensum percipiunt, sensationes, & actus externorum sensuum, & consequenter hi etiam statuuntur pro objecto interni sensûs. 1578 Neque obest quòd ex his sequi videatur sensum internum etiam percipere proprias suas sensationes; Nam falsam esse sequelam ostendit ratio quâ patet potentiam reflexivam supra suos actus excedere perfectionem, & virtutem potentiæ materialis, soliquè potentiæ intellectuali convenire.

1575 Quod si nos recordamur somniorum, quæ dormientes habuimus, id attribui debet intellectui, cùm nullum indicium habeatur in brutis talis recordationis; humanis autem somnijs subinde admisceri opera intellectûs patet ex multis, qui somniantes optima pangunt carmina, mathematicas formant demonstrationes, aliosquè mentales actus exercent satis perfectos, qui ab alio provenire nequeunt, quàm ab intellectu. Neque tamen ideo somnians per se est capax quâ talis meriti, aut demeriti; quia eo in casu nec intellectus, nec imaginatio est sub perfecto dominio voluntatis; neque operatur aliter nisi perturbatè, & valde confusè, ac consequenter locus non est perfectæ deliberationi; undè actus ejus in similibus est actus quidem hominis, non verò humanus utpote carens requisitâ libertate.

1576 Sensum præterea internum proprias suas habere intentionales species, quibus utitur ad operandum, & distinctas à speciebus sensuum externorum inde arguimus; tum quòd sensus internus & cognoscat objecta absentia, vel etiam actu non existentia, ad quam cognitionem necessariæ sunt talium objectorum species, à quibus ille ad eam determinetur; tum quia internus sensus operatur sensibus externis non operantibus, ut contingit in somnijs; tum demum quia sicut propriæ cuiquè sensui exteriori species conceduntur ex eo, quòd sint diversæ inter se potentiæ, ita pari ratione propriæ concedi debent sensui interno, quia est diversa potentia à cœteris omnibus, ut constat.

Nec obstat quòd non videatur posse assignari principium talium specierum, præsertim à nobis, qui negamus dari duplicem sensum internum agentem, & patientem. Nam estò hæc ultima assumpti pars vera sit, eò quòd nulla sit necessitas talis distinctionis, falsa tamen prior est, cùm principium productivum talium specierum sit ipsum externum objectũ mediantibus sensationibus, seu actibus elicitis ab externis sensibus, & speciebus eorundem; positâ enim sensatione v. g. tactûs in pede, statim hic actus per modum cujusdam irradiationis speciem sui intentionalem diffundit per nervos ad cerebrum quod est organum, ut diximus, sensûs interni, & velut centrum omnium sensuum exteriorum; quæ species cùm sit quasi semen, & virtus objecti, immediatè formaliter determinat internum sensum ad actum suum vitalem eliciendum.

1578 Nec obest quòd videatur intellectu difficile quo pacto eo momento, quo pes tangitur, & fit in eo sensatio, species intentionalis per totum corpus ad cerebrum usque subitò deferatur; Hoc namque nullatenus captu est arduum scienti admirabilem symetriam, & artificiosam proportionem omnium membrorũ ad invicem: perpendat qui talem patitur difficultatem in hoc percipiendo, fabricam alicujus exactissimi horologij, vel etiam telæ aranearum, quæ si in minimo impediatur aut tangatur ad aliquam extimam particulam, tactus ille momentanëè pervadit omnes partes, & intelliget quâ ratione in humano corpore, benefi-

neficio nervorum, immediatè tactus pedis pervadat ad cerebrum per sui speciem.

1579 Denique actum sensûs interni producere sui speciem, non secùs quàm actus sensûs externi suam producat, constat exinde, quòd ea quæ semel nobis imaginati sumus rursus recurrant, uti certum est in somnijs usuvenire; tales namquè species animalibus inhærentes spiritibus repræsentant deinceps ea objecta, quæ semel cognita fuerunt.

Ethico-physici subjecti, seu hominis Appetitus sensitivus.

1580 PRæter sensus dari etiam materialem appetitum per quem feramur ad bona delectabilia, & contraria aversemur certum fit apud rectè sapientes tum authoritate; præsertim sacrâ monente: subtus te erit appetitus tuus; quem Apostolus vocat repugnantem legi mentis: tum ratione, quâ constat nos inclinari ad bonum, præsertim delectabile etiam reluctante voluntate, quod fieri non posset, si sensitivo appetitu careremus, qui necessarius in nobis est tum ad propagationem speciei, tum ad conservationem proprij individui.

1581 Illius organum, & sedem esse cor nobis videtur probabilius, tametsi contrarium non pauci sentiant. Nostræ opinionis probabilitatem & confirmat sacra authoritas docens ex corde prodire malas cogitationes; & suadet ratio, tum quia ea in parte hominis residere debet appetitus in qua experimur fieri præcipuos motus, & alterationes, quæ ad appetitûs operationes consequuntur; cujusmodi præcipuè fieri in corde patet ex dilatatione ejusdem in gaudio, & amore; ex constrictione in tristitia, & metu; ex effervescentia in ira &c. Quæ propterea à Philosopho definitur rectè, quod sit ebullitio sanguinis circa cor: tum etiam quia per effectus appetitivos cor sæpe adeo malè afficitur, ut langueſcat, deficiant vitales vires, & sæpe sæpius totus homo tabescat; ut certâ experientiâ est manifestum.

1582 Neque obest quòd si ex effectibus appetitûs colligeretur illum residere in corde dici deberet quod etiam resideret in facie, in ventre &c. quia & verecundia, quæ est effectus appetitûs residet in facie dum rubore suffunditur, & metus sæpe corripit ventrem, imò totum corpus. Nam ejusmodi effectus derivant in partes exteriores à corde ipso ob peculiarem correspondentiam, quam habet cum omnibus partibus corporis, tanquam centrum cum suâ circumferentiâ, ejusdemquè partibus, in qua juxta earum dispositiones redundant ex appetitu residente in corde tales extimarum partium alterationes.

1583 Nec obest ampliùs, quòd appetitus sensitivus imperet motum, quo animal movetur in bonum sibi conveniens, adeoquè videatur residere in cerebro, tanquam in origine, & officina nervorum, ac spirituum deservientium tali motui. Nam ex eo quòd tales facultates inter se connexionem habeant, perinde ipsis est, sive in eadem, sive in diversis partibus resideant; siquidem homo, qui est agens ut quod, sibi objectum repræsentans per sensum in cerebro residentem, illud prosequitur, aut aversatur per appetitum qui in corde residet &c.

1584 Porrò quia appetitus sensitivus duplicem actum habet, prosecutionis nempe, & fugæ, ideo objectum ejusdem prosecutionis est solum bonum singulare, & sensibile, fugæ verò solum malum: in tale namque bonum fertur appetitus per prosecutionem quod à sensibus percipitur, & appetitui ab ijs proponitur, quale est solum singulare, ut patet satis ex supra dictis: quod idem de malo è contra dictum volumus ob eandem rationem: per quod etiam distinguitur appetitus sensitivus à rationali, seu voluntate, quæ etiam in universalia, & spiritualia tendit. Boni verò nomine hoc loco intelligimus id, quod est conveniens, & congruum naturæ, adeoquè potens allicere appetitum ad sui prosecutionem; quod communiter dividitur in honestum, jucundum, & utile: sicut è contra nomine mali illud venit, quod est secundum se ens defectuosum, imperfectum, & noxium naturæ quâ tali.

1585 Quod autem attinet ad distinctionem sensitivi appetitûs existimamus illum realiter unicum esse, cùm nulla sit ratio multiplicitatis alicujus realis; siquidem unicus sufficere potest ad diversos actus eliciendos; ut à pari ex dictis de sensu interno sufficienter ostendi potest. Rectè nihilominùs cum fundamento in re virtualiter extrinsecè distinguitur in Concupiscibilem, & Irascibilem; Nam ut communem prætereamus Philosophorum authoritatem, idem appetitus realiter, ut est principiativus diversorum actuum subit modò rationem concupiscibilis, quatenus fertur in bonũ sibi simpliciter conveniens; & fugit à malo absque eo, quod suis actibus vindicativè se habeat ullo modo circa impedimenta ad boni, in quod fertur, consecutionem: modò rationem irascibilis quatenus fertur in bonum arduum persequendo impedimenta ad illud intercurrentia vindicativè; quæ sufficiens dant fundamẽtum distinctionis virtùalis extrinsecæ jam dictæ. Et quia ex appetitu sensitivo tanquam à principio intrinseco, & formali, juxta communem ethicorum consensum propriè emanant passiones, meritò hic assignanda veniunt.

Ethico-Physici subjecti, seu hominis Passionum notio, quidditas, subjectum, & quotuplicitas.

Nomen

1580 NOmen paſſionis multipliciter à Philoſophis uſurpatur; propriè ab ethicophyſicis ſumitur pro actione appetitûs ſenſitivi ortâ ex imaginatione vel boni, vel mali ſenſibilis. Quoad rem rectè definitur, quod ſit motus vitalis ſenſitivi appetitûs ſecundum vel phantaſiam, vel apprehenſionem boni, vel mali, cum aliqua mutatione non naturali corporis. Per quam definitionem & Paſſio diſtinguitur à virtute, & vitio, quæ licèt inclinent ad proſecutionem boni, & fugam mali, non ideo tamen dicuntur paſſiones, quia non ſunt motus, & operationes, ſed potiùs inclinationes quædam ad inſtar potentiarum; & rursùs reijcitur illorum opinio, qui paſſiones meras opiniones, & judicia eſſe contendunt, perperam confun- 1589
dentes potentiarum cognoſcitivarum functiones; quæ tam quidditate, ut ex formalibus earum conceptibus, quàm realitate, ut liquet ex ſeparatione ſenſationis, & appetitionis, ſunt diverſiſſimæ. Ac demum per particulas illas, *cum aliquâ mutatione non naturali corporis* indicantur effectus formales Paſſionum, cum ex medicorum communi doctrina conſtet, cor animalis perenni dilatationis, & conſtrictionis motu cieri, paſſioneſquè oriri ex varia cordis mutatione; quando enim motus ille non ſervat modum, & menſuram connaturalem, ſed ab illa mediocritate excedit per exceſſum dicitur lætitia, amor, reliquæquè paſſiones, quæ circa bonum occupantur, & cor dilatant; quãdo verò per defectum, tunc oritur triſtitia, aliæquè, quæ circa malum verſantes cauſant remiſſionem in motu, atque adeo ipſam cordis conſtrictionem. Ex quo facilè intelligimus, 1590
quo pacto paſſio ſit cum mutatione non naturali corporis; quia ſcilicet cor à ſua diſpoſitione, ſeu motu naturali deijcitur: unde paſſiones, quæ cor dilatant, non adeo de lege ordinaria noxiæ ſunt, uti illæ, quæ illud contrahũt, cùm naturæ ſit magis conveniens dilatari, magis verò violentum coarctari, & contrahi.

Ut autem ſtatuamus ſubjectum Paſſionum
1587 humanarum, animadvertendum ducimus du- 1591
plicis eſſe generis Paſſiones in homine, ſpirituales nimirum provenientes immediatè ab ipſo appetitu rationali, ſeu voluntate, & connotantes ſolùm coñotionem corpoream exortam in appetitu ſenſitivo; quæ rursùs in triplici ſunt differentiâ, nempè perfectè liberæ, quæquè eliciuntur perfectâ cum advertentia; non liberæ, quæ libertatem præveniunt voluntatis, quales ſunt motus primò primi, & demum imperfectè liberæ ob tenuem aliquam præviam lucem, quales ſunt motus ſecundò primi; quarum paſſionum ſpiritualium ſubjectum immediatum eſſe voluntatem ipſam nemini dubitare fas eſt; niſi neſcienti omnem potentiam actuum immanentium eſſe immediatum eorundem ſubjectum.

1588 Aliæ paſſiones hominis ſunt materiales, de quibus hic propriè agimus, & cum brutis ferè communes; quarum ſubjectum immediatum rectè ſtatuimus eſſe, ipſum materialem, & ſenſitivum appetitum; quia ſcilicet per hujus actum proximè excitatur commotio illa corporea, à quâ nomen paſſionis deductum eſt; cujus actus immediatum ſubjectum ob rationem paulò antè inſinuatam, haud dubiè aliud eſſe nequit quàm appetitus ipſe: eſtò mediatum ſit cor, in quo, conſtat, ut priùs oſtendimus, omnem affectuum, & paſſionum perturbationem excitari; utpote quod fons eſt, & origo vitalium omnium operationum, omniumquè hominis affectuum officina.

Ex quibus contra ſtoicos, & quoſdam noſtri temporis Sectarios deducimus Paſſiones de ſe homini eſſe bonas, & ad bonum ipſius ordinatas; nihil enim per ſe eſt à natura cuiquam rei inſitum, niſi propter ipſius rei bonum; quâ ratione, ut diximus, appetitus ſenſitivus homini eſt à natura conceſſus ut proprium bonum proſequatur, & malum refugiat ſui deſtructivum. Quare non tantùm habere debuit appetitum Concupiſcibilem ad bonum facilè conſequibile, ſed & Iraſcibilem; ut ſi quæ occurrant in ejus aſſecutione impedimenta, illa evincere, & fortiter ſuperare poſſit. Sunt igitur paſſiones hominis utiles quia neceſſariæ ad opera virtutum exercenda; cùm vim quandam, & alacritatem ad id maximam conferant; nec rebus agendis idoneus ille eſt, qui amanda non amet; qui iracundiâ ubi opus eſt, non concitetur &c.

Neque obeſt quod quædam ſint paſſiones, quæ de ſe videntur eſſe malæ, & iniquæ, cujuſmodi eſt invidentia, quæ eſt triſtitia & dolor de bono alterius; hanc enim malitiam non habet illa præcisè ex ratione doloris, ut ſic, ſed tantùm ex ratione ſui ſpecifica, propriâquè differentia; vi cujus tamen non eſt mala, niſi merè materialiter præciſo conſenſu voluntatis.

Imo ex his ulteriùs deducimus in omnibus omnino hominibus reperiri paſſiones, eoſquè eſſe connaturali perfectione excellentiores, qui pluribus paſſionibus à natura ſunt donati. Quod ut aſſeramus argumento nobis eſt, tum benigniſſimus humanæ ſalutis aſſertor Chriſtus inter homines omnes etiam coñaturaliter perfectiſſimus, in quo paſſiones, & affectus fuiſſe diſertè docent cum Evangeliſtis S. Auguſtinus, & S. Thomas, ac Theologi communiter in tertia parte: Tum quia paſſiones etiam, cùm deliberatè vigent ex ſe non ſunt propriè malæ ſed bonæ, quibus ſi quis benè utatur pro inſtrumento, & medijs efficacibus ad præclara quæquè ſerviunt: undè qui hominem naturalibus his ad virtutem, ac magna quæquè opera adjumentis exarmant, apathiam-

thiamquè quâdam inducunt, hominem, ut ait D. Hieronymus epist: ad Ctesiphontem, ex homine tollunt, & in corpore constitutos volunt esse sine corpore.

1592 Quod autem pertinet ad quotuplicitatem passionum, ex Aristotele, quem sequitur D. Thomas 1. 2. q. 23. art. 1. constat præcipuas esse undecim, sex scilicet appetitûs concupiscibilis, Amorem, Odium, Desiderium, Fugam, Gaudium, & Tristitiam; quinque verò appetitûs irascibilis, videlicet Spem, Desperationem, Timorē, Audaciam, & Iram. Cujus divisionis sufficientia, & quidem quoad primam partem sic ostenditur: vel enim bonum proponitur potentiæ concupiscibili ut bonum absolutè tantùm, seu præcisè ut conveniens, & malum præcisè ut malum, abstrahendo, à præsentia, vel absentia, & tunc consurgit Amor erga bonum, odium verò adversus malum: vel proponitur bonum necdum habitum, & malum esse absens, imminens tamen, & tunc bonum allicit appetitum ad se quærendum per desiderium, malum verò excitat fugam, seu abominationem: vel tandem bonum proponitur appetitui ut præsens, & similiter malum jam præsens; & tunc appetitus fertur in bonum adeptum, & præsens per quandam tranquillam possessionem, quæ dicitur delectatio vel gaudium, cui opponitur dolor, seu tristitia, malum præsens aversans: ex qua comparatione tendentiæ vel aversionis appetitivæ potentiç in objectum oriuntur sex, nec plures nec pauciores passiones appetitûs concupiscibilis, ut constat. 1595

1593 Altera autem pars datæ divisionis ita demonstratur: si proponitur bonum absens arduum ad obtinendum, ita tamen ut non putetur superare appetentis vires, oritur spes: si verò existimetur bonum propositum difficilius, quàm ut acquiri possit, enascitur desperatio, quâ à boni prosecutione deficimus: circa malum versantur tres passiones reliquæ, si enim objcitur malum præsens, & superari posse ab appetente putetur, consurgit Ira, quæ inter cœteras utpote gravissima appetitui irascibili nomen fecit; quod si malum sit absens, & futurum, ac vitari non posse putetur exsurgit timor, quo à malo illo refugimus; at si malum existimetur vitabile audacia oritur, quâ malum aggredimur connitentes illud vitare. Ex qua sufficienti combinatione non nisi quinque irascibilis appetitûs passiones oriri satis est manifestum; cùm alia excogitari nequeat, quâ affectus, seu passio erga bonum, vel adversus malum erigatur, aut à tali erectione deficiat.

1594 Ex quibus quia facilè formari à quovis possunt dictarum passionum definitiones, & conceptus quidditativi, facilequè colligi earundem causæ, & effectus, cùm præsertim fusiùs ab alijs tractentur, & præcipuè à Theophylo Raynaudo in eruditissimis operibus, quæ in Ethicam Aristotelis evulgavit; hinc eas hic adferre supersedemus; unum tamen observantes, cùm Ethico-physicè de his agamus, causam physicam & genuinum principium, tot tamquè diversarum in homine passionum esse temperamenti, seu complexionis diversitatem, quatuor primarum qualitatum diversam combinationem, & commixtionem; parentum sanguinem communicatum proli in generatione pro varia generantium habitudine diversam sortitum temperiem; membrorum præterea, ac staturæ certam symetriam, ac configurationem; assuetudinem in alicujus passionis usu: ad hæc accedunt esculenta, poculenta, pharmaca, qualitas auræ, & climatis, aliaquè hujusmodi, quibus addendi cœlestes influxus, quatenus plurimùm valentes hac in parte. incitamenta item ex convictu aliorum, qui passioni alicui sunt valde obnoxij, & vel exemplo, ac factis, vel etiam morali impulsu alienam proritant passionem; nihil namque faciliùs, quàm ut in passionum probum, aut reprobum exercitium alter ab altero inducatur. Huc item referimus Musicam, & concentum Harmonicum, cujus vim efficacissimam esse ad concitandas præsertìm præcipuas crebra experimenta testantur: sed super hæc omnia temperamento sanguinis sese accommodant animi affectiones, ut eruditè ex Aristotele, & Galeno ostendit suprà citatus Raynaudus; nec absque sufficienti ratione.

1595 Si enim sanguis subtilis sit, & clarus in substantia, temperatus verò debitè in qualitate, materia est spirituum splendidorum, ex quibus ingeneratur major ad gaudium, & hilaritatem proclivitas; imò & ad conjunctos gaudio affectus, qualis præcipuè est amor, eumquè consequentes affectiones; eò quòd talis sanguinis temperies sit semota ab omni terrestreitate, & fœculentiâ; unde sanguinei, quorum est hæc complexio, sunt naturaliter læti, hilares, in conversatione amabiles, liberales, pij, benigni, ad risum proni, atque ad omnem, ut ajunt, Urbanitatem propensissimi.

1596 Quòd si sanguis subtilis quidem sit, & clarus, sed intemperatus ob prædominantem calorem, disponit ad iram, sed facilè mobilem; cùm facilè igneſcat ea materia, & ob tenuitatem facilè restinguatur ardor; disponit item ad audaciam, honorum appetentiam, arrogantiam, temeritatem, celeritatemquè igneā, ac impetum in rebus agendis; & hæc propriè dicitur complexio cholerica, cerniturquè in ijs, qui vultu rubent subfuscâ rubedine quali tingi solent illorum facies, qui potationi nimiæ indulgent; sicut enim in istis hæc vini, ita in illis complexionis fervore fusca illa exoritur rubedo &c.

1597 At si sanguis fuerit subtilis, & clarus, sed

intemperatus ob frigus prædominans; qualis est in phlegmaticis, in quibus naturalis aquoſitas phlegmatis dominatur, inclinat ad puſillanimitatem, timorem, ſomnolentiam, honoris contemptum, torporem iræquè tarditatem, & ineptitudinem ad gaudium, & audaciam; quæ omnia proficiſcuntur ex defectu caloris, & exiguitate ſpirituum caloris parcitatem conſequente, &c.

1598 Demum ſi ſanguis ſit craſſus, & calidus, ac inſuper turbidus ob tenebricoſitatem, ſive nigredinem, ingenerat propenſionem ad triſtitiam propter ſpirituum fœculentiam; & quamvis ad iram non facilè mobilis ſit, attamen ſi accendatur pertinaciſſimè eam fovet, propter craſſitiem, & immixtam choleram terreæ Melancholiæ. Verùm hæc delibâſſe ſuffecerit quoad Ethico-phyſicas hominis paſſiones, earumquè principia, & cauſas; pluribus namquè eas proſequi Phyſiognomorum, medicorumquè; ſicut quatenus bono, vel malo Theologico deſerviunt Theologici eſt inſtituti.

Phyſico-Ethici ſubjecti, ſeu hominis Potentiæ rationales, quâ tales.

1599 POtentias ſpirituales, quibus homo rationali informatus animâ ad operandum utitur dari, eaſquè triplices eſſe ſatis cuiquè oſtendunt actus, qui ab ijs procedunt: controverſum ſolùm manet an illæ realiter, an ſaltem ex natura rei, ſeu virtualiter intrinſecè defacto tam inter ſe, quàm ab anima, quæ earum eſt principium diſtinguantur; in quo partem negativâ, ut veriorẽ ſequimur. Tum primò quia ſi defacto daretur diſtinctio realis inter intellectum, & voluntatem ab invicem, vel ab anima, poſſet voluntas connaturaliter amare ſuum objectum, abſque eo quòd illud cognoſceret, nam voluntas ſic diſtincta nec intellectus eſſet, nec anima, & tamen amaret, cùm elicere poſſet ſibi coñaturaliter competẽtes actus, ideoq; amaret, quod non cognoſceret; contra coñune illud: nihil eſt volitum, niſi præcognitum.

1600 Tum ſecundò quia anima careret perfecto, & immediato Dominio ſupra ſuos actus, ſi ejus potentiæ rationales realiter ab illa diſtinguerentur, ſiquidem non poſſet illos impedire cum in illos immediatè non influeret, nec eos immediatè cauſaret, immediatum enim illorum actuum principium & cauſa eſſent potentiæ ab anima realiter diſtinctæ, non verò anima: tum demum quia potentiæ realiter diſtinctæ ab anima, eſſent & non eſſent animâ perfectiores: eſſent quidem, quia illæ ſolæ poſſent 1603 intelligere, reminiſci, velle, amare, mereri immediatè, Deumquè clarè videre, eoquè beatificè frui, quod anima realiter à potentijs diſtincta defacto præſtare non poſſet; non eſſent autem perfectiores, quia ex communi Authorum conſenſu, anima quidquid eſt in homine, imò quidquid eſt extra hominem, Angelis exceptis, perfectione longè ſuperat & excedit.

1601 Neque obeſt quòd ſic anima per intellectum vellet, & per voluntatem intelligeret; hoc enim in ſenſu reali, & identico verum eſt, etſi in ſenſu formali, & per rationem noſtram ratiocinatam admitti nequeat. Nec obeſt rurſùs quòd ſic anima, actu eſſet ſemper intelligens, & volens, ſicut ſemper eſt actu vivens, ex eo quòd vita ab ea non diſtinguatur: Contra ſiquidem eſt, quia hæc ratio nimiùm probat, cùm probet omnes alias potentias eſſe ſuos actus: calor enim v. g. eſt actus, & tamen re ipsâ eſt potentia calefactiva, ſive alterius caloris productiva; cur ergo licèt anima ſit actus, non poſſit eſſe etiam potentia, ſive quod idem eſt, actus ordinatus ad ulteriores ſuos actus? Deinde anima vivificat corpus in genere cauſæ formalis intrinſecæ, qui effectus ſuppoſitâ unione impediri nequit; adeoquè mirum non eſt, quòd habens animam ſemper vivat, & nihilominùs eadem anima in genere cauſæ efficientis exerceat opera vitæ; cujus effectus & impediri poteſt, & verò etiam ſæpiùs impeditur; ac conſequenter ſicut habens animam non ſemper habet omnia opera vitæ, ita licèt anima ſit identificata realiter intellectui, non tamen in genere cauſæ efficientis ſemper producet intellectiones &c.

1602 Neque obeſt demum, quòd ſubſtantiæ inanimes habeant potentias realiter à ſe diſtinctas, quibus conſequuntur ſuos fines, uti conſtat ex dictis in phyſico-mathematica de gravibus, & levibus. Nam paritas hæc nulla eſt, tum quia ſubſtantiæ inanimes non ſunt potentiæ vitales; tum quia illæ operativæ ſunt ad extra, non verò ad intra, ut anima; ex quo argumentum retorquemus in arguentes, qui admittunt univerſim eſſentias per emanationem producere ſuas proprietates: ſic nobiſcum docent aquam nullâ potentiâ mediante reducere ſeſe ad ſuam frigiditatem ex eo, quòd hæc ſit operatio ad intra, adeoquè ſi conſequenter loqui velint, nobiſcum etiam dicere debent nullam ſubſtantiam prorſus, ut ad intra operetur, egere potentijs realiter à ſe diſtinctis; adeoquè cùm intellectiones &c. ſint operationes ad intra, ad eas exercendas nullis realiter à ſe diſtinctis potentijs anima indigebit. Quin nec diſtinctis formaliter ex natura rei, aut virtualiter intrinſecè, ſiquidem pro tali diſtinctione defacto nec rationem nec neceſſitatem ullam dari infrà in Metaphyſicâ oſtendemus.

1603 Diximus defacto; nam de poſſibili, & abſolutè loquendo potentias animæ ab ea realiter vel ſaltem ex natura rei diſtinctas dabiles eſſe nobis videtur probabilius; cùm enim poſſibiles ſint animæ rationales ſpecie inter ſe diſtin-

stinctæ, non videtur ratio quare talis specifica distinctio in eo nequeat consistere, quòd animæ hujus speciei habeant à se realiter, vel ex natura rei distinctas potentias quam distinctionem non admittunt animæ illius speciei, quæ defacto datur, Possibilitatem item talium animarum positivè suadent tum distinctæ potentiæ per quas formæ aliquæ inanimes defacto operantur: tum recepta doctrina Theologorum docentium potentiam loco motivam. *1607* Angeli realiter distingui ab ipsa substantia Angeli. Nec argumenta quæ in oppositum adferri solent, aliud evincunt, quàm quod defacto potentiæ animæ indistinctæ ab illa sint, prout & ipsi paulò ante ostendimus.

Physico-Ethici subjecti, seu hominis intellectus.

1604 UT à potentijs rationalibus quâ talibus ad magis particularia deveniamus ordimur ab intellectu, quem dicimus esse potentiam, seu facultatem cognoscitivam spiritualem secundum se independentem ab organis corporeis: Cui nostræ assertioni ita adstipulatur communis sapientum consensus, ut sapientissimus Suarez asserat, neminem esse tam barbarum, & immanem, ut illi audeat contradicere. Et ratio sufficientiæ illius est, quòd per hæc prædicata essentialia à potentijs tam sensitivis, quàm non cognoscitivis intellectus adæquatissimè differat, ut cuilibet primò intuitu eam consideranti fit manifestum.

1605 Excellentissimæ porrò hujus sententiæ objectum adæquatum defacto est omne id, quod participat quomodolibet rationem entis, sive illud sit reale & positivum, sive negativum, sive possibile, sive impossibile, sese illi manifestans sub ratione cognoscibilis, seu per proprias, seu per alienas species. Intellectum namquè & ens ut sic, & ens quodlibet distributivè acceptum attingere posse ostendit universalissima inductio, quâ constat nihil prorsus esse excogitabile, circa quod defacto versari nequeat; cùm omnia quæ intellectui proponuntur, apprehendere ille possit, de ijs judicare, aliasquè suas operationes circa ea exercerè, ob intrinsecam, quam illa in se habent conoscibilitatem; quæ ita omnibus entis rationem participantibus est insita, ut

1606 Implicet quidquam dari intrinsecè incognoscibile, seu in se inintelligibile; quæ implicantia non tantùm elucet ex Divina omniscientia, quam nihil omnino latet, nec latere potest; verùm etiam inde quòd hæc propositio: omne quovis modo inconceptibile est omni modo incognoscibile, sit in terminis sui ipsius destructiva; ad hoc enim ut intellectus faciat talem propositionem, debet necessariò *1609* cognoscere aliquo modo objectum verificativum ipsius, quod est inconceptibile, & incognoscibile; adeoquè id cognoscit intellectus; repugnat autem ut intellectus cognoscat aliquid, & illud ab intellectu non cognoscatur, nec cognosci possit: inconceptibile igitur, & incognoscibile, quod est objectum verificativum positæ propositionis esset conceptibile, & cognoscibile, in quo est manifesta repugnantia.

Ac consequenter propositiones omnes, quæ fiunt de incognoscibili non solùm materialiter, seu grammaticaliter, sed philosophicè, & formaliter sunt significativæ; cùm ex parte objecti verificativi non sola vox, sed id quod per vocem significatur importetur; quod aliud non est, quàm intrinseca aptitudo entis alicujus ad terminãdam realem cognitionem: ex parte verò subjecti ipsum tale ens apprehẽsum cum reali negatione eidem applicata extrinsecè per primam intellectùs operationem; uti patet clarè ex exponente hujus propositionis: omne quovis modo inconceptibile est incognoscibile: quæ est: ens aliquod habens negationem extrinsecam realis aptitudinis ad terminandam cognitionem, intelligi non potest: seu clariùs; nulla realis cognitio possibilis ob extrinsecum impedimentum terminari potest ad ens, quod aliàs intrinsecè, & essentialiter remoto obice esset intelligibile: cujus exponentis ratio est, quòd eo modo se habeat illa negatio affixa per intellectum enti cognoscibili, quoad ponendam, vel tollendam intrinsecam ejus cognoscibilitatẽ, quo modo se haberet decretum, quo Deus statueret, ut nullum ens amplius cognosceretur, quod decretum haud dubiè non redderet intrinsecè ens tale incognoscibile, ut manifestum est.

1608 Neq; obest quòd videatur intellectus eo modo cognoscere incognoscibile, quo modo cognoscit impossibile; hoc est sicut debet supponere ex parte objecti impossibile esse non posse, ita ex parte objecti, ipsi supponendum sit incognoscibile non posse cognosci: Paritas namquè ista in eo est dispar, quòd incognoscibile dum enuntiatur ab intellectu, necessariò supponi debeat aliquo modo cognosci, cùm omnis enuntiatio sit essentialiter alicujus de aliquo affirmativa, vel negativa cognitio; adeoquè si quodammodo illud incognoscibile supponitur incognoscibile, tale tantùm supponitur esse incognoscibilitate extrinsecâ, non intrinsecâ, in quo nulla involvitur implicantia, ut constat. Plura quæ hoc loco adferri possent de diversis operandi modis humani intellectûs, deq; illius à sensibus, & phantasmate, dum in hac vita operatur dependentia, alijsquè hujusmodi, in præcedentibus sparsim, & præsertim in Logica sunt indicata.

1609 Solet autem cum fundamento in re dividi intellectus in Agentem & Patientem; nec malè,

malè, ſiquidem intellectûs agentis nomine intelligimus illam facultatem, quæ abſtrahit ſpeciem impreſſam ſpiritualem à phantaſmatibus, ſive quod idem eſt, quæ dependenter ab operatione ſenſitiva, tanquam à conditione ſine qua non in hac vita ſpeciem impreſſam ſpiritualem efficienter producit: Intellectus verò patiens, ſive paſſibilis ille dicitur, qui talem ſpeciem recipit, & per eam formaliter conſtituitur in actu primo proximo ad ſpeciem expreſſam, ſeu formalem vitalem cognitionem eliciendam. Agentem autè dari à paſſibili per rationem noſtram diſtinctum conſtat tum ex eo, quòd nulla alia cauſa (niſi ad perpetua miracula recurrere velimus) ſpecierum intellectualium aſſignari poſſit: tum quia nulla potentia cognoſcitiva producit in ſe primum formale ſuæ cognitionis principium, ut conſtat per ſingulas diſcurrenti. Cùm igitur intellectus paſſibilis ſit potentia formaliter vitaliter cognoſcens, principiumq; ſuæ expreſſæ cognitionis, & id per quod ponitur in actu primo proximo ad illam ſit ſpecies ſpiritualis impreſſa, bene ſequitur eam ab ipſo primò non produci, ſed admittendum eſſe intellectũ agentem cui talis ſpeciei effectio tribuatur.

1610 Quod verò dentur hujuſmodi impreſſæ ſpecies intellectuales patet, tum à pari ex dictis ſuprà de ſenſibilibus, tum quia intellectus licèt nunquam in hac vita operetur niſi operante phantaſiâ, ad cognitionem tamen ſpiritualẽ determinari ſufficienter nequit à phantaſmate materiali, ſed requirit determinativum, quòd ejuſdem ſecum ſit ordinis; alioquin nulla eſſet ratio cur etiam voluntas à cognitione ſolùm ſenſitivâ moveri non poſſit ad amandum objectum: tum quia cùm intellectus ſit potentia reflexiva, & actus ſuos cognoſcere poſſit diverſimodè, ideo neceſſariò dari debet in eo aliquid à quo determinetur ad illos præſertim prætentos cognoſcendos, quod aliud eſſe non poteſt, quàm ſpecies ab actibus præcedentibus in intellectu relictæ: tum demum quia potentiæ cognoſcenti uniri debet objectum intentionaliter, quod nullâ aliâ ratione connaturaliter fieri poteſt, quàm per ſpecies impreſſas intelligibiles. cùm enim intellectus ſit potentia ſpiritualis, non poteſt illi conjungi objectum materiale, niſi per eſſe aliquod ſpirituale ſpeciei à ſe productæ.

1611 Neque obeſt quòd ſicut ſpecies phantaſticæ excitare poſſunt intellectum agentem ad formandam ſpeciem impreſſam intelligibilem, ita eædem poſſunt excitare intellectum paſſibilem ad eliciendam expreſſam, ac vitalem objecti cognitionem. Diſparitas ſiquidem in eo eſt, quòd intellectus paſſibilis ſit in potentia, & incompletus formaliter intrinſecè ad eliciendam cognitionem formalem; adeoquè formaliter debeat compleri non per ſpeciem materialem, qualis eſt phantaſtica, ſed per ſpiritualem, qualis eſt producta ab intellectu agente, qui intellectus agens ſe ſolo, eſt ſufficienter aptus in actu primo proximo ad eliciendam ſpeciem impreſſam, hoc ipſo quòd vitalis hæc non ſit objecti imago, quam format, poſitâ ut conditione ſine qua non extrinſecè excitante, & diſponente ipsâ ſenſibili ſpecie.

1612 Ex quo patet ſpeciem impreſſam intellectualem reſpectu intellectûs patientis, ad hoc ut ſit in actu primo proximo habere ſe ut rationem formalem completivam formaliter illius potentiæ, & ſublativam indifferentiæ, ſpeciem verò phantaſticam reſpectu agentis ſe habere ſolùm, ut conditionem ſine qua non neceſſariò requiſitam, non ſecùs quàm applicatio requiratur ad hoc, ut ignis v. g. ſtupam comburat.

1613 Nec obeſt denuo quòd non dentur ſpecies impreſſæ in voluntate; Potentia enim intellectiva ex natura ſua hoc habet, ut uniat ſibi ſuum objectum, ipſumquè requirat tanquam comprincipium cognitionis à ſe producendæ. Quare cùm nequeat ſibi unire immediatè objectum extrinſecum, neceſſe eſt ut id faciat per ſpeciem: at voluntas contrario operatur modo, affectivo nempe quaſi quodam motu extra ſe abiens, ſeſeq; objecto conjungens: ad quod ſufficit cognitio objecti voluntati extrinſeca, cum qua naturalem quandam, & ſimpathicam voluntas habet ſubordinationem.

1614 Nec obeſt demum quòd ſpecies impreſſæ poſt elicitam vitalem cognitionem manentes in intellectu, redderent hunc ſemper completum in actu primo proximo ad intelligendum. Nam ex hoc minimè ſequitur, quod inferunt adverſarij intellectum eſſe ſemper actu intelligentem, ſiquidem ſenſus non ſemper operatur circa idem objectum, quod juxta effatum Ariſtotelicum ſuprà relatum eſt neceſſarium. Imò dici poteſt, quòd ſicut in ſtatu ſeparationis intellectus neceſſariò percipit ſuas ſpecies, & pro voluntatis arbitrio nunc iſtam, nunc illam elicit cognitionem, ita idem proportione ſervatâ præſtet in hac vita, cùm & modò intellectus, quoad omnes ſuos, & præſertim reflexos actus, ſubjaceat voluntati.

Phyſico-Ethici ſubjecti, ſeu hominis actualis intellectio.

1615 INtellectionem, quæ propria eſt intellectûs humani operatio, & communiter dicitur cognitio formalis vitalis objecti ab ipſo intellectu vitaliter expreſſa, probabilius cenſemus conſiſtere formaliter in qualitate abſoluta, abſque actione diſtincta eſſentialiter dependente ab intellectu, ita ut ſeipsâ ſit ſui actio, & unio cum illo. Quam noſtram probabiliſſimam

mam assertionem, & Aristot. tradit 9. Metaph. ubi expressè intellectionem vocat usum, & exercitium intellectûs, aitquè eam carere termino à se realiter distincto: assignansq; differentiam inter hanc, & alias actiones, utitur exemplo visionis, & ædificationis dicens: quòd usus in ædificatione præter ipsam actionem ædificandi producat ædificium, quod sit terminus talis actionis, eâ visione verò præter usum nullus alius terminus ab ipsa distinctus actione reperiatur. *1618*

1616 Cui doctrinæ insistentes confirmamus nostri dicti veritatem, ex eo quòd intellectio sit quædam repræsentatio, & imago objecti vivo modo illud exprimens, & comprehendens, ac talis quæ involvat actualem animæ attentionem, conatum, & operationem carentem termino à se distincto, cùm actio intellectiva sibi habens identificatam rationem imaginis nullum habere possit terminum à se distinctum, quem ipsa respiciat: ratio enim ipsa vitalis imaginis essentialiter per se ipsam dicit respectum ad suum principium effectum per exigentiam actualis dependentiæ ab illo secum identificatam, cùm vitalitas ipsa actûs, seu actus ipse vitalis per hoc distinguatur essentialiter ab actu non vitali, quòd ipse ita ex principijs suis intrinsecis exigat procedere à suo principio in quo recipitur, ut illi suum tribuat effectum formalem intrinsecum, quod non exigit non vitalis; hoc est si eadem entitas intellectionis, quæ defecto ab intellectu nostro elicitur poneretur à Deo vel in lapide, vel etiam in ipso intellectu, non redderet lapidem aut intellectum vitaliter intelligentem, eò quòd reciperetur tanquam in subjecto inhæsionis à lapide, aut intellectu, non tamen ab illis produceretur; sicut è contrà si poneretur idem frigus in aqua, quod defacto ab illa emanat, à quocunque demum agente, præstaret aquæ omnem illum formalem effectum, quem defacto præstat. *1619* *1620*

1617 In quo propriè consistere rationem vitalitatis constat, tum inde, quòd alius nullus differentialis conceptus sit assignabilis per quem vitalis actus à non vitali distinguatur; tum quia per ipsum optimè explicatur primò, quo pacto infusio gratiæ, & productio specierum impressarum in intellectu vitalis non sit, cùm id fiat per actionem ab ipsa gratia, & speciebus distinctam. Deinde assignatur bene distinctio inter actus vitales intellectuales, & vitales non intellectuales; quia scilicet intellectiones procedunt se ipsis ab intellectu, & in eo immediatè recipiuntur. Et demum cur intellectio à Deo producta, & animæ infusa, non reddat tamen animam vitaliter intelligentem; sicut & illa, quæ ab anima producta extra illam à Deo, conservaretur; quia nempe talis non esset essentialis sui dependentia, & connexio cum anima. *1621*

Quòd si quis contra nos arguat ab intellectione Divina non importari actionem; facilis est responsio per assignationem disparitatis desumptæ tam ex communi prædicato intellectionis creatæ dependentis essentialiter à principio à se realiter distincto; quàm ex proprio, & speciali, ratione cujus quidquid aliud adferatur omnino superfluum est, & planè non necessarium; uti à pari constat de productione animæ rationalis, Angeli, aliorumquè entium, quæ in fieri, esse, & conservari immediatè se ipsis à solo Deo dependent, absque ullo alio superaddito.

Quòd autem quidam hîc adlaborent in assignando termino intellectionis, quem vocant Verbum mentis, quia id Theologici potius est negotij, quàm Philosophici, ideo contra eos agere supersedemus, contenti illa admonitione, quâ Philosopho-Theologos illos cupimus memores secundam & Tertiam personam Sanctissimæ Triados verè, & propriè intelligere, & tamen intellectione suâ nullum producere Verbum. Quæ verò ulteriùs hîc dici possent de divisione intellectionis, varijsquè cognitionum differentijs, & proprietatibus, quia partìm in præcedentibus, & præsertim in Logica insinuata sunt, ideo pluribus ea prosequendo non immoramur.

Physico-Ethici subjecti, seu hominis Memoria.

1620 ALteram humanæ animæ potentiam ab ipsa, & intellectu realiter indistinctam, per quam rerum jam cognitarum recordamur, illos rursus cognitioni nostræ subijciendo, rationalem esse memoriam satis est manifestum, tum ex dictis, tum quia nulla est necessitas distinguendi magìs memoriam ab anima, quàm ab ea intellectus, vel voluntas distinguatur; tum quia recordari, aliud nihil est, quàm ea sibi repræsentare iterum, quæ jam priùs cognita fuerant; qui cognitionis actus ad aliam realiter potentiam non spectat, quàm ad intellectum; qui tamen quatenus ab illo conservantur species rerum intellectarum, quæ recordationi, seu reminiscentiæ deserviunt à nobis dicitur memoria; atque ob id cum fundamento in re per distinctionem virtualem extrinsecam tantùm ab ipso intellectu, quatenus primò productivo specierum tam impressæ, quàm expressæ distincta.

1621 Nec obest quòd communiter post Aristotelem, & D. Augustinum loquamur de memoria tanquam de facultate distincta ab intellectu ipso; Hoc enim tantum facimus juxta comunem usurpationem nominis memoriæ; juxtaquè id, quod connotat illa in obliquo, quatenus per conservatas species rursus res, ipsiquè actus cogniti novæ subijciuntur cognitioni

1622 Imò nec obeſt ratio imaginis Divinitatis, quæ dicitur reperiri in anima noſtra; cùm hæc imago concipienda non ſit reſpectu trium potentiarum realiter diſtinctarum comparativè ad tres perſonas Divinas realiter diſtinctas, ut vulgò explicari ſolet; ſed potiùs ſumenda eſt hæc ſimilitudo reſpectu actuum animæ noſtræ, ita ut comparatio taliter efferatur: ſicut ab eâdem anima actus intellectivus, memorativus, & volitivus inter ſe realiter diſtincti prodeunt; ſic in eadem Divina natura tres perſonæ realiter diſtinctæ reperiuntur, ut fuſiùs Theologi in materia de Trinitate.

1623 Objectum porrò memoriæ intellectualis eſſe omnia illa, quæ priùs cognita fuerunt, ipſoſquè actus, per quos ea cognovimus, conſtat tum ex dictis à pari de memoria ſenſitivâ; tum quia non minùs fertur in cognitionem præteritam hæc potentia, quàm in ejus objectum; quod patet magis, quia dicimus nos rei alicujus recordari, tametſi ſit adhuc præſens, aut planè futura, quatenus recolimus cognitionem, quam antea de re tali habuimus.

1624 Neque obeſt, quòd non recordemur rerum omnium, quas aliquando novimus; Nam hoc indè evenit quòd in hac vita nullum exerceamus actum memoriæ intellectivæ, abſque eo quòd ſenſitiva memoria etiam coöperetur; adeoquè licet ſpecies illius ſemper maneant eædem, quia ſunt in ſubjecto incorruptibili, defectu tamen ſenſitivæ memoriæ, cujus ſpecies intereunt, vel ex eo, quòd non bene imprimantur, vel ob defectum organi, vel ob remiſſionem, ſeu inattentionem apprehenſionis; vel ob calorem naturalem conſumentem decurſu temporis humidum, aliaſquè multas ob cauſas incidentes, in nobis oritur defectus ille oblivionis.

1625 Ex quibus patet ratio 1. cur quæ externis ſenſibus percipimus nõ omnia memoriæ commendentur? 2. cur ea, quæ alijs rebus intenti, vel etiam ſomniantes apprehendimus facilè obliviſcamur? 3. cur ebrij, irati, & timore perculſi ægrè eorum recordentur; quæ ipſis, dum ſic affecti eſſent, acciderunt? 4. cur juvenes melioris ſint memoriæ, quàm ætate provecti? 5. cur qui noctes inſomnes ducunt minùs memoriâ polleant? & demum 6. cur eorum, quæ amamus, recurrat ſæpè memoria, & difficulter eorundem obliviſcamur?

Phyſico-Ethici ſubjecti, ſeu hominis Voluntas.

1626 VOluntatem, uti Memoriam, & Intellectum eſſe potentiam naturæ rationalis ab ea realiter indiſtinctam, per quam appetimus bonum, malumquè refugimus, prout ab intellectu in hac vita ipſi repræſentatur, & authoritate, & ex paulò ante dictis in ſimili, eſt manifeſtum. Illius objectum, cùm duplices illa actus exerceat proſecutionis ſcilicet, & fugæ, in ordine ad illos eſt bonum, ſeu re ipsâ, ſeu repræſentatum tale; in ordine vero ad iſtos è contra eſt malum; non ſecùs, quàm objectum intellectûs aſſentientis ſit verum, diſſentientis verò falſum. Circa quæ eoſdem exercet actus voluntas, quos ſenſitivum appetitum elicere ſuprà diximus; cum ea tamen differentia, quòd voluntas, utpote potentia libera tam libertate contrarietatis, quàm contradictionis poſſit poſitis omnibus ad agendum requiſitis agere, vel non agere pro libitu.

1627 Ita quidem, ut nulla res creata ſuperſtite judicio indifferenti poſſit voluntati humanæ eripere expeditam poteſtatem libertatis, quâ ipſa pollet, ſi enim aliquid creati id poſſet, vel eſſet appetitus rebellans; & hic non, quia ut ait Ariſtoteles, 1. Politic. ille ſe habet ad voluntatem tanquam ſervus ad Dominum, ſeu tanquam aliquid imperfectius, & vilius ad perfectius, & nobilius; id autem quod imperfectius eſt perfectiori vim inferre nequit, ut conſtat.

1628 Vel eſſet habitus aliquis conſtanti aſſuetudine radicatus; & id pariter dici non poteſt; quia vis, & efficacia habitûs voluntati adventis, nec conſumit, nec minuit vim innatam potentiæ, quin potiùs confert ipſi facilitatem eliciendi actum, poſito quòd ipſa ad operandum ſe determinet. Vel practicum judicium volitioni immediatè prævium; & id etiam minimè, cùm ipſum ſit radix quædam libertatis. Vel, ut maximè Aſtrologi contendunt, id poſſent ſydera, & cœleſtia corpora, ſeu ut alij, gemmæ, germina &c. Verum quantùm à vero hi aberrent patet tum ex dictis in Phyſico-Mathematica; tum quia nulla cauſa materialis, cujuſmodi jam dicta ſunt, directè, per ſe, & connaturaliter poteſt agere in rem immaterialem, utpote cum illa non habens proportionem requiſitam agens inter & paſſum.

1629 Sed nec Intelligentiæ à ſua dimovere libertate valent humanam voluntatem; ſi enim id poſſent, actio, ad quam voluntatem cogerent, voluntaria eſſet, & involuntaria, libera, & coäcta, ut conſtat; eſſet namquè contra inclinationem voluntatis, hoc ipſo, quòd coacta, & violenta foret; eſſet verò voluntaria, & libera, quia haberet ſui principium intrinſecè liberum, ex cujus inclinatione neceſſariò provenire deberet. Quæ implicantia reſpectu etiam Cauſæ Primæ efficax eſt, vi cujus illa cogere nequit voluntatem noſtram ad aliquam moralem culpam, uti communis tenet Theologorum conſenſus; unifõrmiter ad principia fidei, & ſanctorum Patrum doctrinam, quâ tradunt liberum arbitrium, quo prædita eſt humana voluntas, nec qualitate ullâ phyſica prædeterminari antecedenter ad ipſum actum, ſeu actuale exercitium.

Imò

1630 Imò nec gratiæ alicujus efficaciâ, neq; efficaci aliquo decreto Divinæ volũtatis absolutæ, & antecedẽter nostras liberas actiones prædefinientis, absq; eo, quòd libertas perimatur, & Hæreticorũ nostri temporis inducatur fatum, ac necessitas antecedens, quę libertati intrinsecè, & essentialiter repugnat, utpote formaliter ipsius destructiva; quidquid enim per sui positionem ita est essentialiter coñexum cum operatione secutura, ut hæc ad illud nequeat non sequi, libertatẽ formaliter tollere, nemo sapiẽs diffitebitur, gnarus præsertìm eorum, quę fusè Theologi demonstrant in primam 2.dæ ubi de Libero, Voluntario, Involuntario, cœterisquè humanis actibus agunt; quò etiam remittimus eos, qui plura de his nosse cupiunt; nobis namquè ea indicâsse sufficit.

Physico-Ethici subjecti, seu hominis quâ talis, ut humanos suos liberos exerceat actus adminicula acquisita.

1631 ACturi de auxilijs illis, quibus homo indiget humanos suos ut exerceat actus, juxta naturæ suæ, rectæquè rationis dictamen, ne philosophicam, ut ajunt, falcem in Theologicam mittamus messem, nihil hîc de gratiosè à Deo concessis supernaturalibus homini donis, seu externa illa sint, seu interna; ac cum ordine ad Beatitudinem supernaturalem; multò minùs de gratia habituali, & justificante, aut etiam de actuali, quæ humanam voluntatem secundum se insufficientem elevat ad statum naturæ creatæ indebitum, eam excitando, & adjuvando ad actus virtutum supernaturalium eliciendos; nihil, inquam, de donis gratiosè ad opera vitæ æternæ meritoria requisitis, seu etiam quæ creationis vocant agemus; verùm de his solis, quæ intra terminos suos Physico-Ethica liberalissimè suppeditat homini modo humano operanti.

1632 Quorum alia sunt insita, ut ipse naturalis instinctus, cujus quidditatem, & essentiam jam in Physica explicuimus: Universalis item Dei concursus, de quo aliquid in Metaphysica insinuabimus: Facultates, & operationes naturales, quarum natura jam in præcedentibus, quantum satis fuit nostro instituto declaravimus. Alia sunt acquisita, cujusmodi sunt habitus virtutum, ipsarumquè actuale ad morum regulam exercitium. Externa alia, & directiva, ut Politicum Regimen, Leges, cœteraquè his similia, de quibus hîc paucula subnectemus.

1633 Et imprimis quidem de habitibus virtutum dicimus, eorum existentiam tam in intellectu quàm in voluntate, & communi philosophorum consensu, & experientiâ intellectuali esse manifestam; experimur namque intellectum, & voluntatem, dum sœpius operantur, acquirere facilitatem quandam, quâ instructæ potentiæ illæ, similes prioribus actus promptiùs exercent; quæ facilitas nomine habitûs importata oriri debet neeessariò ab aliqua qualitate permanente post actum; alioquin eadem potentia, eodem modo semper manens, eodem quoque modo semper operaretur.

1634 Ex quo patet in quonam essentialiter constituenda sit quidditas habituum naturaliter acquisitorum: nimirum non in speciebus ipsis impressis, ut plerique autumant; tum quia voluntas suos habet habitus, & tamen nullis est prædita impressis, vel expressis speciebus; tum quia species impressæ, quibus habitus identificarentur, de se necessariæ sunt, tanquam principia formalia, ultimoquè complentia potentiam ad operandum; quam necessitatem habitibus respectu potentiæ nemo attribuit: tum demum quia positâ etiam impressâ specie, potentia difficultatem patitur in operando, ut intellectuali constat experientiâ.

1635 Multò minùs dici possunt habitus consistere formaliter in specie expressa, prout dicitur aliquatenus remanere, tum ob rationem paulò antè insinuatam de habitibus voluntatis; nulla siquidem videtur esse urgens ratio, aut necessitas, quæ cogat diversam constituere essentiam quoad conceptum quidditativum, & universalem habituum voluntatis, & diversam habituum intellectûs: tum quia species expressa est formalis vitalis repræsentatio objecti suo modo ab habitu dependens, tum demum quia illa est id, quo formaliter vitaliter potentia tendit in objectum, quod dici de habitu nullo modo potest.

1636 Restat igitur habitus naturales essentialiter consistere in qualitate quadam intensivè divisibili acquisita, & producta per ipsam actuum frequentationem in illa potentia, à qua eliciuntur actus, quod nobis suadet præter plurimorum post Aristotelem Philosophorum authoritatem, multiplex ratio. Primò enim talis facilitas tenet se ex parte potentiæ, & non objecti, uti impressæ species. Deinde habitus naturalis acquisitus nunquam supponi potest ex natura rei ad primum actum, cùm semper ex aliquo actu oriri debeat, juxta receptam Aristotelis doctrinam 9. Metaph. Tertiò habitus intenditur physicè tam per actus à quibus producitur, quàm per actus, quos producit, quod nulli alteri; quàm qualitati convenire potest. Quartò, habitus est facilitas intentionalis ad actus in eo sita, quòd conatum potentiæ imminuat, & cum ea partialiter concurrat, vicesquè illius ex parte gerat, quod in aliud nihil refundi potest, quàm in qualitatem tenentem se ex parte potentiæ. Quintò, demum à pari ex habitibus infusis quos esse qualitates permanentes nemo prudens negaverit,

rit, sciens, quòd à sacra Oecumenica Tridentina Synodo definitum sit, gratiam habitualem esse qualitatem physicam permanentem; adeoquè ut consequenter loquamur, cur non asseramus idem de reliquis omnibus habitibus etiam acquisitis?

1637 Neque obest, quòd si habitus acquisitus consisteret essentialiter in qualitate, non una, sed multiplex qualitas illa foret: nam loquendo da habitu acquisito naturali, in quo sensu accipimus instantiam, eam omnino admittimus, dicimusquè eam ex pluribus partialibus qualitatibus, tanquam partibus sui integrantibus conflari, prout patere potest & ex dictis de habitibus Logicæ, & Physicæ: & quia habitus totalis respicit plura objecta motiva partialia diversa, ut constat; adeoquè necessariò debet continere in se plures habitus partiales, qui respiciunt, & specificantur à talibus motivis; sicut dantur diversi habitus virtutum moralium, ut statim dicemus, ex eo quòd respiciant diversa objecta formalia. Accedit quòd habitus acquirantur successivè, ita ut primus actus producat aliquid habitûs, & secundus rursus aliquid, ac sic deinceps; prout addiscentium scientias manifesta docet experientia.

1638 Neque obest quòd sic actus deberent esse causa adæquata habituum: Nam hoc non sequi patet inde, tum quia absente actu potentia conservat habitum, ne conservatio habitûs vitiosi in solum Deum refundatur; tum etiam, quia si potentia reijceretur à concursu cum actu in habitum, causa sæpiùs esset imperfectior suo effectu, cùm habitus ut plurimùm sit, actu ipso entitativè perfectior.

1639 Nec obest ampliùs, quòd habitus dici nequeat nec terminus intrinsecus, nec extrinsecus potentiæ, actusquè vitalis: Nam dicimus illum dici debere terminum extrinsecum, non secùs quàm sit calor respectu calefactionis, quâ ignis se ipsum calefacit: actus enim vitalis habet duos terminos internos, unum qui dicitur, proportionaliter ad comunem distinctionem intrinseci, & extrinseci, intrinsecus, qualis est ipsa intellectio, vel volitio vitalis; alter qui dicitur extrinsecus, qualis est habitus, qui respectu ipsius intellectionis, vel volitionis, est terminus extrinsecus, quatenus scilicet est extra rationem vitalitatis.

1640 Neque obest demum, quòd si habitus essent essentialiter qualitates deberent admitti esse in potentijs sensitivis, & appetitivis. Nam posse probabilius concedi hanc sequelam inde nobis suadetur, quòd videamus plurimas belluas disciplinæ capacissimas, quæ pluriumactuum exercitio alijs similibus eliciendis assuescunt, quos postea facilius, & promptius, ac majori cum dexteritate exercent; tum quia recordantur præteritorum facilè, quod aliunde provenire non potest, quàm à facilitate aliqua stabili, ac permanente: tum quia experientia scriptorum, cytharœdorum, saltatorum &c. id manifestè comprobat; in quorũ membris post frequentatos actus reperitur summa facilitas, quam prius non habebant, ad actus hujusmodi denuo exercendos, licèt totaliter alibi distractis sensibus, & potentijs interioribus. Ubi tamen advertendum ducimus tales facilitates in potentijs sensitivis non vocari nomine habituum, sed solùm illas quæ vel dominio rationis immediatè subsunt, vel cum eo sunt conjunctæ. In quo nequit esse alia lis, quàm de nomine orta ex eorum placito, qui rebus nomina imposuêre.

Physico-Ethici subjecti, seu hominis Virtutes.

1641 Virtutum notio multipliciter usurpatur; Physico-Ethicis accipitur pro ijs qualitatibus, per quas Potentiæ humanæ disponuntur ad actus propriæ naturæ consentaneos rectè exercendos: Aliæ ex ijs infusæ sunt, acquisitæ aliæ; & harum quidem intellectuales aliæ, aliæ morales: hæ in appetitu, illæ in intellectu residunt: differunt ab invicem, quòd Morales habentem simpliciter bonum reddant: hinc nomen sortitæ, eò quòd mores, seu actus humanos componant. Pressè sumptæ tres tantùm pro triplici facultate appetente numerantur; Justitia enim Voluntatis; Temperantia appetitûs Concupiscibilis, Fortitudo Irascibilis actus moderatur; at latiori aliquatenus in significatione sumptis his tribus virtutibus etiã Prudentia adnumeratur; propterea quòd earum regula sit, habeatquè connexionem necessariam cum ijsdem; siquidem omnis virtutis actus necessariò esse debeat prudens; & simul per hunc virtutum quaternionem rectè homo ordinetur: cùm Prudentia rationem; Temperantia, & Fortitudo utrumquè appetitum, Justitia deniquè in ordine ad alterum dirigat Voluntatem.

1642 Porrò has esse veras, & in rigore dictas virtutes, quidquid contra erroneè deblaterent nostri ævi Sectarij, patet tum ex eo, quòd contraria doctrina damnata sit à summis Pontificibus; tum ideò quòd sint ad actus moraliter bonos, seu rectæ rationi consentaneos, ut manifestum est: tum etiam quia sunt generales quædam rectitudines, quæ in bonis actibus necessariò reperiri debent; sic namquè omnis humanus actus debet esse prudens, ne aberret per inconsiderationem, aut incuriam à recti tramite: debet esse justus, ne aliqua inferatur alterius juri injuria; debet esse moderatus, ut servet modum à ratione præfinitum in cupiditatibus; & demum esse debet fortis, ac constans in ijs, quæ frequenter occurrunt, difficultatibus superandis.

Rectè

1643 Rectè autem ab Aristotele 2. Eth. cap. 6. ut plures alias virtutum prætereamus descriptiones, definiuntur, esse habitus operativi boni, in mediocritate consistentes, quæ quidem mediocritas ratione præfinita sit. Per quam descriptivam definitionem sufficienter virtutum quòd explicetur natura, patet inde, & quia per illam excluduntur habitus cœteri intellectuales, quorum actus non fiunt ex electione, & voluntariè; habitusquè item vitiosi, qui mediocritatem non servant; & quia vir- 1647 tus consistens in medio objectum attingit conformiter ad rectam rationem, tanquam ad præfinitam suam regulam, ita ut neque illam excedat, neque ab ipsa ullatenus excedatur.

1644 Neque obstat quòd omne medium in data definitione dicatur medium rationis, ex eo enim duntaxat sic dicitur, quòd à dictamine rectæ rationis præfiniatur; cœteroquin secundum se & magis in particulari dupliciter sumi potest & debet virtutis medium: aliud namq; arithmeticum est, seu medium non rationis tantùm, sed etiam rei, eò quòd non pendeat à ratione operantis constituente regulam mediocritatis prout contingit in medio justitiæ, vi cujus reddimus debitum juri alterius adæquatum, nullo habito respectu personæ, aliarumquè circumstantiarum, aliud verò quod simpliciter dicitur medium rationis, seu Geometricum, in quo non servatur medium rei, ex eo quòd respectu illius, spectari debeant circumstantiæ temporis, loci, personæ, &c. ex quo omne bonum Politicum regimen ema- 1648 natu.

1645 Alterutrum autem horum mediorum servari debere ab omni virtute morali inductione patet; Justitia enim, quæ est circa operationes in ordine ad alterum sita est in medio rei: reliquæ duæ Fortitudo nimirum, & Temperantia, quia versantur circa passiones, servant medium rationis, cùm hominem ad se ipsum ordinent. Quod tamen medium non positivè, quasi participarent virtutes de utroq; medio, sed negativè est intelligendum, alioquin virtus, virtus non esset, si quid participaret de aliquo vitio, saltem secundum formale 1649 ipsius. Prudentia verò, quia ut diximus, regula est, & norma, juxta quam cœteræ morales virtutes diriguntur, medium maximè rationis attingere debet, & hinc ejus subjectum proximum est intellectus, ex eo, quòd illa sit habitus judicativus; unde etiam definitur, quòd sit habitus cum vera ratione activus, circa ea quæ homini sunt naturaliter bona, vel mala, per quod differt à sagacitate brutorum animalium, & ab alijs practicis habitibus in- 1650 tellectualibus, ut constat.

1646 Illius objectum proximum sunt actiones purè moralium, quia eæ solæ sunt capaces illius rectitudinis, quam Prudentia præscribit, quæ rectitudo non est speculativè sumenda, seu juxta conformitatem cognitionis ad rem cognitam, sed practicè, utpote existens, in adæquatione rationis, prout prudenti judicio fuerit judicatum; Quare tametsi quis nitatur, ut sæpe contingit, principijs speculativè falsis, modò error sit invincibilis, non desinet esse judicium prudens respectu talis hominis, qui juxta illud operans prudenter, & rectè moraliter operari censebitur.

1647 Hujus virtutis partes triplices sunt (quod idem dictum volumus de alijs virtutibus) nempe integrantes, subjectivæ, & potentiales. Integrantes sunt memoria præteritorum, vi cujus prudens fertur de rebus judicium, ob ea, quæ in re simili constituta aliquando fuerunt: intelligentia, seu notitia, quâ præsens negotij status bene perspectus habetur: docilitas, seu promptitudo ad discendum, & audiendum aliorum Prudentum de re proposita sententiam: solertia, seu repentina, & prompta mediorum excogitatio ad finem consequendum: Ratio, seu facilitas aptè unum ex alio deducendi, ad capiendum promptum, & accommodatum in re præsenti consilium: Providentia, seu sagacitas, quâ quis futuros eventus, qui ex opere sequi possunt, prospicit; circumspectio quâ considerantur rei propositæ circumstantiæ omnes, ita ut nulla detur; Cautio demum, quæ est cura, quâ Prudens impedimenta omnia, quæ executioni obesse possent removet.

1648 Subjectivè verò partes Prudentiæ illæ dicuntur & sunt, quæ sub illa, ut species sub genere continentur: quales sunt solitaria, seu personalis in ordine ad propriæ personæ prudens regimen, & gubernationem: Oeconomica in ordine ad familiam, conjugem, liberos, aliaquè domestica bona benè instituenda dirigitur: militaris, quâ acies, & exercitus rectè instruuntur, inducunturquè milites ad fortiter agendum: Gubernatrix, seu Regalis, quâ Principes communitatem secundum legum præscripta gubernant, & Politica, seu Civilis, quâ subditi præstant Principi, quæ illi debentur.

1649 Partes demum Potentiales Prudentiæ sunt tres, Iubulia, quæ refertur ad invenienda facilè media, synesis, quâ benè judicatur de ijs, quæ lege definita sunt; & epikya per quam juxta altiora principia fertur judicium ex æquo, & bono de ijs, quæ in praxim veniunt: eaquè duplex est, altera se tenens ex parte intellectûs, & dicitur Gnome, ex parte voluntatis altera, & est affectus quidam erga observantiam æquitatis.

1650 At justitia est virtus per quam unicuique jus suum constanter tribuitur. Per quod differt à Fortitudine, & Temperantia, quæ hominem tantùm perficiunt in ordine ad se ipsũ, unde alteritatem seu personarum, seu jurium,

& Dominiorum esse conditionem essentialiter requisitam ad justitiam facilè constat. Illius objectum est debitum, & jus legale, ad quod persolvendum lege adstringimur. Partes autem justitiæ integrantes sunt, facere bonum, id est ex amore justitiæ debitum alteri ad adæqualitatẽ tribuere; & declinare à malo; id est ex odio turpitudinis justitiæ oppositæ non corrumpere æqualitatem cum altero, seu 1654
non facere alteri injuriam. Quoad partes verò subjectivas dividitur Justitia in Generalem, quæ & Legalis dicitur, ac versatur circa bonum commune Principis, vel Reipublicæ; & in Particularem respicientem cujusque particulare bonum illi ex jure debitum. Quæ rursus dividitur in distributivam, seu in eam quæ curat distributiones sive præmiorum, sive pœnarum, secundum proportionem Geometricam inter personas: & in commutativam, quâ quis in commercijs suum cuique jus reddit juxta arithmeticam proportionem.

1651 Partes autem potentiales justitiæ sunt Religio, Pietas, Observantia, Obedientia, Veritas, Gratitudo, Liberalitas, Affabilitas, Amicitia, aliæquè his similes; quarum definitiones, proprietates, effectus, & subdivisiones passim legere est tam apud Jurisperitos, quàm Theologos, & præsertim morales.

1652 Tertia virtutum moralium, quam Fortitudinem esse diximus, ex eo quòd tribuat animo firmitatem in susciplendis periculis, ac laboribus perferendis, congruè definitur ab Aristotele tertio eth. quòd sit mediocritas timorem inter, & audaciam; utpote quæ animum ita continet circa ea, quæ ardua sunt, & tenibilia, ut neque per nimium timorem, neq; per audaciam à recto rationis tramite deflectat. Illius actus duo sunt, sustinere & aggredi: sustinendo enim difficultatem timor reprimitur, audacia temperatur aggrediendo. Subjectivæ partes Fortitudinis nullæ dantur, quia omnis diversitas, quæ excogitari potest in illa, est solùm materialis. Integrantes autem sunt Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, Perseverantia, quæ si non referantur ad materiam Fortitudinis maximè peculiarem, subeunt vices partium potentialium ejusdem, eò quod fortitudinem quidem imitentur, ejus tamen perfectionem non assequantur.

1653 Ubi obiter contra quosdam temerariæ, ac profligatæ audaciæ homines inferimus res difficiles, ac periculosas intrepidè aggredi, vel imperterrito animo sustinere, si rectæ rationi, ac divinæ, Humanæquè Legi contrarientur non esse ullatenus Fortitudinis actum; alioquin Latrones, & Sicarij, qui maximè ardua, & difficilia aggrediuntur, fortissimi essent, & generosissimi, quod nemo prudens admiserit, sicut nec ijs ullum Fortitudinis decus attribuet, qui singulare certamen, quod duellum dicunt, quamvis maximè periculosum, subeunt: Neque enim ullus sanæ mentis unquam judicabit, tale factum laudo, aut honore dignum esse, quod Divinis, Humanisquè legibus est contrarium, & à sanioris judicij hominibus omnibus, ut pernicioſissimum inventum, & perditissimæ tantùm vitæ hominibus consuetum damnetur, ac reprobetur.

1654 Temperantia demum mediocritatem servat in voluptatibus, & doloribus sensuum quidem omnium, sed maximè Gustûs, & Tactûs, non solùm quoad opus externum, verùm etiam quoad affectum. Partes ejus integrantes sunt Verecundia, seu Metus dedecoris, & infamiæ ex re illicita provenientis, & Honestas, quâ, quod turpe est, & indecorum repellitur. At subjectivæ Temperantiæ partes sunt Abstinentia, Sobrietas, Castitas, Pudicitia. Potentiales verò continentiâ, quâ vehementibus tactûs cupiditatibus resistitur: Mansuetudo quæ iram cohibet, & gubernat: Clementia, quæ in pœnis infligendis modum adhibet: Modestia quæ motum, gestumquè corporis decenter conformat. Humilitas animum cohibens, nè supra modum sese efferat cum aliorum contemptu. Studiositas curiosam sciendi cupiditatem moderans. Moderatio, quæ in prosperis, & honorificis mentem, nè minimùm extollatur, aut dejciatur adversis componit. Eutrapelia, quæ in ludis ac jocis, ut decet hominem disponit. Et cultus corporis, qui habitum, vestitumquè decenter ordinat.

Physico-Ethici subjecti, seu hominis, ut rectè operetur, Adjumenta externa.

1655 HOrum nomine aliud hoc loco nobis non venit, quàm Regimen Politicum, legesq; ad quarum præscriptum homines sese conformantes, ita suas dirigunt operationes, ut finem naturæ humanæ à summo Conditore præfixum consequantur; quem assequuntur maximè in uno ex tribus ejusdem regiminis statibus, seu nempe Monarchico, qui est summum Imperium, in quo multitudo eorum, qui gubernantur deducitur ad unum, seu naturalem civitatem quam ultimam particulam addimus ad indicandum, quòd etsi in alijs regiminis statibus reperiatur unitas, uti in Aristocratico, in quo multi Optimates habentur pro uno Magistratu; ea tamen unitas naturalis non est, neque pura, sed artificialis, collectitia: si quidem Aristocraticus status est regimen Optimatum, in quo conjunctim & individuè isti tenent imperium, & Jus Majestatis in reliquos singulos, & universos. Et democraticus status, seu populare regimen est illud in quo nomine Civium, vel omnium, vel potioris partis, quidam

alter-

alternatim cœteris omnibus singulis, & universis imperant; ac secundum populi suffragia Jus Majestatis, summamquè potestatem usurpant.

1656 Sunt quidem & alij quatuor ex his tribus simplicibus gubernandi statibus mixti, quorum primus temperatus est ex omnibus tribus: secundus ex Monarchico, & Democratico: quartus demum ex Democratico, & Aristocratico. Hos tamen inter omnes ex natura rei est præstantissimus & maximè præoptabilis Monarchicus; tum quia ipse secundum se est maximè ordinatus; tum quia ordo est & dispositio, in qua posteriora à prioribus pendent; quo autem priora magis accedũt ad unitatem, eò perfectior est dependentia, & per consequens ordo perfectior, ac facilior modus assequendi præfixum finem, eò quòd facilior sit in eo gubernatio; sive spectetur inventio consiliorum, sive eorundem executio: tum quia status Monarchicus est maximè firmus, & diuturnus, hoc ipso quòd sit maximè unus, & ordinatus; atque hoc ipso difficulter dividuus, cùm unum maximè repugnet divisioni, seu 1660 multitudini; quæ esse solet divisionis mater; tum demum quia longè faciliùs est reperire unum bonum, & excellentem virum, qui regat quàm multos; neque tam facilè oritur æmulatio & contétio ubi unus imperat, quàm ubi multi regunt; siquidem inter hos persæpe contingit, ut unus alterum respiciat, atque ab altero expectet, quod ipse debebat præstitisse.

1657 Accedit quòd ubi est multitudo regentium crebrò Magistratus mutentur; ex qua mutatione non rarò gravia eaque damnosissima in bono, & felici subditorum regimine oriuntur impedimenta. Neque obest, quòd cœteræ regiminis formæ videãtur magis accommodatæ imbecillitati, & conditioni humani generis; Nam estò hoc verum videatur, attamen quia Monarchica maximè est conformis regimini illi, quo summus Mundi conditor, & 1661 Monarcha, omnia quæ exstant à se condita opera, sapientissimè unus regit, providentissimequè gubernat, certum evadit vel hoc ipso, quòd ille sit præ cœteris præstantissimus. Per quod tamen minimè reprobatum imus cœteras regendi formas, cùm illud solum contendamus Monarchicam cœteris excellere, vel ipsâ adversariorum fassione ajentium Democraticam ab Aristocratica excedi, eò quòd hæc ad Monarchicum regimen propiùs accedat.

1658 Porrò his regendi hominem formis, quando justè, & rectè sunt institutæ (nam Latronum, Pyratarum, Tyrannorum, Perduellium, cæterorumquè hujusmodi facinorosorum hominum cœtus, congregationes, ac se, sibiquè regendi modi scelesti sunt, & abominandi, utpote cum quibus nulla juris societas esse debet, nulla conjunctio, uti per se constat, & latè ostendunt utriusque Juris Professores) juxta Divinam, naturalemquè legem, quâ Deus & natura præscripsit hominibus quid rectum, honestumquè sit, quid turpe, & fugiendum, à Deo potestatem concessam esse condendi leges, per quas subditos regant, nemo prudens inficiabitur.

1659 Legis autem nomine aliud non intelligimus, quàm regulam communem, & stabilem, humanorum actuum directivam, & obligantem ad aliquid agendum, aut non agendum in ordine ad commune bonum. Quæ dividi solet multipliciter à legisperitis: ad rem nostram apta est illa legis divisio, quâ in Naturalem, & Positivam dividitur, & Positiva rursùs in Divinam, & Humanam; ac denuò Humana in Ecclesiasticam; seu Canonicam, & in sæcularem, seu Civilem quæ ab alijs jus Civile appellatur; quod subdividitur in scriptum, & non scriptum: & non scriptum quidem, si proprium sit alicujus Provinciæ, aut Regni dicitur consuetudo: si commune Regnis alijs jus gentium appellatur.

1660 Porrò omnia harum legum genera esse regulas, quibus dirigantur humanæ operationes mediatè saltem, nemini esse potest dubium, cùm ex naturæ instituto regula actuum immediata, & per quam leges omnes nobis immediatè applicantur, sit ipsum dictamen, seu judicium rectæ rationis, ac prudentiæ: Unde ad positivam legem conditiones necessariò requisitæ sunt, ut justa sit, ut sit propter bonum commune, proportionata conditioni subditorum, de possibilibus factu, cùm nemo teneatur ad impossibile, ut sit conformis legi naturali, & Divinæ, ad hoc ut obligare possit; ut sit stabilis, & perpetua, per quod differt à mandato propriè sumpto, quod exspirat exspirante mandante: & demum ut sit promulgata, cùm legis officium sit dirigere, quod præstare nequit nisi cognita, & promulgata.

1661 Quando autem sufficienter promulgata est, seu habens prænominatas conditiones suos nanciscitur effectus, quorum primus est, obligare independenter à subditorum acceptatione, cùm sit justum quoddam imperium superioris ad subditos propter bonum commune; adeoquè transgressores facit tum culpæ, tum pœnæ obnoxios, nè sit frustranea vis directiva, absque coactiva. Alter verò legis effectus est præscribere, & dirigere prosecutionem boni, & aversionem à malo, ad instar ideæ, seu objecti cogniti, non secùs quàm exemplar in quod intendit Artifex sese ipsi conformando. Et tertius, qui ex his sequitur effectus est reddere bonos subditos, bonumquè commune tueri. Et hæc pro notitia aliquali externorum, quibus Physico-Ethicè spectatus homo, ut rectè operetur, munitur adjumentis, nobis pro nunc indicâsse sufficiat.

Physi-

Physico-Ethici subjecti, seu hominis Naturalis finis.

1662 QUia naturalis finis hominis multiplici in-
significatione sumi solet à Philosophis;& ad rem de quâ agimus propriè vel physicè pro ipsa hominis desitione, & corruptione, vel ethicè pro eo,qui est per bonos mores comparabilis; ideo nos, qui Physico-Ethicam tractamus de eodem in utroquè sensu accepto breviter ut quid sentiamus,disjunctim exponamus, dicimus juxta naturæ principia hominem desinere debere, finemquè essendi nanciscì; ad quam assertionem evidenter demonstrandam, tametsi vix opus videatur ratione aliqua, cùm experientia quotidiana id testatissimum faciat;1666 Nihilominùs commune Aristotelis effatum, quo dicitur, quæ naturaliter generantur, & principium habent; ea quoque naturaliter interire, & finem habere; occasionem præbet hujus ipsius interitûs hominis,aliquas physicas adferendi rationes.

1663 Quarum 1. est, quod nulla potentia finita, qualis est humana secundum se possit infinito tempore operari. 2. quia calor naturalis incessanter agit in radicale humidum,illudquè absumit; nec eâdem bonitate per alimentum restituitur, cùm in alimento semper aliquid à1667 substantia corporis diversum reperiatur; ac consequenter principia requisita ad vitæ conservationem indies deteriora fiunt, donec tandem omnimodè corrumpantur. 3. quia, ut in Physica ostendimus materia prima est intrinsecum corruptionis principium,quod verum est tam de prima absolutè, quàm de secunda respectivè sumpta. 4. quia sicut humana forma finita est, ita finito tantùm tempore uniri, & informare petit. 5. quia omnium præsertìm sublunarium mutatio,necessaria est ad conservationem, & pulchritudinem universi consistentem in ipsa varietate rerum sibi invicem succedentium.

1664 Ex quibus quivis facilè concludere secum potest corruptionem, & mortem sicut cuivis1668 alteri viventi,ita & homini accidere ex necessitate naturæ, cùm illius forma, quantumvis immaterialis, & immortalis, nihilominùs non habeat, nec exigat constantes dispositiones requisitas ad corpus perpetuò informandum.

1665 Unde licet Chymici, alijquè eorum sectatores Philosophi hominem mori asserant non necessitate moriendi, sed solùm ex ignorantia rerum naturalium ad vitam tuendam; adeoquè jactitent ex arte spagyricâ quintam,quam vocant, essentiam, talesquè succos comparari posse, quibus vita perpetuò incolumis conservetur; existimamus tamen non vanè, vanam prorsus esse illorum jactantim, vel ex ipsa eorundem ipsorum experientia. Quis enim usquam, aut unquam Chymicorum potuit arte suâ, quidquid alijs, ineptiendo polliceantur, non dicam se immortalem reddere, sed vel ad annum vitæ ducentesimum, vitam propriam prorogare? Loquatur si valet ex mortuis redivivus Theophrastus, Agrippa, Paracelsus, alijquè ejusmodi vanarum pollicitationum, in flore ætatis decedentes nundinatores! Nec aliud effabuntur quàm nō minùs verum,quàm vetus illud: Contra vim mortis non est medicamen in hortis. Apparentur vitæ elixiria, adinveniantur quintæ essentiæ, conglobentur Philosophici lapides, denqiuè æterno adamāte signatum manet dectetū illud in naturæ creatæ impressum dyphtera. *Statutum est omnibus hominibus semel mori.*

1666 At contra fatalem hunc hominis finem nulla dabilis est procrastnatio, nullum mediū, quo naturaliter semoveri possit remotiùs, vitæquè cursus fieri prolixior? Doctissimus P. Lessius in eruditissimo suo Hygiastico ostendens hunc finem Physicum hominis à Divina Providentia constitutum esse juxta media naturalia, quibus humana vita conservatur tamdiu, quamdiu naturalem complexionem adminiculantem habet, adducit adjumēta quædam non pauca, partìm insita, & à natura nobis indita; extrinseca partìm & adventitia.

1667 Inter illa adnumerat moderatum somnū, qui aliud non est,quàm ligatio naturalis externorum sensuum, instituta ad salutem, & quietem viventis; cùm nullum penitus teste Aristotele reperiatur animal, quod somnum non capiat; per hunc enim, & reparantur spiritus animalis; redduntur què vegetiores; & refrigeratur sanguis,ac purificatur ab effusione pituitæ,& corroboratur calor ventriculi ad concoctionem alimentorum necessarius: unde non immeritò Tertullianus in lib. de Anima cap. 43. moderatum somnum vocat recreatorem corporum,redintegratorem virium; probatorem valetudinum; pacatorem operum; medicum laborum; cui legitimè vult ut dies cedat; nox legem faciat.

1668 Alterum insitum à natura pro diuturniori vita auxilium citatus Lessius statuit somno oppositam vigiliam; nec immeritò; si enim hæc non sit immoderata; cùm sit animali maximè connaturalis, eò quòd & somnus ipse, & ipsum animal sit quodammodo propter vigiliam; quæ est solutio sensuum externorum ad operandum; & hoc ipso conferens illi utilitates non paucas: quales sunt,perfectior alimenti distributio; excrementitiarum partium expulsio, & segregatio: apta corporis constitutio, artuum, & membrorum corroboratio,virium refectio &c. Quæ tamen debet, ut diximus, alternatìm attemperari somno, cùm vigilia immoderata, non secùs ac immoderatus somnus, magnam adferat corpori noxam; siqui-

quidem spiritus exhaurit, maciem invehit; cruditates parit, vires labefactat, sensuum functiones debilitat, exsiccat cerebrum; inducitquè non raro delirium, insaniam, mortemquè ipsam accelerat.

1669 Sunt præterea vitæ conservandæ media quasi extrinseca, imprimis attemperatus usus cibi, & potûs, adhibitus juxta naturæ appetentiam, eò quòd alimentum, in quod agit naturalis facultas, debeat esse illius viribus accommodatum; alioquin in chylo relinquitur semper cruditas aliqua, quæ ab alijs facultatibus nunquam emendari potest, & ob quam generatur sanguis fœculentus, excrementitijsque tum bilijosis, tum pituitosis, tum melancholicis plenus; quibus tota corporis temperies depravatur. Quam ob causam communis Medicorum sententia tenet, cruditatem illam, seu imperfectam ciborum concoctionem, esse morborum omnium originem; & ob hoc fortè Galenus pronuntiavit: neminem morbo corripi, qui cavet nè in cruditates incidat.

1670 Deinde usus victûs simplicis, tenuis, ac vulgaris vitatâ ciborum, ac obsoniorum varietate; cùm & hæc non tantoperè gulam provocent, ex qua fit ut in edendo, & bibendo superetur modus, & quia diversorum eduliorum diversa est natura; nec simul, & eodem modo concoqui possit; undè cruditas, & alia, quæ modò diximus, incommoda oriuntur.

1671 Tertium medium est diæta sobria, per quam humores superflui, & catharri absumuntur, spirituum meatus, ac viæ reserantur, morbiquè omnes mitigantur, vel curantur. Quartum temperantia in potu (ut nihil dicamus de continentia, & castitate maximo vitæ humanæ diu producendæ subsidio); tum quia excessus ejusdem calorem stomachi debilitat, creatquè fumos, ac vapores cerebro infestos, tum etiam quia potus nimius, antequam sit probè concoctus ad hepar attrahitur, Lyenem, cæterasq; corporis nobiliores partes permeat easq; peregrinis, ac noxijs qualitatibus perfundit: sic vino dediti nec sani sunt, nec logævi, eò quòd in ijs generetur sanguis serosus, & aqueus, quo tandem natura suffocatur, & extinguitur.

1672 Quintò ad vitam conservandam moderata plurimùm conducit corporis exercitatio, utpote quæ non modò confert ad partes excrementitias consumendas, sed noxios humores varijs corporis partibus impactos, ac fuligines puritati sanguinis contrarios, laxatis corporis poris, & meatibus, dissipat. Conducit insuper sextò vitæ conservationi ratio melioris aëris in quo spiramus; saluberrimus autem ille reputatur, qui paucioribus inquinamentis, nullaquè putredine, aut corruptelâ est perfusus; qualis est qui ventis præsertim septentrionalibus, & orientalibus persæpe agitatur. Nec minùs aëre prodest medicinarum rarus usus, & nonnisi dum infirmitas, aut necessitas illum persuadet. At super hæc omnia mentis animiquè tranquillitas, æquabilitasquè & passionum, & affectuum, si quidem in his mira vis inest ad firmandum, vel destruendum corporis robur: sic tristitia exsiccat ossa, timor cor constringit, ira totum sanguinem alterat, &c. Quibus medijs naturaliter in multos annos produci posse vitam, productis hac in re illustribus exemplis citatus Lessius eruditè ostendit, donec tandem ob defectum innati caloris in humido, naturâ ipsâ deficiente anima à corpore per destructionem substantialis unionis connaturaliter abscedens, illud relinquat fœculentam in escam vermibus, mox terræ mandandum, quò usque demum in die novissimo admirabili operâ dexteræ excelsi regenitum immortalitati resurgat, reddaturquè particeps illarum, quibus immortalis anima post separationem, felicitatibus fruitur, vel calamitatibus torquetur secundum quod in corpore existens operata est sive bonum, sive malum.

1673 Ex quibus evidenter colligitur, quantum aberraverint à veritatis semita illi, qui ultimum finem hominis, ejusquè beatitudinem, in possessione bonorum hujus vitæ, quorumcunque demum, sitam esse existimârunt; cùm id quod bonum est beatificans malis nequeat esse permixtum, nec ulli mutabilitati, ac amissibilitâti obnoxium, qualia quis, nisi mentis impos, dixerit esse hujus vitæ bona, qualiacunque tandem? quæ cùm habeant tenuissimam tantùm quandam bonitatis umbram, comparantur tamen cum labore, conservantur cum solicitudine, ac denique majori cum dolore amittuntur.

1674 Et quamvis bona animi seu naturalia, seu acquisita, præ cæteris hujus mundi bonis eximia sint, longequè pretiosissima, cùm tamen sint rationes, & media perveniendi ad summum bonum; manifestum evadit in ijs naturalem hominis beatitudinem consistere non posse; cùm hæc sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. Quare in unius soliusquè Dei conjunctione, ac quasi unione, eam esse reperibilem cum comuni sapientûm consensu tandem concludimus; utpote qui solus potis est adæquare intellectum humanum ad omne verum tendentem; & explere humanum appetitum; qui licèt finitus sit secundum se, quoad modum tamen appetendi

in infinitum ſe extendit, & conſequenter actu ſatiari nequit niſi ab eo, qui actu eſt ſummè, & infinitè intelligibilis, ſummè, infinitequè bonus, ac amabilis, cujuſmodi eſt ſolus Deus ter optimus maximus, ejuſdemque nunquam à Beato amittenda poſſeſſio, quam ob cauſam Regio Pſalti mertiò & nos accinimus: Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis deſiderium tuum.

PHILOSOPHIÆ QVINQVE-PARTITÆ *PARS POSTREMA,* *SEU* *METAPHYSICA.*

Metaphysicæ notio, Quidditas, & objectum.

1675 SCiētiarum naturalium Princeps Metaphysica nomen suum sortita est probabiliter vel ex eo, quòd ejus tractatio ab Aristotele instituta fuerit post Libros Physicos conscriptos; vel ut probabilius, quia defacto post Scientiæ Physicæ adeptionem naturali ordine venit addiscenda; vel, ut probabilissimè indè, quòd naturæ corporeæ limites supergressa per omnia quæ sunt, aut esse possunt; imò & per ea quæ nec positivè sunt, nec esse queunt contemplatione suâ vagatur: Imò per altissimas rerum causas altiùs evecta ad DEUM ipsum naturali lumine contemplandum sese extendens Theologiæ quoque naturalis glorioſum nomen sibi comparavit. Ex quibus, & præsertim ex dictis sub initium Logicæ, facilè patet ipsius quidditas, quæ explicari solet definitivo formali conceptu quo dicitur: Scientia purè speculativa de ente quâ ente universalissimè accepto.

1676 Unde non difficulter etiam deducitur pro objecto adæquato metaphysicæ considerationis statuendum esse ens latissimè sumptum in suppositione absolutâ, quatenus contemplabile secundum gradus metaphysicos entis abstracti ab omni materialitate tam sensibili, quàm imaginabili, quos in se continet; seu se-1677 cundum varia prædicata, ac conceptus objectivos ejusdem suæ essentiæ; adeoquè entia Positiva, & Negativa, Possibilia & Impossibilia, Increatum, & Creatum, Spirituale & Materiale, Substantiale, & Accidentale, Absolutum, & Respectivum, Majoris, Minorisque realitatis propriè, ac per se, quatenus ens sunt seu essendi aliquod sortiuntur principium, objectum adæquatum Metaphysicæ integrant: eò quòd illud assignari debeat pro adæquato objecto hujus universalissimæ scientiæ, de quo primò & per se agit illa, & cui objecto conveniunt omnes illæ conditiones, quas ad rationem objecti adæquati in Logica requiri diximus: cùm igitur primò, & per se agat Metaphysica de ente latissimè, & abstractissimè accepto, utpote segregato ab omni materialitate, entiquè sic sumpto conveniant omnes requisitæ conditiones ad rationem adæquati objecti, scientifici, ut consideranti cuivis facilè innotescet, quando reperiet in omnibus rationem illam primam, vi cujus suo modo est, entisquè participat rationem, cùm ex hac tantùm objectum illud sit etiam intellectûs, ut in nostris Placitis de ente Logicè cognoscibili fusè ostendimus; siquidem verum est, quod ideò aliquid intelligibile sit, quia ens est; sicut ob eandem rationem amabile est seu bonum, quia est ens, rectè concludimus sub hac ratione entis, quâ entis omne omnino ens esse objectum Metaphysicæ, cùm nullum sit assignabile, quod ad ejus considerationem directè pertinere nequeat.

Nec obest quod ens in tali latitudine spectare videatur potius ad Logicam, adeoquè confundi simul objectum utriusque scientiæ: Nam recolenti, quæ de Logicæ objecto diximus, facilè patebit nos omne ens non sub ratione entis formaliter, sed sub ratione cogno-

ſcibilis, ſeu quatenus proximè ſubſtans operationibus Logicæ eſſe hujus objectum.

1678 Nec obſtat amplius, quod ab Ariſtotele Metaphyſica dicatur & re, & ratione abſtrahere à materia; quod falſum foret ſi omne ens etiam materiale eſſet ipſius objectum. Nam abſtractio quâ Metaphyſica abſtrahit, & re, & ratione à materia, non poſitivè negat illis entibus materiam à quibus abſtrahit, ſed negativè circa illa quatenus materialia ſunt ſe habendo.

1679 Nec obeſt inſuper quod accidens cùm ſit entis ens, non videatur ingredi poſſe objectum Metaphyſicæ, niſi ſolùm reductivè, & per attributionem; Licèt enim conſiderabile ſit accidens à Metaphyſica ut reducitur ad ſubſtantiam, conſiderabile tamen eſt etiam ab eâdem quatenus ipſum propriam ſuam habet rationem entis, ſub quâ ratione propriè & directè ſpectat ad ejus adæquatum objectum, ut mox magis patebit, ubi de præciſione univoca entis reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis.

1680 Nec magis obeſt, quòd ens ut commune Deo & creaturis careat principijs, cauſis, & paſſionibus, cùm in Deo non reperiantur accidentia; multò minùs ille habeat cauſam, aut principium ſui, cùm ipſe ſit primum principium, origo, & cauſa omnium entium: Nam tametſi Deus non habeat ullum principium, ullaſquè paſſiones realiter, formaliter tamen, & per rationem noſtram habet primum ſui eſſentialem conceptum, qui eſt tanquam principium omnium reliquorum, quæ in Deo conſiderare ſolemus; quo pacto etiam reperimus in Deo attributa, ſeu proprietates; ut fusè Theologi. Quod ſufficit, ut Deum intra latitudinem objecti metaphyſici dicamus contineri.

1681 Neque demum obeſt quòd Negationes, & Impoſſibilia ſint non entia; Nam ſunt tantum non entia realia poſitiva, non verò non entia, prout ens abſtrahit à poſitivo, & negativo, à poſſibili, & impoſſibili.

Metaphyſicè accepti entis, ut ſic, Quidditas.

1682 TAmetſi ens ut ſic abſtractiſſimè ſumptum genere careat, & differentiâ, per quæ proprius & eſſentialis ipſius definitivus conceptus formari poſſit; nihilominus illius natura à nobis ſufficienter explicabitur, ſi dixerimus cum S. Thoma cap. 1. de Ente & Eſſentia; Ens eſſe omne id de quo affirmativa propoſitio formari poteſt; etiamſi in re illud nihil ponat: quo modo poſitiva, & negativa, poſſibilia ac impoſſibilia & quidquid quomodocunque eſt intelligibile, entia ſunt, & dicuntur. Per quam entis ut ſic latiſſimi ſumpti deſcriptionem illius nobis naturam ſufficienter nobis manifeſtari conſtat inde, quòd detur per ipſius maximè nobis notum prædicatum, quod eſt intelligibilitas ipſius intrinſeca per quam conſtituitur in eſſe apti terminare quamcunque cognitionem, cujuſvis intellectûs circa ſe verſantis.

1683 Cùm igitur hæc ſit illius eſſentia, hanc etiam conſequi aliquas proprietates, & quidem primò primas, ac immediatiſſimè cum ipſo convertibiles nequit eſſe dubium ſcienti nullam penitus dari eſſentiam, ut univerſaliſſimâ conſtat inductione, quæ ſuarum ut eſt principium intrinſecum proprietatum, neceſſario has non ſortiatur: quas inter, imò & præ cæteris Identitatem eſſe & Diſtinctionem inde nobis redditur indubitatum, quod quidquid eſt, neceſſario idem ſit ſecum ipſo, & ab alio quolibet, quod idem ſecum non eſt, diſtinctum.

Metaphyſici Entis Identitas.

1684 IN hac explicanda nec adſtipulantur eorum ſententiæ, qui identitatem formaliter identificant unitati; unitas namque, ut dicemus, conſiſtit formaliter in indiviſione: identitas in indiſtinctione; indiviſionem verò, & indiſtinctionem formaliter, imò fortè & realiter non eſſe idem eſt certum, uti patet à contrario de diſtinctione, & diviſione; ſicut enim diſtinctio non eſt idem cum diviſione, prout liquet in Perſonis præſertim Divinis: ita indiſtinctio non erit idem cum indiviſione, ſed hujus quaſi radix & proprium principium, uti conſtat ex hac cauſali: ideò v. g. animal & rationale in homine dividi ac ſeparari nequeunt, quia ſunt indiſtincta.

1685 Sed neque identitas, ut alij volunt eſt ſumma formaliter communicatio duorum conceptuum objectivorum ad invicem: Nam & animal cum rationali in homine realiter identificatur, & tamen ei ſummè non communicatur; ſi enim ſummè communicaretur nullum attribui poſſet prædicatum animali, quod non attribueretur formaliter etiam ipſi rationali prout requirit ſumma communicatio: & actus liber Dei, quatenus liber, eſt idem cum Divina eſſentia licèt non communicetur ſummè cum Divina eſſentia, eò quod poſſit non eſſe ſecundum extrinſecam terminationem libertatis ſuæ, ut communiter docent Theologi.

1686 Multò minùs conſiſtit identitas in quadam carentia relationis exceſsûs, vi cujus duo dicuntur idem eſſe realiter, quando nempe ſimul ſumpta non excedunt perfectione intrinſecâ alterutrum. Nam identitas entis poſitivi præſertim neceſſario eſſe debet quid poſitivum, nè admittamus conſtitutivum eſſentiale alicujus poſitivi eſſe negationem, aut carentiam aliquam; & conſequenter tale eſſe, eſſe merè chymæricum conſurgens eſſentialiter ex eſſe, & non eſſe. Accedit, quod duæ caren-

rentiæ non sint magis perfectæ, quàm una sola, & tamen altera earum per adversarios cum altera non identificatur; cur pariter, etsi duo ita se habeant ut in perfectione nullus detur excessus, dicunt etiam illa non identificari inter se, & consequenter in omnimoda æqualitate non consistere identitatem?

1687 Quare identitas intrinsecè & simpliciter est ratio illa formalis per quam ens constituitur formaliter in esse hujus entis, seu suimetipsius, & non est à se ipso ullatenus distinctum, in eo namque realis identitas statui debet, per quod ens quodlibet est idem sibi ipsi, atque à se nullo modo distinctum, ac diversum; cujusmodi aliud esse nequit, quàm ratio illa formalis per quam ens quodvis constituitur in esse suimetipsius; hoc enim ipso quod hanc concipiamus respondere debet ex parte objecti reale quidpiam, cui adæquetur tanquam verificativo suo reali talis noster formalis conceptus: quod verificativum est formalissimè ipsa identitas; ita ut præter illam nec ratione nostra excogitari possit aliud; sicut enim ratio formalis boni est ipsa bonitas per quam formaliter constituitur in esse terminantis formalem appetibilitatem; & ratio pulchri est ipsa forma, per quam pulchrum formaliter constituitur in esse terminantis formalem actum delectabilitatis; ita etiam formalis ratio intrinseca objectiva, per quam idem constituitur in ratione terminantis, & verificantis actum cognoscentem idem indistinctum, & nullatenus diversum à se ipso, est ipsa identitas.

1688 Neque tamen ex hoc sequitur identitatem esse indistinctionem, seu à quacunque re indiscriminatim seu à se ipsa saltem, adeoquè formaliter negationem: falsum siquidem est talem esse formaliter in se, & secundum primum sui conceptum, sed solùm arguitivè juxta nostrum concipiendi, & discurrendi modum, quo facilitamus rationem explicandi nostros conceptus positivos, ex eo enim quod idem sit sibimetipsi idem, consecutivè deinde sequitur, quod indistinctum sit à se ipso, quam indistinctionem formaliter & per se non esse idem cum identitate patet; tum quia aliàs definitum ipsum ingrederetur formaliter ipsam definitionem; tum quia fundamentum indistinctionis formaliter esset ipsa indistinctio.

Metaphysicorum variæ de Distinctionis quidditate opiniones.

1689 OPposita Identitati est alia primò primæ entis positiva proprietas, quam distinctionem dicimus; hanc quidam formaliter constituunt in ipsa negatione, quos non sequimur; tum quia negatio est quid consequens ad distinctionem, cùm ea semper supponere debeat subjectum in quo est, eò quòd opus sit, ut detur aliquid in quo fundetur talis negatio, quod aliud esse nequit, quàm ipsa distinctio immediatè; siquidem dari debet aliquid in Petro v. g. per quod antecedenter ad negationem Petrus non sit Paulus; uti patet ex hac causali: ideo Petrus non est Paulus, quia inter Petrum & Paulum datur distinctio; non è contra: tum quia ens quodvis positivum distinguitur realiter à negativo; quod si id fieret formaliter per negationem clarum evadit dari processum in infinitum in distinctionibus; quem tamen nemo admittit.

1690 Neque obest quòd positâ negatione ponatur, eaque ablatâ tollatur distinctio; hoc namque verum est solùm consecutivè, & extrinsecè, non verò formaliter, & intrinsecè; sicut enim ablatio formalis negationis Petri, formaliter non est ipsa positio Petri, sed aliquid ad illam antecedens eique extrinsecum; ita &c. Quâ responsione satisfit etiam tum illi objectioni, quâ urgent distinctionem consistere in negatione, ex eo quòd per negationem identitatis maximè ens quodvis distet ab identitate, tum illi quâ instant distinctionem nec concipi, nec explicari posse absque negatione.

1691 Neque sequimur opinionem statuentium distinctionem in relatione diversitatis; eò quòd omnis relatio præsupponat fundamentum, & terminum inter se distincta; adeoquè distinctionem, quæ non est quid accidentale respectivum respectu entis sed ejus proprietas, & attributum, ut modò diximus. Neque urget quòd omne id quod distinguitur distinguatur ab alio; nam id solum verum est consecutivè non formaliter, cùm ens quodlibet sicut est ita & distinctionẽ suam formaliter habeat à quovis alio independenter.

1692 Non etiam arridet placitum eorum, qui distinctionem constituunt in modo; tum ob rationes jam allatas; tum quia nulla talis modi est necessitas; implicantibus enim omnibus modis adhuc verum est dicere: Deus est distinctus à creatura, Angelus ab homine, homo à lapide: tum quia vel ille modus distinguitur à re ipsâ cujus est modus per alium modum vel non? si primum, ergo iste item distinguetur per alium & sic in infinitum: si vero secundum, cur non etiam res ipsas absque modo distingui potest à re alia, præsertim cùm Deus modi omnis incapax ab omni æternitate distinguebatur ab omni eo, quod ipse non erat: & tres personæ Divinæ realiter; & modus à modo absque modo tertio realiter superaddito distinguantur.

1693 Multo minus illi placent, qui distinctionem in ratione producentis, & producti, seu producibilis, & productivi statuunt: quia multa realissimè distinguuntur, quæ nec divinitus possunt vel se invicem, vel unum alterum produce-

ducere; sic possibilia ab impossibilibus; actus contradictorij ab invicem; lux & tenebræ, modus & modus distinguuntur, tametsi inter illa nulla ratio producentis & producti sit reperibilis, ut constat.

1694 Imò nec sequimur eos qui in entitate, & entitate, seu entitatum multiplicitate distinctionis essentiam ponunt; tum quia infallibile est DEUM ab æterno distinctum fuisse ab omni, quod DEUS non erat, & tamen nec fuit, nec esse potuit multiplicitas entitatum ab æterno; tum quia Distinctio cujusvis entis est illius proprietas intrinseca consequens immediatè tale ens; nulla autem proprietas essentialis hujus entis potest esse proprietas alterius, non secùs quàm essentia hujus, nequit esse essentia alterius. Unde facilè elucet responsio ad adversariorum rationem, quâ ajunt impossibilem esse distinctionem absque entitatum multiplicitate; hoc enim, ut diximus verum est solum extrinsecè, & juxta nostrum intelligendi modum; ratione cujus multa sunt, quæ explicari à nobis non possunt absque alijs, licèt hæc non sint de essentia illorum, ut constat ex explicatione naturæ modorum, proprietatum, negationum &c.

1695 Sed neque amplectimur novam quorundam recentiorum opinionem constituentium distinctionem in recessu quodam ab identitate; nam manifestum est, quod priùs sit esse quàm moveri; recessus autem talis necessariò esset motus, per quem removeretur quis ab identitate, & ad dualitatem, vel pluralitatem recederet, si non physicè, & realiter; at saltem metaphysicè, & intentionaliter; adeoquè sicut implicat vel esse, vel concipi localem motum absque eo, quòd per illum recedens ab uno termino ad alterum accedat; ita & intentionalem concipere repugnabit, nisi concipiatur per motum talem aliquid recedere ab uno termino, & accedere ad alterum: adeoque talis recessus, cùm essentialiter supponat duos terminos seu realiter, seu intentionaliter tales, supponet illos distinctos; & consequenter in tali recessu consistere nequit formaliter distinctio, cùm hæc ad illum necessariò supponatur.

Metaphysicus essentialis conceptus Distinctionis.

1696 EX relatis, & rejectis aliorum de Distinctionis essentia opinionibus, ejusdem probabiliùs nobis evadit essentiam consistere in negabilitate unius entis de alio fundata in essentiali exigentia prædicatorum essentialium, vi cujus hoc ens exigit nunquam identificari alteri. Cujus nostri Placiti probabilitatem suadet tum insufficientia aliarum opinionum; tum à contrario ea, quæ jam diximus de identitate; tum quia talis negabilitas prior est actuali negatione, & posterior formaliter ipsis prædicatis essentialibus rei cujusvis, quorum illa est proprietas; certum siquidem est essentiam Alexandri, & essentiam Bucephali nunquam posse identificari inter se; adeoque illarum essentialis proprietas est negabilitas ad formalem negationem talis identificationis; cùm ea sit ratio formalis positiva, ad quam consequitur actualis hæc negatio, ut patet.

1697 Nevè quis dicat negationem istam sequi immediatè ad ipsa prædicata essentialia, adeoque in illis constituendam esse distinctionis essentiam: Nam id non subsistere patet inde, quòd præcisè intellectis prædicatis essentialibus non intelligantur entia inter se distincta, prædicata præcisè animalitatis, & rationalitatis vitalis cognitionis præcisè eidem repræsentantur illa prædicata; sicut repræsentantur vi alterius cognitionis rationale v. g. & rugibile secundum se; adeoque vi talis cognitionis præcisè non intelliguntur esse, vel non esse distincta; cùm vi illius nequeat cognoscens dicere formaliter, sed ad summum fundamentaliter solùm interea dari distinctionem.

1698 Nevè alius dicat ulterius per hanc nostram sententiam tolli receptissimum illud principium: per illud aliquid distinguitur, per quod constituitur; Nam imprimis illud locum non habere apud eos, qui vel in negatione, vel in modo, vel in relatione, vel in multiplicitate entitatum distinctionem statuunt, est manifestum. Deinde sufficienter veritas ejus salvatur, dum admittimus illud verum esse remotè, & fundamentaliter; tametsi falsum esse dicamus in sensu, quo contra nos assumitur, proximè, & formaliter; tum ob rationes jam allatas; tum quia identitas esset ipsa distinctio; tum demum, quia si distinctio consisteret in prædicatis ipsis essentialibus formaliter, maximè consisteret in prædicato differentiali; quod admitti non posse constat ex conceptu differentiæ explicato in Logica. Reliqua quæ contra nostram sententiam adferri solent; quia non distinguunt inter negabilitatem, & distinctionem actualem illam consequentem, nullum faciunt negotium.

Metaphysica Distinctionis Divisio.

1699 MUltipliciter dividi solere distinctionem notum est, vel illis qui primis labris, ut dicitur, degustârunt Philosophiam: nos eam inprimis partimur in Positivam, & Negativam; illam dicimus esse negabilitatem unius entis positivi de alio, vel realiter existente, vel possibili: hanc verò asserimus esse, vi cujus formaliter negare possumus carentiam aliquam vel actualem, vel possibilem, vel necessariam, aut etiam impossibilem, esse aliam. Atque hanc utramque subdividimus in distinctionem

nem realem, & rationis: rursus istam in distinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinātis: illa est distinctio per intellectum, sed cum fundamento aliquo in re, eò quòd res
1702 ipsa, estò simplex sit; tamen æquivalet virtute pluribus; ac propterea etiam virtualis extrinseca nuncupatur: distinctio verò rationis ratiocinantis, quam non malè quidam solius conceptûs appellant geminationem, est illa, quæ ex parte objecti nullum sui habet fundamentum, sed in vocibus solùm, aut signis ex hominum placito institutis: unde licèt subinde, non tamen semper est fictitium aliquod ens rationis.

1700 Distinctio autem realis alia est talis simpliciter intercedens inter rem, & rem; alia realis modalis, quæ intercedit inter modum, & rem; vel modum inter, & modum. Rursus simpliciter talis subdividitur in adæquatam, quæ etiam contradistinctio dicitur; aliudquè nihil est, quàm mutua negabilitas inter duos terminos, qui nullam habent partem communem realiter; & in inadæquatam, quæ est item mutua negabilitas, vel primò inter totum, & partes suas seorsim sumptas: vel secundò inter duo, quæ etsi habeant aliquas partes adæquatè distinctas habent etiam simul unam, vel plures communes, prout contingeret in ligno tripalmari, in quo si sumantur duo palmi, quilibet ab altero distinguitur; ita tamen ut tertium retineant communem; prout etiam usuvenit defacto in accidentalibus quibusdam concretis, in quibus plures formæ accidentales reperiuntur; & de possibili eveniret compositis substantialibus, si eadem materia pluribus formis seu materialibus, seu etiam spiritualibus divinitùs informaretur.

Metaphysica Distinctionis signa.

1701 Quod autem ad signa distinctionis, & præsertim realis attinet, existimamus inprimis esse separabilitatem ita, ut quoties unum existere potest realiter separatum ab altero, toties & sit, & dici debeat ab alio distinctum; repugnat enim ut idem manens idem à se ipso separetur; quod non contingeret, si separabilitas non esset infallibile distinctionis indicium; tametsi signum hoc convertibile non sit cum distinctione, eò quòd non implicet, ut duo entia ita connexa inter se sint essentialiter, ut si unum pereat etiam aliud simul essentialiter, & per locum intrinsecum cum altero perire debeat; sicut non implicat ex dictis in Physica, ut res eadem replicata in uno loco, & separata secundum quid, pereunte eâdem in alio loco secundum aliam actionem replicativam; prout de facto contingit in Venerabili Eucharistia, in quâ Christus Dominus sub mille, & mille speciebus Eucharisticis existens in locis diversissimis cessat esse in uno loco, & in alio permanet, uti fide certum est, & ex dictis loco paulò ante citato satis est manifestum.

Alterum realis distinctionis signum esse diversitatem suppositorum, seu naturarum per se subsistentium, nobis indè fit certum, quòd Angelus & homo, Petrus & Paulus ideo realiter distinguantur inter se, quia sunt diversæ naturæ, & habent diversa suppositа. Tertium pariter distinctionis indicium est inhærentia plurium diversis suppositis, seu subjectis; quam ob causam realiter inter se distinguuntur albedo lactis & albedo calcis. Addi etiam pro quarto potest inhærentia quidem eidem subjecto, sed modo diverso, uti calor, & color, qui quia homini insunt diversimodè, ideo quoque ab invicem realiter distingui, non malè infertur. Reliqua, quæ quidam agglomerant distinctionis realis indicia, ut minùs sufficientia reijcimus, eò quòd in pluribus casibus saltem possibilibus fallibilia facilè ostendantur; & præsertim tum ex ijs, quæ defacto in Divinis reperiuntur; tum ex possibili causalitate mutua saltem quoad secundum esse: tum ex dictis de replicatione, alijsque hujusmodi pluribus; de quibus passim in præcedentibus mentionem fecimus.

Metaphysicos inter Gradus nulla de facto datur formalis ex natura rei distinctio.

1703 Ex dictis hucusque Dicti hujus veritas etsi sufficienter patere possit, duplici tamen ratione pluribus omissis alijs ulteriùs ostenditur: quarum prima est usitata illa, quòd talis distinctionis inter metaphysicos entis gradus nulla sit necessitas, quia maximè superfluat: altera quòd explicari non possit ab illius patronis quid sit. Primum patet, siquidem si animal à rationali distinguatur ex natura rei in homine, sequitur in eo duplex dari animal; id ostenditur sic; quia primò daretur illud animal, quod ponitur ex natura rei distinctum à rationali; deinde in ipso rationali, quatenus distincto ab illa formalitate animalis, aliud animal ex natura rei distinctum necessariò foret admittendum; rationale enim hominis formaliter ante omne opus intellectûs dicit essentialiter vitam, cùm formalissime sit sub gradu viventis, adeoque formalissimè in se involvat animal; nam rationale in homine quatenus vivens est, sensibile est, & sensitivum, cùm sit principium ridendi; cujus actus re ipsâ est sensatio, eò quòd ad illum necessaria sint organa, & sensus quibus fiat; adeoque principium ipsius necessariò debet esse sensitivum; non secùs, quàm principium visionis, seu auditionis sensitivum est, quia ad sui exercitium requirit organa sensuum.

1704 Neque valet dicere id verum eſſe tantùm identicè; Nam rationale, ut rationale in homine, & quatenus formaliter diſtinguitur ex natura rei ab animali, eſt principium ridendi cum dependentia neceſſaria à ſenſibus, organiſque ſenſitivis, per quæ principium illud tantùm in actum exire poteſt; adeoque opus eſt illi ut conveniat ratio ſenſitivi, tanquam formali radici ſenſationis ridendi, ut manifeſtè conſtat ex data paritate aliarum ſenſationum.

1705 Quod pariter explicari non poſſit quid ſit formalis illa ex natura rei defacto diſtinctio, ſic oſtenditur: formalitas namque animalis diſtincta à formalitate rationalis in homine, debet dicere negabilitatem rationalis, ita ut fundet actualem negationem illius de iſto; hæc autem negatio actualis quid negabit? non entitatem rationalis, quia tam rationalis, quam animalis eſt eadem entitas: non etiam formalitatem ejuſdem; quia hæc formalitas negata vel eſt ens, vel non eſt ens? Primum non admittunt adverſarij: neque etiam poſſunt aſſerere ſecundum; quia evidens eſt quòd animalitas in homine ſit aliquod formaliter poſitivum: jam hoc quid poſitivum aſſignent quid ſit abſque petitione principij, cùm quæratur quid ſit ens merè formale diverſum ab ente reali?

1706 Si dicant eſſe unam formalitatem objectivam conceptibilem abſque altera; petimus idipſum ut explicent, quid ſit talis formalitas, quæ neque entitas ſit, neque nihil, ſed medium quid inter utrumque independenter ab operatione intellectûs?

1707 Quod ſi reſpondeant eſſe diverſas conceptibilitates objectivas: rurſus inſtamus, formaliter ne tales ſint, an entitativè? ſi formaliter, prout dicere debent; petimus ut explicent, quid ſignificet, & pro quo ſupponat ille terminus? Alioquin poſſet quis eludere abſque fine argumentum explicando formali per formaliter, & hoc rurſus per formalitatem, nunquam ſtatuendo, quid illud ſit, quod talibus ſub terminis latet.

1708 Cùm igitur harum formalitatum aſſertores id aſſignare defacto non poſſint, meritò eorum doctrinam, utpote humano captui imperceptibilem reſpectu entium de facto in natura exiſtentium reijcimus. Nec eam ut recipiamus ſuadet, quod illa videantur debere diſtingui ex natura rei, quæ habent diverſas definitiones, & conceptibilitates; Nam hæ conceptibilitates vel objectivæ ſunt; vel purè formales, & per intellectum: per has nulla probatur major diſtinctio, quàm rationis potentis diverſimodè concipere, & definire eandem rem ſimplicem, ſed pluribus diſtinctis æquivalentem. Per conceptibilitates autem objectivas, neque illa ſalvari poteſt; eò quòd tametſi dentur defacto fundamentaliter, ſeu æquivalenter, non tamen diſtinctæ ſunt inter ſe, prout adverſarij aſſumunt, & non probant, abſque eo, ut diximus, quòd idem per idem explicent, involventes ſolùm æquivocationem, quâ modum noſtrum concipiendi, ac uſum verborum, quibus res ſignificamus ut à nobis conceptas, ad res ipſas prout in ſe eſſe deberent, transferunt, diſtinctionem rerum ex diſtinctione ſecundum rationem colligendo, in quo haud dubiè magnus eſt philoſophicus parallogiſmus.

Metaphyſicos inter Gradus nulla de facto datur Virtualis intrinſeca Diſtinctio.

1709 PRæterquam quòd nulla ſit illius neceſſitas, cùm omnia, quæ per illam explicari deberent ſufficientiſſimè ſalventur per virtualem extrinſecam; ratio poſitiva efficax contra eam eſt, quòd datâ ſemel virtuali intrinſecâ diſtinctione inter perfectiones ejuſdem naturæ, eadem negari nequeat inter plures partes ſingularum perfectionum; ſi enim in ſole virtus illuminativa virtualiter intrinſecè diſtinguatur à virtute productivâ caloris; non eſt ratio cur etiam in ipſa virtute calefactiva, virtus productiva caloris A, virtualiter intrinſecè non diſtinguatur à virtute productiva caloris B; neque enim minùs duæ iſtæ virtutes terminare poſſunt duas cognitiones diverſas, imò contradictorias, quàm illa; quod cùm adverſarij admittere recuſent horrentes, etiam in virtualitatibus, proceſſum in infinitum, ut conſequenter loquantur, nobiſcum pariter id negent ex quo iſte ſequitur; aſſerantquè quod ſicut tota virtus calefactiva ſolis, dum à nobis cognoſcitur, licèt non eodem ſemper modo, & cum ijſdem effectibus cognoſcatur; ita nulla detur diſtinctio intrinſeca inter virtutem illuminativam, & caleſactivam, ſed per cognitionem quamlibet tota ſolis entitas cognoſcatur, licèt non eodem ſemper modo, nec in ordine ſemper ad eaſdem operationes, prout fuſiùs ſtatim explicabimus.

1710 Nevè quis dicat quòd defacto hæc virtualis intrinſeca diſtinctio admittatur in DEO à Theologis pleriſquè, ex eo quòd in DEO detur multiplicitas prædicatorum de ſe cæteroquin contradictoriorum, quæ abſque dictâ diſtinctione ſalvari nequeunt; adeoque cum talia etiam prædicata reperiantur in creaturâ, uti patet maximè inde, quòd quævis perfectio creata per ſe ipſam formaliter ſit perfectio limitata, & imperfecta, identificataquè ex natura rei cum ſua imperfectione; de qua indiviſibiliter accepta verificantur prædicata de ſe contradictoria, ut conſtat; cùm verum ſit perfectionem de ſe eſſe amabilem, imperfectionem non eſſe amabilem. Contra ſi-

qui-

quidem est; tum quia primum assumptum probat nimium; cùm eodem modo quis posset argumentari, & dicere: datur mysterium Trinitatis in Divinis; cur ergo negatur in humanis? Tum quia ad illationem lata est disparitas desumpta tam ex Infinitate essentiæ Divinæ, & finitate, ac limitatione creaturæ; quàm ex eo, quòd tanta esset difficultas in cognoscenda essentia creatâ, quanta est in Increata cognoscenda quod nemo admittet.

1711 Ad alterum quod assumebatur dicimus, quòd sicut perfectio creata est perfectio per se ipsam imperfecta, ita per se ipsam moveat ad amorem & complacentiam imperfectam includentem aliquid displicentiæ; eâdemquè in proportione imperfectio creata, quia est imperfectio aliqualiter perfecta movet ad displicentiam mixtam cum aliquali complacentia; in quo nulla intercurrunt, ut patet, contradictoria.

Metaphysicos inter gradus alicujus entis absolutè possibilis possibilem esse distinctionem ex natura rei, vel virtualem intrinsecam est probabilius.

1712 ARgumento id asserendi nobis est (ut præ-tereamus desumptum à non repugnãtia, quæ in casu assertionis absolutè loquendo nulla est assignabilis, præsertim respectu alterius rerum ordinis; illa enim, quæ desumitur ex finitate entis creati, nulla prorsus est; cùm ens illud possibile capax hujusmodi distinctionis, unicâ tantùm, vel etiam pluribus, sed determinatis perfectionibus excederet entia, quæ de facto dantur; non autem infinitis, ut constat ex dictis in Physica) tum ratio illa, quâ possibile videtur objectum aliquod creatum, in quo detur prædicatum reale realiter idem cum illo, sed non realiter idem cum alio prædicato realiter identificato cum eodem objecto; quod patet exemplo albedinis v. g. possibilis, quæ esset, & effectus Dei essentialiter immediatè dependens ab illo solo; & simul causa realis suorum effectuum; nimirum disgregationis visûs, aliorumque similium: in tali autem albedine prædicatum, seu habitudo effectûs ad primam causam esset identificata ipsi albedini, & non esset identificata alteri prædicato, seu habitudini, quam diceret talis albedo ad suos effectus; hanc enim habitudinem sicut de facto percipitur, ita & tunc percipere posset sensus noster; illam autem nullatenus; uti manifestum est; cùm sensus materialis non possit immediatam à solo Deo dependentiam, seu habitudinem percipere, ut communiter docent Theologi; adeoque in casu illo possibili idem objectum ante omnem intellectûs operationem perciperetur, & non perciperetur; quod vi solius formalis, vel virtualis intrinsecæ distinctionis fieret.

1713 Tum quia videtur rationi conforme, ut rationes objectivæ, quarum neutra includitur in objectiva definitione alterius saltem de possibili distinguantur ex natura rei, vel virtualiter intrinsecè; sic, si ita summo rerum moderatori placeret, in anima rationali possibili vegetativum, sensitivum, Loco-motivum, rationale, & alia adhuc rationalis major perfectio, distingui possent absque eo, quòd essent quinque animæ, sed una constans quinque perfectionibus ex natura rei, vel virtualiter intrinsecè distinctis. Et hoc est quod Aristoteles docuit formas se habere sicut figuras, quæ sunt ita ordinatæ, ut prima, seu infima sit trilatera, quadrilatera secunda, tertia quinque-latera, & sic deinceps; quemadmodum igitur figura superior continet totum, quod inferior, & adhuc plus aliquid, sic forma superior continet totum, quod inferior, & adhuc plus aliquid; adeoque etsi anima aliqua rationalis possibilis contineret plures formalitates, perfectiones, & perfectiones inter se ex natura rei, vel virtualiter intrinsecè distinctas, nec sequeretur quòd esset perfectionis infinitæ; nec quòd mysteriũ Trinitatis in reb⁹ creatis reperiretur.

1714 Quare si quid contra probabilem hanc nostram opinionem obijci potest, id aliud non probat, quàm quòd in rebus, quæ defacto conditæ sunt, & juxta præsentem rerum ordinem, hujusmodi distinctiones formales, vel virtuales intrinsecas non dentur, non autẽ de possibili, & absolutè: fatendum siquidem est omnibus plus Deum posse producere, quàm humanus intellectus capere, aut explicare possit, quando præsertim nulla est assignabilis in rebus ipsis contradictio; quantumvis humano intellectui multa visa sint impossibilia, ut alibi diximus, quære ipsâ in se possibilia fuerunt.

1715 Quæ enim humana Philosophia percepit unquam Deum Unum, & Trinum, Verbum hominem, Assumptam humanitatem, non personalitatem; Matrem Virginem? Unde sicut fides supra rationem, ita ratio supra sensum erigenda est, nisi velimus multa Philosophiæ dogmata ex Philosophia eliminare. Quid namque cognitioni nostræ defacto est magis imperceptibile, quàm in palmari ligno infinitas reperiri partes nunquam exhauribiles; inter duas lineas vix non contiguas infinitas alias se non tangentes interijci posse, aliâque plura his similia, quæ juxta Aristotelem, & veritatem ipsam necessariò sunt ut indubitata admittenda?

Metaphysicos inter Gradus Distinctiones, seu Præcisiones intentionaliter objectivæ.

Nomi-

1710 NOminales inter, & Reales Philoſophos magna hactenus & diuturna fuit diſſenſio, an dentur dabileſvè ſint inter gradus metaphyſicos objectivæ præciſiones? Quarum nomine aliud non intelligitur, quàm quòd intellectus eandem rem realiter indiviſibilem, ita formali unâ cognitione attingit ſecundum unam formalitatem, ut eandem non attingat ſecundum aliam cum eâdem realiter identificatam. Concedunt id quidem Nominales reſpectu ſolius actûs cognoſcentis; at negant quidquam eſſe ex parte objecti cogniti quod correſpondeat uni actui, & idem ipſum non correſpondeat alteri. Affirmant è contra Reales, rationes quaſdam in objectis ipſis etiam independenter ab intellectu reperiri aptas terminare actum unum, abſque eo, quòd ab eodem altera objectiva ratio ullatenus attingatur.

1717 Diſſentientes inter ſe aptè conciliari poſſe exiſtimamus dicendo admittendas eſſe præciſiones objectivas, non quidem in ſtatu reali, extra intellectum, ſed in ſtatu intentionali infra illum; ita ut vi ſpeciei intentionalis formatæ ab intellectu agente repræſentetur una objectiva perfectio, abſque eo quòd ab, & in eadem ſpecie repræſentetur alia formalitas, aut perfectio eidem alioquin in ſtatu reali identificata.

1718 Cujus noſtræ conciliativæ ſententiæ veritas ut magis eluceat præmonemus nos non dicere, quòd formalitates objectivæ reperiantur, ut diſtinctæ intrinſecè in objectis ipſis, prout hæc ſunt in ſtatu reali extra intellectum, ſed ſolùm aſſerimus diſtinctionem, ſeu Præciſionem hanc objectivam eſſe in objecto prout eſt in ſpecie, ſive in ſtatu intentionali, quam refundit intellectus in objectum, non poſitivè ſeparando in ipſo objecto unam formalitatem, ſeu prædicatum ab altero; ſed negativè ſe habendo in expreſſione circa alteram ita, ut dum hoc præſtat non habeat ſpeciem, quæ ſit repræſentativa omnium omnino formalitatum objecti, etiam confusè; & hoc ideo, quia intellectus in ſe ipſo non eſt formativus perfectionis ſpeciei, quam ſit illa, quæ repræſentat id, quouſque venit per diſcurſum: cùm igitur per diſcurſum, non ſemper veniat intellectus eò uſque, imo vix aliquando, ut penetret omnes rationes objecti: ſed plurimæ adhuc manent illi occultæ, conſequenter intellectus agens producit ſpeciem, quæ ſolùm repræſentat id, quouſque venit per diſcurſum: Alioquin imperfectiſſima ſpecies in ſe foret æqualis perfectiſſimæ ſpeciei de eodem objecto; ſola enim inæqualitas ſe teneret ex parte cognitionis.

1719 Quod dici non poſſe patet ad oculum in ſpeciebus colorum, quæ tranſmiſſæ ab objectis recipiuntur in potentia viſiva: in quibus experimentaliter patet, quòd ſpecies ſit repræſentativa alicujus perfectionis, quam tamen ipſa potentia non exprimit in quibuſdam circumſtantijs, in alijs vero ipſam exprimit ob ſpeciem perfectiorem; Unde ſpecies ipſa ſe habet immediatè reſpectu cognitionis vitaliter expreſſivæ objecti: ſicut pictura aliqua, quæ repræſentat potentiæ viſivæ mediam tantùm faciem hominis; ita ut alteram partem nullo modo repræſentet.

1720 Quibus ritè intellectis facilè quòque intelligitur, & probatur noſtra ſententia; per nos namque præciſio intentionalis objectiva, aliud nihil eſt, quàm intentionalis repræſentatio unius prædicati, ita ut intellectiva potentia de illo certificetur, abſq; eo, quòd ullo modo certificetur de alio prædicato; quod alioquin eſt cum illo in ſtatu reali extra intellectum realiter identificatum: & hoc propter ſpeciem vicariam objecti nullatenus repræſentativam alterius prædicati; ſi enim intellectus excitatus à ſpeciebus phantaſticis dum format ſpeciem intellectualem impreſſam animalis, formaret etiam ſpeciem rationalis; hoc neceſſariò repræſentaret, & vitaliter cognoſceret; atque de eo certificaretur, & poſſet reddere rationem de cognito rationali æquè ac reddat rationem de cognito animali; quod cùm præſtare nequeat, certum videtur animal in ſui vicaria ſpecie re ipsâ ab intellectu cognoſci abſque eo, quòd in eadem ullatenus cognoſcat rationale; utpote hujus tam parum repræſentativa, quàm materialis ſpecies motûs, ſit ſpecies repræſentativa diſcurſûs.

1721 Nevè quis dicat hoc provenire ex eo quòd connotata animalis, & non connotata rationalis ex parte objecti attingantur: Contra ſiquidem eſt; tum quia quod cognoſcitur ens in cõmuni præſcindendo ab homine, & equo, non oritur ex eo, quòd connotata, ſive effectus hominis, & equi ex parte objecti non attingantur; cùm cognitio entis per adverſarios ex parte objecti cognoſcat quidquid eſt ens, ac proinde ipſa etiam connotata hominis & equi, quæ ens ſunt: tum quia dum cognoſcitur animal in communi, cognoſcuntur cõnotata equi in communi, & effectus ejus proprij: atque ſic, quòd nunc non cognoſcatur equus, ſed cognoſcatur animal, non oritur ex eo, quòd connotata animalis, non connotata equi attingantur ex parte objecti; ut adverſarij volunt; ſed ex eo, quòd ſit in intellectu ſpecies repræſentativa animalis ut ſic, non autem repræſentativa animalis talis.

1722 Objectiones, & inſtantiæ, quæ contra has noſtras intentionaliter objectivas præciſiones adferuntur, vel faciunt tantùm contra Nominales, vel contra Reales tantùm; nullo autem modo contra nos, qui in ſtatu reali intentionali, medio inter purè formalem, & purè realem objectivum præciſiones has intentionaliter objectivas adſtruimus.

Meta-

Metaphysici entis Unitas, Veritas, & Bonitas.

1723 Cùm scientia omnis passiones aliquas de objectis suis demonstrabiles nanciscì debeat; cumquè jam entis proprietates primò primas, Identitatem scilicet, & distinctionem examinaverimus, aliæ, quas non malè, utpote ad duas jam dictas immediatè consequentes secundò primas cum ingenioso quodam recentiore appellamus, breviter veniunt examinandæ: eas tres tantùm esse dicimus, nimirum Unitatem, Veritatem, & Bonitatem: sive ut communiter in concreto sumuntur Unum, Verum Bonum; licèt enim sex numerentur prædicata transcendentia comprehensa voce illâ Summulistica Reubau, quia tamen res, & aliquid soli positivo enti conveniunt, ideo nequeunt esse, & dici entis ut sic proprietates; & propterea eas tres tantùm asserimus; tum quia tot assignari debent entis metaphysici latissimè sumpti secundo primæ proprietates, quot illa 1727 sunt in ordine ad quæ Metaphysica eas considerat; hæc autem tria tantùm esse patet inde, quòd Unitas in ordine ad divisionem, Veritas in ordine ad intellectionem, & Bonitas in ordine ad Volitionem consideretur.

1724 Tum etiam quia sicut corpus quodvis quantum in infinitas licèt partes proportionales sit divisibile, nihilominus tribus comprehenditur adæquatè divisionibus, nempe longitudine, latitudine, & profunditate; sic ens in innumeras partes subjectivas dividuum trinâ tamen tantùm proprietate est dimetiendum. Tum demum quia Aristoteles tertio de Cœlo ostendit ex Pythagoræorum, ut ipse ait, disciplina, numero ternario perfectionem quandam, & absolutionem significari; siquidem apud eos solemne fuerit omne, & omnia, sive quod idem est, perfectum; & absolutum tribus definiri, sive ternario numero significari; quia nempe in eo reperitur ratio principij, medij, & finis, quibus tribus periodis rerum 1728 perfectio incipit, progreditur, & consumatur; ac propterea congruum etiam est ut ens in communi, quod perfectionem omnem comprehendit proprietates numero tres sibi vendicet.

1725 Porrò has tres proprietates, seu attributa manifestum est non distingui plus quàm ratione ab ente cujus sunt proprietates; nulla siquidem dabilis est realiter passio entis, quæ realiter ens non sit, adeoquè dicere necessariò debemus eas non plus quàm ratione ratiocinatâ ab ente distingui; cùm præsertim hæc di- 1729 stinctio sufficiat ad explicanda omnia, quæ de ente, ejusque proprietatibus dicuntur; & ex ea non sequantur absurda illa philosophica, quæ ex distinctione majori, quàm rationis sequerentur; qualia sunt realis processus in infinitum; reciproca eorundem nemine cogitante, principij, & proprietatis realis conversio, aliaquè plura, quæ considerantì sequelas facilè deprehendentur.

1726 Unde rectè deducimus 1. Unitatem entis ut sic esse indivisionẽ ejusdem sic sumpti adæquatè, & secundum se in ratione entis; sicut enim unitas entis v. g. Singularis, ut infrà dicemus, est indivisio illius in alia plura Singularia entia, quale est ipsum; ita & unitas entis ut sic, est indivisio entis taliter sumpti in plura entia, quale est ipsum. Deinde dicimus alteram proprietatem, quam Veritatem appellavimus nihil aliud esse, quàm ipsam intrinsecam, & essentialem cognoscibilitatem, quâ ens, sicut est in se ab intellectu potest, & exigit cognosci. Quare & quæ falsa sunt formaliter sunt tamen essentialiter, seu transcendentaliter vera; hoc ipso quòd vim habeant terminandi actum intellectûs, & ab illo, vi intrinsecæ suæ cognoscibilitatis sint intelligibilia.

1727 Ex quo rectè sequitur nihil dari falsum, sicut nec malum transcendentaliter, hoc ipso quòd nihil detur intrinsecè incognoscibile, ut in Physico-Ethica ostendimus; nihilquè quod voluntatis actum terminare possit; Bonitatem siquidem, quam tertiam entis passionem ut sic esse diximus, constat esse ipsam perfectionem competentem enti ut sic, vi cujus habens esse suum essentiale perfectum movere potest voluntatem, hoc ipso, ad sui prosecutionem; sicut enim ens quodvis, quia habet suam essentiam, dicitur sub hac ratione illi nihil deësse; sic quia hoc ipso etiam habet suam bonitatem, eidem nihil deërit, quatenus talem perfectionem habet, quo minus bonum sit transcendentaliter, & amabile quatenus tali essentiali est præditum.

Metaphysici Entis ut sic Præcisio à suis subjectivis partibus.

1728 SUprà insinuavimus ab Aristotele 1. Met. Ens ut sic universim dividi in id, quod est, in id quod non est, in id quod est possibile, & in id, quod est impossibile. Atque rursus quodlibet ex his membris dividentibus multipliciter subdividi, & præsertim Ens Actuale, posse, ex dicendis patebit magis. Quo posito exsurgit non incelebris quæstio, an scilicet tam ens ut sic, & latissimè acceptum, quàm ens tale, v. g. positivum, seu actuale, ab illis, per quas contrahitur, differentijs perfectè, & univocè præscindat?

1729 In cujus quæstionis decisione quoad utramque partem, affirmantem sequimur sententiam, persuasi pro prima parte illâ ratione, quòd per conceptũ entis ut sic, non certificemur de positivitate vel negativitate, de possi-

bilitate, vel impoſſibilitate, quæ ſunt illius differentiæ contractivæ; diſcurrimus enim, & diſputamus de ente, ut ſic, abſque eo, quòd diſquiramus, Poſitivumné ſit, an Negativum, &c. ideoquè conceptus de ente ut ſic, non eſt formalis conceptus entis talis, ut conſtat; cùm hæc taleitas adveniat enti per differentiam, per quam contrahitur ad eſſe talis entis; quod ad perfectam univocationem entis, ut ſic, ſufficere conſtat ex allata in Logica univocorum definitione.

1730 Pro ſecunda verò parte Placiti, quod ſequimur argumentum convincens (præter ea, quæ inſinuavimus in Logica, ubi de Prædicamentis agebamus) eſt illud, quòd ſicut per conceptum entis realis poſitivi, nullam poſſumus reddere rationem de perfeitate, & inaleitate; deque aſeitate, & abalietate, cùm non animadvertamus nec ad ſubſtantiam, nec ad accidens, nec ad Creatorem, nec ad creaturam, cùm nulla eluceat ratio major, vi cujus unum potiùs concipiamus, quàm aliud; ita, & potiſſimùm per conceptum perfeitatis, & inaleitatis, nullam poſſumus reddere rationem de ente reali poſitivo: eò quòd perfeitas v. g. habeat aliam formaliter cognoſcibilitatem, & omnino diverſam à cognoſcibilitate entis realis poſitivi, quod idem patet de inaleitate; Perfeitas enim formaliter in ſuo conceptu aliud nihil importat quàm independentiam; inaleitas verò dependentiam à ſubjecto, in quibus formalibus conceptibus, tota earum habetur eſſentia; tametſi in definitione importetur copula eſt, præcisè ratione prædicationis illam requirentis, non verò ſignificationis, cùm tota eſſentia conſiſtat in ſolo genere, & differentia.

1731 Cujus noſtri diſcurſûs ratio ulterior eſt quòd ſicut compoſitum phyſicum conſtat partibus realiter diſtinctis, quarum una, phyſicè alteram non includit; ita proportione ſervatâ, compoſitum metaphyſicum conſtare debet partibus formaliter, & metaphyſicè diſtinctis ita, ut una formaliter non involvat aliam. Cùm igitur ens ut genus, & perfeitas ut differentia conſtituant compoſitum ſubſtantiale metaphyſicum; bene ſequitur has duas partes formaliter, & in ſtatu præciſivo ſeſe nullatenus involvere; adeoque perfectè ab invicem præſcindere ſecundum formales, & præciſivos ſuos conceptus; ſecundum quos in ſtatu præciſionis ſeſe non involvunt, tametſi idem omnino ſint in ſtatu reali, & ante præciſionem. Ad quod qui benè ſe reflexerit nullam in ſolvendis ijs, quæ contra fieri ſolent, objectionibus patietur difficultatem; cùm quidquid diverſitatis aſſignetur teneat ſe ex parte conceptûs differentialis, ſtatûſque realis, quod nihil obſtat perfectæ præciſioni, uti notum eſt.

Metaphyſici entis ſpecies Prima, ſeu Ens Actuale poſitivum exiſtens.

1732 ENtis Actualis nomine, quod primum datæ diviſionis membrum, ſpeciemque conſtituimus, aliud nihil intelligimus, quàm quod habet eſſe ſuum reale actu extra cauſas poſitum. Illud conſtituitur eſſentialiter, & intrinſecè aliquo eſſe reali actuali, quod eſt ipsũ eſſe actuale exiſtentiæ talis entis; quod in eſſe intentionali formalis cognoſcibilitatis ponitur per primum formalem conceptum, quem de illo formare poteſt intellectus; cui notiſſimus ille vel inde eſt, quòd ipſi manifeſtus reddatur per ipſam exiſtentiam potentiarum, & operationum, quas actuale quodvis ens exercere poteſt, juxta exiſtentis eſſentiæ ſuæ dictamina, & exigentiam.

1733 Neque tamen ideo talis ipſius conſtitutio importat phyſicam aliquam compoſitionem ex partibus, videlicet eſſentia, & exiſtentia realiter diſtinctis conſtantem; talis namque realis diſtinctio eſſentiam inter, & exiſtentiam nullatenus eſt reperibilis: tum quia eſſentia cujuſcunque creaturæ, dum ex ſtatu poſſibilitatis, ſive ex non eſſe extra cauſas, tranſit ad ſtatum actualitatis, ſive ad eſſe extra cauſas, hoc præſtat eſſentialiter, & in genere cauſæ formalis per ſe ipſam; eſtò in genere cauſæ efficientis per aliquid à ſe diſtinctum id habeat: illud patet, nam & exiſtentia ipſa ex merè poſſibili fit actualis per ſe ipſam, ne detur proceſſus in infinitum: tum quia eadem ſuam habet eſſentiam, cùm habeat ſua prædicata eſſentialia, propriamque definitionem, quâ dicitur eſſe id, quo res eſt actu, & diſtinguitur à nihilo; alioque quovis ente, quod actu non eſt; verificando propoſitionem affirmantem rem ſimpliciter eſſe.

1734 Si igitur exiſtentia fieri poteſt exiſtens, & non per aliam exiſtentiam à ſe realiter diſtinctam, cur etiam abſque exiſtentia à ſe realiter diſtincta exiſtens non fiat ipſa eſſentia? tum quia ſi eſſentia actualis diſtingueretur ab exiſtentia realiter; prout ab ea contradiſtincta, vel aliquid eſſet actu, vel nihil eſſet actu? ſi primum; ergò eſſentia, de qua loquimur, exiſtit actu prout contradiſtincta ab exiſtentia ſuperaddita; & conſequenter hæc erit omnino ſuperflua, & reijcienda: ſi verò nihil eſſet actu, repugnaret ut exiſteret per exiſtentiam ſuperadditam; cùm id, quod eſt actu nihil, uniri non poſſit realiter alicui reali; ſiquidem unio realis eſſentialiter terminetur ad extrema realia actu exiſtentia, ut ex dictis in Phyſica conſtat.

1735 Tum demum quia ex reali diſtinctione eſſentiam inter, & exiſtentiam tollitur de medio omnis actio creativa; ſi enim exiſtentia Angeli, aut rationalis animæ diſtinguatur ab eſſen-

essentia, illa hujus erit necessariò forma, quæ forma absque essentia, quam existentem formaliter redderet, saltem naturaliter esse non posset, utpote ex qua educeretur, in eaque reciperetur; non secùs quàm formæ omnes materiales tam substantiales, quàm accidentales in subjectis ex quibus educuntur, connaturaliter recipiantur, existentia igitur Angeli, vel animæ generaretur propriè, cùm educeretur ex essentia, in eaque reciperetur; & consequenter Angelus, & anima non crearentur; siquidem defacto res materiales generari, & non creari dicuntur, in quantum earum existentia producitur ex alio.

1736 Nec efficacia hujus rationis infringitur dicendo, quòd aliquid generari, sit generari ejus existentiã dependenter ab aliena existentia, nõ verò à propria essentia; nam actio creativa Angeli, vel animæ, non terminatur ad essentiam Angeli vel animæ præcisam ab existentia, cùm illa improducibilis sit, quâ talis, & solùm à Deo essente emanans, ut infrà dicemus: adeoq; terminabitur ad solam existentiam: atqui ad hanc terminari nequit, cùm per adversarios educi debeat ex essentia ipsa; sicq; re ipsâ datâ reali distinctione inter essentiam, & exìstentiam res nulla creabitur, quod falsum est, & erroneum.

1737 Quæ sequela patet ulteriùs, tum quia per quosdam adversariorum existentia est modus essentialiter à subjecto in fieri, & esse dependens, adeoque essentialiter tantùm generabilis; tum quia existentia Angeli posterior, per eosdem, est ejus essentiâ, nec dari potest absq; eo, quin essentiam Angeli intrinsecè afficiat, & denominet, quare sicut intellectio Angeli, quia dependet ab ejus essentia, eoque posterior est, non creatur, sed generatur, ita ejus existentia ob eandem rationem non creabitur; sed generabitur.

1738 Neque obest indistinctioni reali essentiæ, & existentię, vel primò quòd essentia sit necessaria, & æterna; existentia contingens, & defectibilis; Nam hoc solùm significat, quòd licèt ens quodlibet creatum in se sit defectibile realiter, & contingens; defectibilitas tamen, & contingentia illi non conveniat, prout stat sub conceptu essentiæ, sub quo concipitur tantùm per ordinem ad suas proprietates, & ut illarum principium, sed prout stat sub conceptu existentiæ, sub quo concipitur in ordine ad causam efficientem, & ut extra illam per actionem ipsius efficienter est posita; non secùs quàm licèt petri entitas eadem realiter discurrat, illi tamen non convenit discursus prout stat sub conceptu animalis, sed solùm prout stat sub conceptu rationalis.

1739 Vel secundò quòd rerum essentiæ proveniant à Deo essente, existentiæ autem ab eodem ut omnipotente, seu operante per suam omnipotentiam. Nam illud verum est respectu essentiæ in statu purè possibili, non autem sumptæ ut actu existentis; quare omnino admittimus in statu puræ possibilitatis sumptam essentiam distingui secundum id quod dicit in obliquo ab existentia; seu quod idem est, concedimus inter statum possibilitatis, & actualitatis ejusdem rei metaphysicam inadæquatam distinctionem, quin physicam; vi cujus etiam de essentia, & existentia verificantur propositiones cœteroquin contradictoriæ. Ad quas acceptiones essentiæ, & existentiæ respectu diversorum statuum, quisquis accuratè attenderit, nullo negotio omnia, quæ pro reali inter essentiam, & existentiam distinctione, atque ex ijs entis actualis compositione adferuntur, dissolvet.

Metaphysici entis species altera, seu ens actuale negativum.

1740 POsitivo actuali enti opponitur ens negativum, quod est altera species, ens metaphysicum ut sic, immediatè dividens, seu participans, & suo modo abusivo pariter actualis. Ipsius nomine intelligimus ipsam entis actualis positivi carentiam, sive hæc deinde sit pura negatio entis alicujus positivi realis adæquati; sive inadæquati solùm, quæ ad distinctionem illius dici consuevit privatio, seu carentia alicujus formæ in subjecto apto illam habere. Verùm nos indiscriminatim de ente negativo hîc loquentes dicimus; illud suo modo defacto, & nemine cogitante dari, ab omni ente positivo realiter distinctum, & authoritate potiorum Philosophorum, & ratione esse certum.

1741 Tum quia nemine cogitante noctu ex aëre non est lux: defacto non est alius mundus, in marsupio Iri non sunt mille aurei, in cadavere non est forma viventis, &c. Tum quia negatio objectiva, & realis talis est per analogiam quandam ad negationem intentionalem, quæ dum negat alium mundum existere, ita illius negat existentiam, ut ponat, & affirmet se ipsam, dum enim nego alium mundum, non nego, sed affirmo me negare illum: pari ratione negatio objectiva negans existentiam alterius mundi, ita illam negat, ut non neget, sed ponat se ipsam; quæ est ipsum non esse reale alterius mundi; quod est verificativum propositionis formalis negantis illum ipsum. Tum demum quia quod est verum à parte rei, est verum veritate, quæ daturâ parte rei; sed est verum à parte rei, & nemine omnino cogitante, quòd non detur alius mundus, adeoq; à parte rei realissimè datur hæc objectiva veritas; quæ aliud non est, quàm ipsum non esse alterius mundi,

Ex quo

1742 Ex quo patet satis existentiam negationum, seu entis positivi carentias dari realiter, & quidem suo modo distinctas ab omni ente positivo; neque solùm esse ipsa entia positiva, quatenus incompossibilia cum alijs entibus, illaque excludentia, prout quidam arbitrantur; tum quia noctu v.g. manente aëre, & 1745 sublato quocunque alio ente positivo, aër non habet lucem, uti ex tenebris ipsis elucet; vi cujus carentiæ intellectus movetur ad negandum dari lucem in aëre, cùm nequeat moveri ab ullo alio, siquidem illud aliud vel lux esset, vel aër ipse, quod dici nequit, quia aër, & lux etiam sunt in meridie, & tamen ab illis non movetur intellectus ad negandam lucem in aëre, ut constat: tum quia si negationes non essent quid contradistinctum ab omni ente reali positivo, non essent assignabiles extra Deum termini mutationum, quæ extra ipsum fiunt; dum enim creatura aliqua à Deo destruitur, ut cùm substantia panis annihilatur in hostia, si panis negatio non daretur, quisnam esset talis annihilationis terminus ad quem? Præterea quodnam objectum haberet decre- 1746 tum, quo Deus potuit vel nolle producere ullam creaturam, vel velle omnes destruere? tunc enim nihil daretur extra Deum nisi sola negatio omnis creaturæ.

1743 Neque dicat aliquis tales negationes aliud non esse, quàm ipsas Dei nolitiones circa res ipsas: Contra enim est, quia sicut esse solem v.g. realiter, & formaliter non est esse voluntatem Dei circa solem; ita non esse solem formaliter non est esse realiter, nolitionem Dei circa solem; quoties namque unum esse non est aliud esse, toties exclusio unius non est formalis exclusio alterius; siquidem formalis exclusio solis. v.g. excludit, seu negat formaliter hanc entitatem solis, & non entitatē aliam; adeoque exclusio, seu negatio solis formaliter, non est exclusio, seu negatio volitionis Dei increatæ, & consequenter non esse solem, non est esse nolitionem Dei circa solem, cùm non esse talem volitionem est formaliter solùm negatio volitionis Dei; quam negationem, velut quandam causam sequitur non esse solis tanquam effectus quidam ab illa distinctus.

1744 Neque dicat alius negationes rerum esse aliquid creatum positivum incompossibile cum rebus ipsis. Nam res nulla inprimis po- 1748 sitiva assignari potest physicè incompossibilis cum alia re positivâ naturaliter. Quæ enim res positiva esse potest incompossibilis cum lumine v.g. ita ut ad existentiam illius in aëre, lumen in aëre non existat? Annè fortè sol in alio hemisphærio existens? Verùm sole alibi existente, cur nequeat lux esse in aëre nostro? Nemo certè rationem adferet talis impotentiæ, qui ea, quæ de replicatione, cum communi Philosophorum in Physica diximus rectè intellexerint. Tum etiam quia Authores positæ objectionis necessariò adstruere debent tot actu entia positiva semper, quot sunt entia possibilia; imò semper essentialiter existere eandem entium multitudinem, cùm idem prorsùs esset unum auferri, & alterum poni.

Quod absurdum evitare cupientes alij, dicent fortè ens positivum incompossibile cum rebus ipsis esse diminutum ens aliquod, à prima, vel alia causa creata productum. Verum volentes vitare scyllam, in Charybdim impingunt; tum quia negationum quædam necessariæ sunt, & necessariò existunt; quod nulli enti positivo extra Deum, cujuscunque demùm perfectionis sit, convenire potest; tum quia si negationes contingentes essent tales entitatulæ, Deus necessitaretur ad ponendum aliquam entitatem extra se; eò enim ipso, quòd Deus non poneret aliquod ens, deberet necessariò ponere ejus negationem, quæ per illos ens positivum esset, licèt diminutum; quod de Deo dici non posse ex eo liquet, quia quæcunque voluit liberrimè fecit, facitque.

Ex quibus cùm indubitatum manеat dari re ipsâ negationes, rerumque carentias actualibus positivis entibus oppositas, ipsarum essentia, quamvis ad illius notitiam, & cognitionem per species alienas, & improprias manuducatur intellectus juxta præsentem rerum statum; nihilominus quoad nostrum intelligendi modum bene explicatur per ipsum non esse principij proprietatum, & passionum positivarum nobis maximè notum; sive ut alij, per determinativum objectivum judicij negativi, uti à contrario ex dictis suprà de primo entis positivi conceptu fit manifestum.

1747 Neque ex his primis negationum conceptibus inferri potest negationes percipi posse etiam à sensibus, prout nonnulli affirmant, tum ex eo, quòd sensus percipere possint res absentes; tum quia nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; tum quia oculus videt colores in Iride qui non sunt: tum quia canis egredi tentat per portam, in qua non videt impedimentum: tum quia simia jactura lapidem in hominem, parvum apprehendit, apprehendens in eo negationem magnitudinis; tum demum quia serpens terretur umbrâ hominis, canis blanditur umbræ Domini &c.

Verùm ratio illationis nostræ patet tum ex dictis in Physico-ethica de objecto sensuum; tum quia si negationes perciperentur à sensibus, vel perciperentur ab externis, vel ab interno, ut rationes adversariorum contendunt; neutrum autem dici posse patet; tum quia si à sensu aliquo externo perciperentur posset vinum optimum non existens in rerum natura gustari, & bibi; absque cibo homo nutriri, absque igne comburi &c. si verò ab interno sensu perciperentur, ut maximè contendit P. Arriaga, id

ga, id fieret per species insensatas quasdam, quas, ait, brutis præsertim, à DEO inditas; verùm neque id defendi posse patet vel ex ipsa notione nominis talium specierum; si enim insensatæ sunt, insensibiles pariter eas esse necesse est, quod verò insensatum, & insensibile est, sentiri nequit, ut constat.

1749 Neque rationes aliæ adversariorum efficaciores istâ sunt; Ad primam namque tametsi concedatur respectu sensûs interni antecedens, ex eo tamen minimè sequitur consequétia, quam intendunt; siquidem disparitas est in eo, quòd res absens non excedat limites objecti adæquati potentiæ sensitivæ, sicut eos excedunt negationes, quæ secundum se nullatenus participant rationem entis materialis sensibilis sensibilibus affecti accidentibus; quod, ut suprà diximus est objectum adæquatum sensitivæ potentiæ.

1750 Alteram nihil quoq; urgere pariter constat, eò quòd licèt negationes in sensu non sint secundum se, & immediatè, sunt tamen quodammodo mediatè, indirectè, & quasi æquivalenter, quatenus nimirum sensus cœteras res sensibiles percipiens, inter illas non percipit res negatas: sic canis venaticus reliquos percipiens odores, inter quos non est odor leporis, percipere quodammodò improprijssimè dicitur negationem odoris, ad eum modum, quo oculus noster apertus & debitè applicatus noctu nihil videns, dicitur impropriè videre tenebras & nihil, eò quòd nullam visionem eliciat in tenebris.

1751 Ad tertiam dicimus oculum intuendo Iridem videre colorem, non verum quidem, sed apparentem tantùm, causatum à lumine solis in nubem roscidam incidente, ac proinde diversum quid est negatio coloris, & color apparens; hic enim apparenter, quin subjectivè, positivum quid est, illa verò simpliciter non esse coloris.

1752 Ad quartam etiam patet indè, quòd canis dum tenetur in obscuro cubiculo omnes tentet partes, ut aditum egrediendi reperiat; quod autem rectâ egrediatur per patentem portam non accidit inde, quasi videret ibi negationem impedimenti; sed quia non videt ibi positivum impedimentum, quod in alijs partibus deprehendit, à cujus visione terretur, ne illuc exitum tentet.

1753 Quintæ instantiæ satisfit eâdem ratione; siquidem simia in parvo lapide, quem projectura assumit, positivè apprehendit parvitatem, quæ quid positivum est, utpote positiva extensio requisita ad id, quod ipsa intendit. Ad ultimam demum negatur id, quod supponit, nempe umbram esse negationem luminis, cùm sit aër labens lumen, seu lucem valde exilem, & tenuem ob interpositum corpus, quod lumen exiguum aëri inhærens cùm circumambiat lux intensior, talem efformat figuram, quæ hominem, à qua causatur, repræsentant, non est mirum, quòd serpentem terreat, &c. prout constat ex alibi dictis.

1754 Nevè quis dicat, ex his sequi nec intellectum cognoscere negationes ex parte objecti; Nam etsi vera sit illatio, loquendo defacto, & de directa, ac intuitiva cognitione, à proprijs speciebus dependente, falsa tamen est, si loquamur de cognitione abstractiva, mediata, & à speciebus alienis, entis scilicet positivi proveniente; cùm enim negationes participent rationem entis ut sic, participant quoq; de ipsius attributis, & consequenter sunt infra objectum intellectûs, adeoqué ab eo cognoscibiles saltem per species entium positivorum defacto, licet de possibili possint etiam cognosci per species proprias supernaturaliter productas, & infusas intellectui cognoscenti, ac repræsentantes ipsas negationes, ac si ab ipsis productæ fuissent.

Metaphysici entis species tertia, seu ens possibile.

1755 ENtis possibilis nomine communiter illud venit, quod priusquam actu existat, habet talia prædicata, vi quorum si ponatur extra causas, nullam involvat contradictionem. Sed impropriè nimis sic circumscribitur, sicut & nimis latè sumitur pro omni eo, quod impossibili simpliciter opponitur, eò quòd huic opponantur entia actualia, & negativa, quæ tamen contradistinguuntur, ut patet ex dictis, ab ente possibili præcisè sumpto. Aptius igitur, & sensui Philosophico congruétiùs per ens Possibile illud intelligitur, quod ab Impossibili, & Necessario contradistinctum importat contingentiam quandam ad existendum, vel non existendum. Et proprijssimè, ac rigorosè pro eo, quod nec impossibile est, nec necessarium, nec pro ulla differentia temporis existens, sed merè possibile est; cujusmodi ens est alter mundus, alijque sine fine, qui ita existere possunt, ut nunquam tamen sint extituri.

1756 Et in hac significatione sumptum possibile ens, non est aliquid seu à se, seu à DEO productum, vel perfectæ, vel diminutæ entitatis, ab æterno realiter ab ipso esse Divino distinctum; præter Sacrosanctæ Fidei nostræ authoritatem, quâ, tanquam, inter reliquos Wicleffi errores, ut hæretica damnatur opposita sententia; nostra suadetur: tum quia si fuissent entia possibilia ab æterno, vel fuissent à DEO producta necessariò, vel liberè? Non primum, quia repugnat perfectissimæ DEI libertati, ut ad aliquid ad extra sit necessitata; non secundum, tum quia, ut constat ex demonstratis in Physico-Mathematica, DEUM ad extra in tempore incœpisse operari; tum quia si entia possibi-

sibilia fuissent aliqua entitas realis ab æterno, sequeretur quòd Deus non posset reducere rem aliquam in nihilum, siquidem semper maneret aliqua realis entitas ipsius, cùm semper maneret essentia possibilis ejusdem; quæ esset positiva entitas sive jam perfecta, sive diminuta.

1757 Neque obest quòd rerum essentiæ, seu prædicata essentialia dicantur æterna, immutabilia, semper vera &c. Nam sic dicuntur non ex eo, quòd sint quid in se positivè æternum, sed negativè tantum, hoc est, quòd nullum unquam assignabile sit tempus retrocedendo à nunc temporis, per totam, ut ita dicamus, præteritam æternitatem, in quo verum esset dicere: jam essentia hominis v. g. incipit esse animal rationale; uti loco priùs citato, fusius ostendimus.

1758 Sed neque ens possibile est pura aliqua objectiva potentia, sive hæc sit positivi aliquid, sive pura negatio; si enim positivum quid illa dicatur, vel manet in re actu existēte, vel non? Non potest dici manere, quia sic non esset potentia tantum objectiva, sed etiam subjectiva, ex qua res fieret actu; quod admitti nequit, quia nulla daretur creatio, cùm res omnes fierent ex potentia objectiva, quæ etiam subjectiva esset. Nec etiam dici potest non manere, quia ens positivum ex potentia deductum in actum, suam servat potentiam, cùm per positionem rei in actu, non destruatur posse esse actu, quin potiùs perficiatur.

1759 Quòd autem Possibilitas rerum nequeat esse pura negatio, patet ex eo, quòd non possit identificari rebus ipsis actu existentibus, prout necesse est; tum ut essentia actualis identificetur existentiæ; tum ut ens possibile ratione possibilitatis suæ prædicetur de existente: tum demum, quia id, quod formaliter possibile est per realem positivam efficientiam ponitur actu, positivè existens; ille namque ponitur hodie Petrus, qui possibilis erat antè centum annos; negatio autem non ponitur, sed tollitur per actum, ut constat.

1760 Nec obest, quòd ens possibile non sit ens simpliciter; nam estò id verum sit, non tamen sequitur illud esse negationem; sicut ex eo quòd color albus non sit color ruber, non sequitur colorem album esse negationem coloris &c. Imò ens possibile secundum se neque est Denominatio aliqua extrinseca, proveniens ab ipsa Dei Omnipotentia formaliter: quod enim in se non implicat, per se ipsum præscindendo à quovis alio est aliquâ possibilitate intrinsecâ possibile, quæ sit ratio, cur ens reale intrinsecè differat à chymærico; & fundamentum denominationis illius extrinsecæ, quâ denominatur potens fieri à Dei Omnipotentiâ; Nam sicut chymæra ideo fieri nequit ab Omnipotentiâ Dei, quia intrinsecè in se implicat; ita entia possibilia fieri ideo à Deo possunt; quia in se habent possibilitatem passivam intrinsecam, vi cujus ab Omnipotentia Divina produci possunt.

1761 Ex qua causali satis patet possibilitatem, quâ res dicuntur, & sunt in se possibiles, præcisè non haberi ab ipsa Dei Omnipotentia, sed esse à subsistendi, consequentia antecedentē ad illam: quantumvis non negemus dici posse, quod secundum denominationem quâ dicitur res possibilis absolutè potens poni extra causas, necessariò involvat ipsam virtutem potentem rem talem producere, non aliter, quàm denominatio proximè amabilis formaliter involvat amorem possibilem, ipsamquè potentiam amare potentem.

1762 Non etiam ens possibile præcisè spectatum est conditionatum aliquod objectum correspondens huic conditionali: si existeret non involveret contradictionem. Nam esse possibile prædicatur absolutè de altero mundo possibili, non secùs, quàm prædicetur animal de Petro; verificativum autem talis propositionis nequit esse aliquid conditionatum, cùm non possit assignari, quidnam nunc illud sit; nisi dicatur esse ipsam actualem cognitionem conditionatam, quam constat non posse esse verificativum positę propositionis, tam parum quàm possit esse cognitio verificativum hujus propositionis: Petrus est animal. Quantumvis non negemus posse utcunquè explicari, quoad captum nostrum per conditionatos quosdam loquendi modos, ipsam rerum positivam intrinsecam, & objectivam possibilitatem.

1763 Intrinseca proinde rerum Possibilitas seu id, quod intrinsecè, & objectivè dicimus ens possibile, aliud nihil est, quàm cōcretum quoddam metaphysicum objectivum, quod in recto importat ipsum ens juxta omnem entitatem, quam haberet, si actu existeret, in obliquo dicens velut quasi formam, actuale quoddam disiunctum, quod à parte rei ante omnem operationem intellectûs nostri reperitur in singulis entibus possibilibus; nimirum vel ipsū actuale esse positivum defectibile, vel ipsa negatio talis existentiæ, seu actualitatis itidem defectibilis; vi cujus disiuncti verificari possunt omnes propositiones tam absolutæ, quàm conditionatæ, quæ de ipso ente possibili à nobis possunt fieri.

1764 Cujus constitutionis entis possibilis, & quidem quoad primam partem argumentum est, quòd illi conveniat denominatio intrinseca possibilis; quod ex se actu non repugnat, sive à Deo immediatè, sive ab alio agente produci, & existere; quale quid est sola entitas positiva, & realis, v. g. Anti Christus; qui aliquando existet; si enim alius futurus esset Anti-Christus existens ab eo, qui defacto possibi-

sibilis, est sequeretur Anti-Christum futurum nunquam fuisse possibilem, quam sequelam, cùm nemo admittat consequens est, ens possibile secundùm quod importat in recto, non esse aliud, quàm ipsum ens verum, & reale, modò in potentia, quod postea actu existet, aut existeret si extra causas poneretur.

1765 Argumentum verò pro secunda assertionis nostræ parte est, quia necessariò dari debet actuale aliquod extra Deum verificativum hujus propositionis: Anti-Christus est nunc possibilis, quod aliud esse non potest, quàm disjunctum, quod ens possibile dicit in obliquo: nam istud posse esse verificativum propositionum absolutarum, quæ de possibili v. g. Anti-Christo fieri possunt, nequit esse controversum: quòd autem verificet etiam propositiones conditionatas; patet, quia propositiones conditionatæ illæ sunt, quæ important necessariam connexionem, inter condi-1769 tionem, & prædicatum; sic si Petrus est, risibilis est: si sol est, dies est, &c. adeoque si existat Petrus verificatur conditionata talis connexio, cùm ipsa tunc verè existat; vel non existit Petrus, & tunc existit ejus negatio, atque sic etiam verificatur talis connexio, quia negatio Petri, essentialiter inportat talem conditionatè connexionem, cùm ipsa sit essentialiter defectibilis; adeoque semper habens verificativum ex parte objecti independenter à cognitione; nempe quòd sit existentia entis possibilis; vel negatio talis existentiæ.

1766 Nevè quis dicat, hoc disjunctum inferre Deo necessitatem talem, ut si nolit ponere creaturam, debeat ponere ejus negationem; nam hæc necessitas cùm consequens sit, nihil Divinæ officit libertati, imò ipsi maximè est congrua, cùm perfectio summa Dei sit, quòd nequeat ponere duo contradictoria simul, eò quòd imperfectissimum quid faceret, adeoque dum alterutrum liberè non vult, vult liberè hoc ipso alteriuspositionem.

1767 Nevè dicat alius posse haberi possibilitatem Anti-Christi, absque eo, quòd involvatur negatio ejusdem existentiæ; adeoque possibilitatem non importare disjunctum illud: falsum siquidem est antecendens indè, quia ad hoc ut concipiamus Anti-Christum ut possibilem, debemus illum concipere sub conceptu entis creati, & defectibilis; si enim præscindatur à tali prædicato non habetur con-1771 ceptus entis creati, & à Deo contradistincti, non possumus autem habere conceptũ Anti-Christi, ut defectibilis, nisi in eo concipiamus quod possit æquè esse, ac non esse, ut constat, ex quibus etiam liquet, quo pacto semper implicitè concipiatur in quovis ente possibili disjunctũ illud, & quâ ratione ens possibile, quomodolibet concipiatur, semper concipitur à nobis, ut quid contradistinctum, dependens, ac sabsequens esse divinum, prout infrà amplius ostendemus.

Metaphsyci entis species quarta, seu ens impossibile.

1768 ENs impossibile possibili oppositum notione suâ nobis manifestat se in esse suo essentialem involvere repugnantiam, & formalem, vel ad minimum virtualem contradictionem, quod dari suo modo, & participare rationem entis ut sic, etiam nemine cogitante, vel inde nobis suadetur, quòd secundum se sit terminativum actuum intellectûs circa se versantis, ob intrinsecam objectivam cognoscibilitatem, quâ præditum est, quæque identificata est ante omnem intellectûs operationem omni illi, quod quomodolibet participat rationem entis.

1769 In rigore Dialectico rectè definitur esse id quod dicit essentialem, & intrinsecam impotentiam, respectu cujuscunque agentis ad existendum per veram, & realem aliquam productionem. Per quem essentialem definitivum conceptum, utpote convenientem soli impossibili, & semper, obscurissima ejus essentia utcunq; nobis innotescit. Illud rectè præcisivè sumptum dividitur in impossibile negativum, seu necessariò tale, & in impossibile fictitium, quod ens rationis, usitato jam inter Logicos vocabulo, appellari consuevit.

1770 Negativum impossibile illud esse dicimus quod involvit negationem necessariam entis necessarij, sive simpliciter, & absolutè talis, qualis est negatio Dei, sive etiam solùm ex suppositione, cujusmodi negationes, sunt negationes aliarum essentiarum, ex suppositione namqué quòd Petrus sit homo, impossibile est negari de eo animal rationale; & quidem nemine cogitante: verum namqué est veritate objectiva, & independente ab omni operatione formali nostri intellectûs, idem esse, & non esse: quæ veritas est ipsa impossibilitas, cùm constituat intrinsecè ipsum impossibile, tanquam forma constituens concretum hoc Metaphysicum: impossibile est hominem, non esse hominem: in tantum namq; veritas illa est talis; in quantum essentialiter hoc concretum est impossibile nemine cogitante.

1771 Unde etiam dum cognoscimus talia impossibilia, nullum fictitium, saltem necessariò fingimus ens rationis, eò quòd tantum cognoscamus impossibile, ut impossibile, dicendo illud nec esse, nec esse posse: sic nullum ens rationis intercurrit, dum cognoscimus impossibile esse Deum non esse, quia ex parte objecti cogniti nobis repræsentatur id, quod verè nec est, nec esse potest ex se essentialiter, & independenter ab omni figmento rationis, cujusmodi

modi eſſe negationem Dei eſſentialiter inde patet, quòd per ſe determinet intellectum circa ſe verſantem ad hoc formale judicium: eſt, & non eſt Deus, determinat enim ad dicendum, non eſt eſſentialiter id, quod eſt eſſentialiter, cùm Deus eſſentialiter & formaliter ſit id, quod eſt; adeoquè ejus negatio determinat ad aſſerendũ formaliter duo contradictoria de eſſentia Dei: & idcirco tale determinativum eſt formaliter impoſſibile, & quâ tale aptum eſt terminare cognitionem tam increati, quàm creati intellectûs: abſque ulla entis rationis fictione: tum quia hæc impoſſibilitas ſimpliciter objectiva terminans intellectum, ab eo nihil accipit aliud, quàm denominationem extrinſecam cogniti, non ſecùs quàm aliud quodvis ens, quod datur ab intellectu independenter: tum quia illa negatio impoſſibilis immediatè tanquam à ſui radice provenit ab ipſa eſſentia poſitiva; ideò enim negatio Dei v. g. eſſentialiter impoſſibilis eſt, quia eam ſecum trahit eſſentia Dei, quæ eſſentialiter eſt.

1772 Ex quo minimè inferre licet nullum dabile eſſe ens rationis fictitium, & impoſſibile in ſuis prædicatis; tale namquè dabile etiam eſſe ſuadet tum authoritas communis Peripateticorum, tum ratio, quâ conſtat, quòd intellectus noſter affirmando, concipere poſſit aliquod objectum, quod nec eſt, nec eſſe poteſt independenter ab ejus operatione; dum enim Hæreticus Arrianus v. g. affirmat Verbum Increatum eſſe creaturam, cognoſcere neceſſariò debet non ſolùm Verbum Divinum, & creaturam, quæ duo ſunt objectum terminativum talis cognitionis affirmantis, etiam Verbum Divinum ut creaturæ identificatum, & tanquam aliquod unum cum illo, eò quòd intellecturus ſicut nihil affirmare poteſt abſq; motivo, cùm ſit potentia rationalis, quæ aliquam ſemper habere debet rationem, cur affirmet potiùs, quàm neget, ita ad affirmandum Verbum eſſe creaturam; nullum aliud habet, nec habere poteſt motivum, quàm identitatem, quæ ipſi repræſentatur, dum practicè affirmat tale prædicatum de ſubjecto: quæ identitas nec habet nec habere poteſt aliud eſſe, quàm ab intellectu eandem practicè affirmante.

1773 Nevè quis dicat, in tali propoſitione: Verbum eſt creatura: homo eſt lapis, &c. non moveri intellectum ab ulla identitate repræſentata per cognitionem practicam, Verbum inter & creaturam, inter hominem, & lapidem; ſed determinari immediatè â tali terminorum apprehenſione, quæ ex modo tendendi unitivo, quem habet in ſuum objectum, eſt determinativa potiùs ad affirmandum, quàm negandum: Nam quòd talis apprehenſio ſit determinativa potiùs ad affirmationẽ, quàm negationem. inde nanciſcitur, quòd ex parte objecti repræſentet confusè intellectui affirmanti practicè identitatem; quam alia apprehenſio non repræſentat: ad concipiendum enim hircocervum, non eſt ſatis concipere hircum & cervum quomodocunque, ſed concipi debent hircus & cervus inter ſe uniti, & identificati; ſi ergo ut tales non concipiantur per identitatem aliquam fictam objectivam, concipi deberent uniti per apprehenſionem vel judicium aliquod illos extrinſecè identificans, & denominans, ut communiter volunt adverſarij.

1774 Quod dici non poſſe oſtendit, tum experientia intellectualis, quâ conſtat, quòd dum concipimus hircocervum nos non concipere apprehenſionem, aut judicium ullum conjungens hircum cum cervo, ſed potiùs unionem aut identitatem aliquam ſimilem illi, quæ vel inter partes eſſentiales hirci realis, vel inter hircum ſecum ipſo reperitur: tum quia Arrianus dum aſſerit Verbum creaturam eſſe, reflectendo ſe ſupra ſuam affirmationem judicat illam eſſe veram, adeoquè objecto ſuo, ac verificativo conformem; quo in caſu non poteſt non formaliter fingere ens rationis objectivè tale, & ab ipſa ſua cognitione contradiſtinctũ; nam intellectus affirmans tunc habet ex parte objecti identitatem Verbi cum creatura pro objecto, cùm hæc ſola comparari reflexè poſſit cum illo aſſenſu tãquam ejus verificativum, & motivum.

1775 Alioquin non eſſet ratio, cur talis propoſitio; Verbum eſt creatura, ab Eccleſia uti falſa, erronea, & hæretica prohiberetur; ea namque Divino Verbo injurioſa non eſſet; ſiquidem per ſui veritatem nihil indigni appingeret Verbo; præcisâ enim identitate, ſeu objecto motivo verificativo, aliud non remanet, quàm ſolum ſubjectum propoſitionis, nempe Divinum Verbum, & ſolum prædicatum nempe creatura: Verbum autem, aut creatura non eſt quid indignum Deo, ut manifeſtum eſt; adeoquè quod Deo indignum, & injurioſum eſt, eſt illa affirmata identitas impoſſibilis Verbum inter, & creaturam; ut patet inquirenti rationem, cur Deus, Pijque omnes averſentur hanc affirmationem: Verbum eſt creatura; alia enim non occurret ratio, quàm quòd verificativum talis propoſitionis ſit identitas Verbum inter & creaturam; quam identitatem eſſentialiter Verbum, utpote ex qua turpitudo illa falſi, & impoſſibilis judicij objectivi promanat.

1776 Unde manifeſtè convincitur dari debere Ens rationis fictitium, & impoſſibile, hoc ipſo quòd in data, alijſquè ſimilibus propoſitionibus debeat dari earundem motivum verificativum, quod aliud non eſt quàm dicta objectiva affirmata identitas de ſe, ut diximus, omnimodè

modè impossibilis, & consequenter ens rationis. Neque dicat quis verum esse identitatem talem esse impossibilem, & verificativum dictæ propositionis, ex hoc tamen minimè sequi dari ens rationis, cùm ea sit simpliciter impossibilis, & quidem ante omnem operationem intellectûs nostri; impossibile autem simpliciter tale, non esse ens rationis, constat ex dictis, alioquin negatio Dei, cœteræquè paulò antè insinuatæ, essent formalia entia rationis, quod tamen non admittimus.

1777 Contrà etenim est, quia negatio Dei antecedenter ad intellectûs operationem, reperitur in statu impossibilium, utpote necessariò talis, emanans ex ipsa Dei essentia, quam impossibile est, non esse; at verò identitas verbum inter, & creaturam, neque est in statu impossibilitatis, neque in statu possibilitatis antecedenter ad operationem intellectûs, sed merè in statu negativo, hoc est antecedenter ad opus intellectûs datur realiter Verbum, & creatura, & negatio pura ac realis identitatis inter verbum, & creaturam: cujus ratio velut 1780 à priori est, quòd omnis identitas, velut quid positivum, aut quasi positivum debeat habere sui principium, & causam vel positivam, vel quasi positivam: quæ cùm assignari non possit ante opus intellectûs respectu talis identitatis, rectè asserimus dari antecedenter ad operationem rationis puram, & realem illius negationem, provenientem ex eo quòd verbum sit verbum, & consequenter non creatura. Cùm igitur ex hoc oriatur illa negatio, ut constat, non potest ex eodem principio oriri impossibilis identitas eidem opposita, & talis negationis sublativa; cùm ex eodem promanare nequeant duo contradictoria simul sui invicem destructiva.

1778 Ex quo etiam patet ad alias hujusmodi propositiones, quæ objici solent contra hanc nostram doctrinam; dum dicunt, inter possibile, & impossibile non datur medium: identitas inter verbum & creaturam non est possibilis nemine cogitante, ergo est impossibilis. Nam major inprimis supponit non dari alium statum quàm possibilitatis, & impossibilitatis, quod falsum esse ex dictis suprà constat, licèt enim inter possibile, & impossibile formaliter talia respectu ejusdem, quod necessariò esse 1781 debet vel possibile, vel impossibile, non detur medium; attamen respectu alterius, quod neque in statu possibili est, neque in statu impossibili, sed in statu tertio, uti est illa identitas, quæ ante operationem intellectûs nihil habet, præter sui negationem, adeoquè est in statu purè negativo, cùm detur vera & realis ejus negatio, nemine cogitante, sicquè major illa propositio nihil urget.

1779 Deinde minor peccat in eo, quòd assumat dari hujusmodi identitatem in statu impossibili, quam nos in solo statu negativo vero, & reali, reperiri jam ostendimus. Pari ratione solvuntur aliæ illæ propositiones: Petrus non est homo: per nos ens rationis non est, quia hæc negatio est impossibilis nemine cogitante; ergo etiam Petrus est lapis, non erit ens rationis; quia hæc identitas est impossibilis nemine cogitante. Negatur siquidem consequentia, dispar ratio patet ex modò dictis, nempe negationem illam impossibilem habere sui quasi principium essentiam hominis, cui contradictoriè opponitur; identitatem verò inter hominem, & lapidem, nullum: adeoq; non dari nisi per intellectum cognitione Suâ practicâ eandem affirmando producentem: sic, ut diximus, est vera & realis negatio identitatis inter Petrum & lapidem: è contrà verò est negatio impossibilis, quâ negatur animal rationale de homine, cùm impossibile sit intrinsecè, & essentialiter, ut homo, ex suppositione, quòd homo sit, non sit animal rationale.

Ex quibus rectè deducimus bonam esse, & essentialem definitionem illam, quâ ens rationis dicitur esse id, quod habet esse tantùm objectivè in intellectu; utpote per quam sufficientissimè explicetur ejus natura, indicetur; & essentia ejus formalis existens in puro esse objectivo intellectûs affirmantis: & ejus quasi causa efficiens, quæ est potentia ipsa intellectiva ex fœcunditate suâ potens dare esse aliquale etiam illi, quod nullum habet, nec habere potest independenter ab ipsa: unde esse tantùm objectivè in intellectu est ab intellectu affirmãte tale esse accipere, quod essentialiter implicat poni à parte rei, propter intrinsecam, qnâ conflatur, impossibilitatem; esse namquè objectivum tantùm debet explicari per proportionem quandam ad esse reale positivum, ad cujus similitudinem efformatur; quod cum importet determinatam existentiam absque indifferentia ad illam, ita ut verè de eo dici possit, est, & existit, consequenter objectivum illud debet esse, & dici, quod est determinatè in affirmativa parte contradictionis sublatâ indifferentiâ ad illam; ita ut de eo dicatur, est, & existit, quod fieri potest per solum judicium actuale affirmans. Quare

1781 Sequitur 1. sensus externos fabricare non posse talia entia, quæ sint objectivè tantùm in illis: Cùm enim objectum sensuum externorum sit solùm accidens sensibile materiale, ut ex dictis in Physico-Ethica constat, quod prout ipsis per species proprias, uti est à parte rei repræsentatur, consequens est, quòd versantes tantùm circa hujusmodi objectum nequeant facere entia talia, quæ per identitatem fictam, & impossibilem intrinsecè constituantur. Neque obest quòd defacto percipiantur à sensibus monstra ex diversis partibus con-

ſarcinata : item id, quod magnum eſt ut parvum, quod integrum, ut fractum &c. Nam monſtra diverſis ſolùm partibus integrãtibus, & inconcinnè compoſſibilibus conſtant, non autem eſſentialibus, & eſſentialiter per identitatem incompoſſibilibus; adeoquè objectio non facit ad rem, de qua agimus; neque enim dum agimus de ente rationis, agimus de com-1786 poſito aliquo vel ex partibus integrantibus, vel ex naturis diverſis ſimul junctis in una materia, vel ſubſiſtentia; alioquìn & Chriſtus ipſe foret, ens rationis; quod dictu eſſet abſurdiſſimum : ſed agimus an duæ eſſentiæ realiter inter ſe diſtinctæ poſſint fingi, ut una eademquè poſſibilis, & dabilis à parte rei, prout adſtruitur ab intellectu.

1782 Quod verò ſenſus ſubinde percipiant id quod magnum eſt ut parvum, quod integrum ut fractum &c. hoc non faciunt conjungendo & affirmando fractionem de integritate, parvitatem de magnitudine, quod eſt ſolius intellectûs officium; verûm percipiunt ob imbecillitãtem virtutis ſuæ ſolam parvitatem, ſolam fractionem &c. in quo nihil intervenit impoſſibile; ſiquidem ſecundum quòd à ſenſibus percipiuntur, re ipsâ eſſe poſſint ſaltem divinitùs à parte rei.

1783 Sequitur 2.do nec internum ſenſum, ſeu phantaſiam rationis fabricare entia: cùm enim ſit potentia materialis, eſtò compoſitiva materialiter ſit per unionem aliquam aggregationis, nequit tamen ulli enti dari tale eſſe, ut ſecundum quod ab illa conjungitur eſſe nequeat à parte rei extra ſuas reales cauſas: ſic montes aurei, arces in aëre, aliaſquè hujuſmodi phantaſmatum illuſiones, ſaltem divinitus dari poſſe realiter, nemo ſapiens dubitaverit; ſciens phantaſiæ compoſitionem non eſſe per identitatem eſſentiarum incompoſſibilium, ſed ſolùm per aggregatìonem partium diverſarum realiter inter ſe, eſtò monſtrosè, & inconcinnè compoſſibilium.

1784 Sequitur 3. Nec ſenſitivum appetitum, imò nec ſpiritualem dare poſſe eſſe enti alicui, quod objectivè tantùm ſit in ipſis. Ratio ſequelæ ulterior eſt, quia voluntas (quod idem à fortiori dictum volumus de appetitu ſenſitivo) nullo modo exprimit, vel repræſentando affirmat ſuum objectum, eò quòd ſit pura tendentia, & inclinatio in illud, quod ſibi propoſitum eſt à potentia cognoſcente; juxta tritum, & verum illud : nihil eſt volitum, niſi priùs co-1788 gnitum; adeoquè cùm ſemper voluntas, dum in ens rationis tendit, præſupponat illud cognitum, præſupponet etiam factum ab intellectu, adeoquè non dabit illi eſſe objectivum, prout requiritur ad eſſentiam ejuſdem.

1785 Neque obeſt, quòd circa quodvis objectum verſetur intellectus dando illi eſſe cognitum, verſetur etiam voluntas dando illi eſſe volitum : id namque verum eſt reſpectu ſolius eſſe cogniti, & volitì extrinſeci non autem intrinſeci, & eſſentialis; hoc enim dare nequit enti rationis voluntas, hoc ipſo quod dare ipſi eſſe nequeat exiſtentiæ, & præſentiæ objectivæ intrinſecæ; cùm facere objectum præſens ſit ſolius potentiæ cognoſcitivæ opus.

Sequitur 4. Neque intellectum facere ens rationis vel per Primã ſuam, vel per tertiã operationem. De hac facilè patet, quia cùm ſecundæ de facto aliud nihil addat, niſi ſolam particulam illativam, ut ex dictis in Logica cõſtat, perquam haud dubiè ens rationis ſuum eſſe accipere nequit. De Prima major licèt ſit difficultas, ſequela tamen noſtra oſtenditur; quia per primam operationem intellectus ens rationis propriè, & determinatè non concipit eſſe tantum objectivè in intellectu : quamdiu enim & cervus v g. & hircus ſunt ſoluti in prima apprehenſione ſimplici, tamdiu ſunt indifferentes ad habendam, vel non habendam ſimul objectivam identitatem; nam hanc intellectus poteſt illis dare per affirmationem, vel non dare per negationem unius de altero, neque enim ab apprehenſione ſimplici terminorum horum, hircus, cervus, neceſſitatur intellectus ad affirmandum hircum eſſe cervum, ut conſtat.

1787 Sequitur 5. Neque ens rationis fieri per judicium ipſum negativum. Patet ſequela ex dictis ſuprà, quibus conſtat identitatem inter Petrum v. g. & lapidem debere poni per judicium practicum, in tali eſſe; quod per judicium negativum fieri nequit, uti ex terminis patet; qui enim dicit Petrus non eſt lapis, verum dicit, eò quòd objectum verificativum talis propoſitionis realiter tale ſit, & conforme judicio, quod intellectus de ipſo habet. Nec obſtat quòd judicium affirmans Petrum eſſe lapidem faciat ens rationis, adeoquè & negativum idem præſtare debeat, cùm habeant idem objectum, utpote judicia contradictoria; Nam habent ſolùm idem objectum terminativum, non verò motivum, ſi enim idem motivum haberent contradictoria non forent : id liquet indè, quia objectum motivum eſt id, quod ſpecificat, & in eſſe tali conſtituit judicium, unde judicium negativum formale habet pro objecto ſuo motivo negationem ipſam realem intercedentem inter hircum & cervum.

Quod ſi petatur quid neget negatio illa formalis? Reſpondemus actum illum judicij affirmativi practicum, per quam aliàs poneretur ficta illa & impoſſibilis affirmata identitas : quod facit negatio per poſitionẽ ſuimetipſius, vi cujus conformis eſt negationi objectivæ, quæ re ipsâ intercedit inter hircum, & cervum; negatio enim licèt malignantis naturæ ſit reſpectu aliorum omnium, reſpectu ſui tamen

men est beneficentissima, cùm se ipsam ponat, non tollat ab esse.

1789 Sequitur 6. ens rationis non consistere in denominatione aliqua extrinseca proveniente à cognitione seu res reales indebitè cognoscente, seu purè impossibilia speculante; imò eos, qui in hoc ponunt entis rationis essentiam formaliter eandem destruere. Cujus sequelæ ratio quoad primum est: tum quia objectū, seu terminus ut quòd cognitionis directæ nec adæquatè, nec inadæquatè est ipsa cognitio; cùm igitur ens rationis sit objectum ut quod cognitionis illud directè affirmantis, objectivè tantum existens in intellectu, clarum evadit non posse intrinsecè constitui per ipsam sui cognitionem directam, quæ quâ talis nullo modo objectivè tantum, sed effectivè, & subjectivè est in intellectu, tanquam accidentalis forma intellectum denominans, & constituens formaliter cognoscentem, dansquè denominationem extrinsecam cogniti enti rationis, non secùs, quàm cuicunquè alteri enti reali à se circa illud speculativè versante, cognito.

1790 Ratio secundam sequelæ partem suadens etiam facilè patet, tum ex ipsa definitione entis rationis, quam adversarij recipiunt; tum ex ipsa notitia cognitionis: hæc enim cùm reale accidens sit, excludit à se formalissimè id, quod nullatenùs reale est, sed merè impossibile; cujusmodi rationis ens est; ad cujus reduplicativè sumptam constitutionem si intrinsecè, & formaliter concurreret cognitio, illud nullatenus secundum adæquatam essentiam suam objectivè tantùm foret in intellectu; sicut enim quod constituitur essentialiter ex esse materiali, & spirituali simpliciter nec purè materiale est, nec purè spirituale; ita ens rationis si constitueretur per cognitionem realem intrinsecè, & partes indebitè cognitas simpliciter non esset tantùm objectivè in intellectu, & consequenter nec ens rationis.

1791 Quod argumentum ut plura omittamus alia, & specialiter illud vulgatum: tale est totum, quales sunt partes simul sumptæ, & unitæ: & rursus illud: denominatio à forma reali realis est; servatâ debitâ proportione, urget & illos, qui sive in unione, aut identitate aliquâ reali inter partes reales incongruè applicatâ ens rationis consistere docent; sive in realitatibus partìm extra, partim intra entis rationis essentiam collocant. Illi verò qui entis rationis essentiam simplicem esse dicunt, hoc ipso, quòd impossibile, adeoquè ex duobus contradictorijs illud constare necessariò asserere debeāt, convincuntur pariter fateri, illud inferre necessariò compositionem ex esse & non esse, adeoquè non simplex esse, sed compositum.

1792 Neque obest quòd unio in compositis realibus simplex sit; hoc enim inde accidit, quia illa nec impossibile quid est, nec positivè quidquam participat de extremis, prout impossibili identitati est concedendum; sed negativè tantùm, uti ex alibi ostensis constat.

1793 Sequitur 7. Entium rationis artificium intra sphœram etiam Angelici intellectûs, respectu eorum quæ intuitivè non cognoscit contineri; multa namque objecta sunt supernaturalia, quæ Angeli, cùm intuitivè non cognoscant, possunt aliter affirmare quàm re ipsa sint, vel esse possint; conjungendo per talem affirmationem identicè eadem inter se, ita, ut sic identificata nullum aliud habeant, vel habere queant esse, quam merè objectivum in intellectu talis Angeli. Nec dedecere hoc naturam Angelicam secundum se spectatam patet ex ijs, quæ Theologi docent in materia de Angelis, ubi asserunt naturæ Angelicæ secundum se spectatæ non repugnare falsa judicia, erronea, & peccaminosa, adeoquè multò minùs repugnabit, eosvè dedecebit fictio entis rationis.

1794 Sequitur demum 8. à DEO, tametsi cognoscat omnia à creaturis facta, & factibilia rationis entia, nullum tamen fieri; eò quòd repugnet, ut DEUS aliquod falsum judicium, circa rem aliquam formet, judicando illam posse realiter existere, quæ realiter existere nullo modo potest. Quando igitur DEUS cognoscit hæc entia tantùm objectiva à nobis ficta, dat illis extrinsecam denominationem cogniti; sciens & judicans impossibile esse illud objectum, quod ab intellectu creato affirmatur, ut possibile.

Metaphysicè sumptum Ens Positivum quâ Singulare.

1795 UNiversalissimas hactenus entis metaphysicè spectati, latissimequè sumpti species consideravimus; nunc earum species magis speciales, ut quantum instituto nostro satis fuerit prosequamur, eas quæ Enti actuali Positivo subijciuntur examinabimus; ex ijs enim ritè cognitis, uti per species intentionales ejusdem in notitiam entium negativorum, possibilium, & impossibilium devenimus; ita proportione quâdam servatâ ad horum subjectivas species, per cognitionem specierum Enti Positivo metaphysicè subjectarum, hoc in rerum ordine cognoscendas deveniemus. Exordimur proinde ab ea entis Positivi specie, quæ maximè intellectui nostro in hac vita à sensibus dependenter operanti immediatè innotescit, ut eâ cognitâ, ad alias quæ magis reconditæ sunt, per altissimas rerum causas juxta metaphysicam methodum progredientes, eo tandem in termino quiescamus, à quo principium, & in quo finis est omnium entium. Prima igitur, quæ sese nobis Entis Positivi species objicit, est.

1796 Ens Singulare, cujus nomine illud venit, quod

quod ita est simpliciter unum, ut pluribus nequeat communicari, tanquam sibi æqualibus, aut inferioribus: unde etiam individuum appellatur, enti universali oppositum, quod ita est unum, ut pluribus inferioribus, uti mox dicemus, aptum sit communicari. Eâ autem ratione, nec immeritò singulare, & universale sibi opponi dicuntur, quoad rem significatam, quâ ens divisibile, & indivisibile, siquidem uti rationalis anima est unum quid indivisibiliter, & organicum hominis corpus unum divisibiliter, ita singulare est unum quodpiam incommunicabiliter, universale unum aliquod communicabiliter, prout infrà ampliùs explicabimus.

1797 Porrò contra quorundam antiquorum insomnia, dari Entia Singularia in natura rerum, & tot, quot res sunt extra causas positæ, nemo sanæ mentis compos inficiabitur, doctus evidenti experientiâ sensitivâ, quâ manifestè constat dari res individuas, in quarum infallibilem notitiam per accidentia actualia, & sui species cognoscitivæ potentiæ ingerentia immediatè devenimus; unam ab altera secernimus, alteram per alteram comparamus, amittimus &c.

1798 Sic cognitum Ens Singulare à Philosophis dupliciter considerari solet, vel scilicet primò intentionaliter, hoc est secundum id, quod est, & habet à parte rei, & secundò intentionaliter, hoc est secundum id, quod est, & habet dependenter ab intellectu. De illo, priori modo sumpto tria examini Metaphysicus subijcit; primò nimirum reale illud esse positivum intrinsecum, & proprium per quod constituitur. in ratione talis entis, quod varijs Synonymis dici consuevit Singularitas, Individuatio, Taleitas. Ultima differentia, Hæcceitas &c. Alterum quod de ente singulari, seu individuo perpendat Metaphysicus, sunt accidentia illa, & Proprietates quæ in eo reperiuntur ratione ipsius singularitatis, quam, ut ejus, passiones 1801 consequuntur; quæ rectè ab ingenioso quodam illis duobus versiculis comprehensa fuêre

Forma, Figura, Locus, Tempus, cum Nomine,
(sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet unus, &
(alter.

Atque demum tertiò propriæ examinantur entis singularis affectiones, seu attributa, quæ inter præcipua est unitas Numerica, utpote quæ sequitur immediatè individuationem, & differentiam singularem positivam, per quam Ens Singulare in esse talis constituitur.

1799 His quoad notionem ferè nominis entis Singularis suppositis, quoad rem illud definiri solet esse id cujus collectio proprietatum in nullo alio reperitur. Quam definitivam descriptionem etsi quidditativa non sit, esse tamen universim veram, & nusquam, ac nunquam falsitati obnoxiam, præter communem ferè Philosophorum consensum, suadet ratio; quâ constat, nullum singulare ens esse, quod ab alio numero distincto diversas specie saltem Logicâ ubicationes, durationes, & actiones non sortiatur, siquidem nullum prorsus est quod vel identificetur, vel distinguatur, vel producatur, aut producat suos effectus eâdem identitate, distinctione, & actione, quâ sibi ipsi identificatur, distinguitur ab altero, producitur, producit &c. adeoquè nulli enti singulari convenire possunt eædem numero proprietates, quæ alteri; cùm præsertim multæ metaphysicæ inter eas sint, quæ nec divinitùs quidem possunt non esse diversæ in quibusvis individuis.

1800 Neq; obest vel quòd duæ ranæ v. g. ejusdem coloris, formæ & figuræ, eodem loco, & tempore, atque ex eadem telluris purefactione productæ, ejusdem naturæ, ejusdemq; nominis, & quoad omnes extrinsecas proprietates similes esse possint: vel quòd duæ, pluresvé partes seu aquæ, seu ligni, seu auri, seu mercurij in cunctis accidentibus multoties conveniant: vel quòd duo lapilli pretiosi, quin etiã duo homines subinde reperiantur tantam habentes accidentium omnium consensionem, ut etiam expertissimi eos ab invicem discernere nequeant: vel demum, quòd fortè defacto dentur Angeli intra eandem speciem infimam, qui sint per omnia similes, cùm discerni non possint per formam, figuram, colorem, symetriam, complexionem, &c. quorum sunt expertes: non etiam per locum, siquidem ex natura sua, & extra miraculum penetrare se possunt, & in eodem loco indivisibiliter sumpto esse: non tempore, quippe quos Deus initio temporis simul condidit: non nomine, cùm illis nullum sit inditum: non genere, utpote quod ducunt à solo Deo: non demum Patriâ, quibus nimirum una cœlum est.

1801 Verùm ad hæc aliaquè his similia, quæ eleganter, & eruditè contra nostram assertionem objciuntur, facilis est responsio ex dictis, nempe quòd estò multæ proprietates, & accidentia tam rerum sensu carentium, quàm animâ, sensuquè præditarum, tam hominum quàm Angelorum etiam possint esse planè eadem: omnia tamen eadem esse, non solùm defacto, sed neque de possibili videntur: Metaphysicæ enim proprietates, quales sunt identitas, distinctio, unitas numerica, quin & physicæ, uti ubicatio, duratio, intellectio, volitio, &c. inter se sunt omnino distinctæ, & sæpe specie saltem Logicâ diversæ, quod abundè sufficit, ut collectio proprietatum non sit prorsus eadem: verum siquidem est saltem secundum quid effatum illud: singularum rerum singulæ sunt proprietates.

1802 At quia diximus datam definitionem entis singularis descriptivam tantùm esse, non verò

verò in rigore essentialem, ideo hanc per essentialia quasi prædicata, sic efformari posse arbitramur: ens singulare est entitas differentiam habens intrinsecam numericam nulli alteri communicabilem: hæc enim definitio revocata ad legalem cotem dialecticæ definitionis, quod perfectè explicet naturam seu definiti, illudquè differre ostendat ab omni eo, quod ipsum non est, facilè ipsa cuivis ostendet.

1803 Sic definitum ens singulare dividitur in individuum completum, & incompletum, vagum, & determinatum: nomine completi id intelligimus, quod habet completã adæquatè essentiam quale est homo, Petrus, &c. incompleti verò, quod inadæquatè tantùm, ut hoc animal, in quo non elucet, an homo sit vel equus, vel aliud animal: nomine autem individui vagi (quod dari defacto nemine cogitante, nobis, & Logicâ ratione sumpta ex eo, quòd omnis conceptus formalis correspondentem objectivum necessariò habere debeat, & physico etiam argumento sumpto tum ex possibili plurium causarum totalium concursu ad eundem numero effectum, tum ex indifferentia ipsa multorum defacto effectuum respectu tam diversæ actionis, quàm diversarum causarum per quas produci, & existere potest, nobis est probabilissimum) illud venit, quod syncategoremate, aliquis, non nemo, aliové simili termino est affectum: determinati demum, quod demonstrativo aliquo pronomine indigitatur.

1804 An autem hæc divisio entis singularis perfecta sit, & univoca, non levis inter authores est difficultas, quæ facilè resolvetur, si in primis statuatur an ab individuis dictis, quâ talibus, ratio aliqua communis, & univoca metaphysicè abstrahi possit? Quâ in quæstione, ut dissentientes conciliemus, sic nobis videtur esse procedendum, videlicet abstrahi non posse rationem ultimam individui, per quam ipsum constituitur perfectè, & completè; posse nihilominus præscindi aliquam imperfectam ab ipsis rationibus individuorum talium, per quam individuum ipsum quasi æquivocè reddatur prædicabile suo modo de pluribus.

1805 Ratio priorem partem nobis suadens est, quòd ratio, ultima individui v. g Petri sit id, per quod Petrus differt ab omni eo, quod Petrus non est, & vi cujus de Paulo, Andrea, alijsq; prædicari nequit, si enim hoc fieret illa ratio differentialis, propria, & ultima Petri non esset, sed communis Petro, Paulo, cæterisqué; adeoq; ratio ultimæ omnino differentiæ per quam Petrus à Paulo, alijsq; differt sub formali conceptu talis differentiæ nequit per ullam abstractionem fieri communis. Neque obest quòd ipsæ etiam ultimæ differentiæ quatenus tales sunt, conveniant univocè in hac ratione, quòd differre faciant ultimò; id enim verum duntaxat est, si comparentur cum eo, respectu cujus non faciunt differre, falsum autem si comparentur cum eo, respectu cujus differre faciunt: hoc est differentia Petri respectu Pauli potest comparari cum ipso Paulo, sicquè Petrus per conceptum illius differentiæ cum Paulo nullatenus convenit; implicat siquidem, ut Petrus conveniat cum Paulo in ea ratione in qua ultimò ab eo differt; cùm implicet Petrum differre à se ipso; sicquè differentia Petri à Paulo sub hoc conceptu non convenit cum differentia Pauli à Petro; quantumvis si eadem differentia comparetur, ut comparari potest cum differẽtia quâ Andreas à Paulo differt, conveniat in hoc cum illa, quòd differre faciant ultimò; sicquè dicere in hoc sensu etiam possumus differentiam ultimam posse habere aliquam convenientiam cum alia differentia ultima, sed sub diverso respectu considerata, in quo repugnantia nulla est cùm sit respectu diversorum.

1806 Ratio autem alteram nostri dicti partem confirmans est, quia potest cõcipi individuum ut sic, vel individuũ animal, individuus homo &c. quæ rationes dici possunt de pluribus; quod fieri nequit absque aliquali abstractione; quæ tamen abstractio perfecta non est, quia in illa semper apparet pluralitas aliqua objectiva ex parte prædicati; hoc ipso etiam, quòd concipiatur individuum, semper concipitur in ordine ad reliqua, quæ non sunt ipsum; ut constat ex suprà dato illius conceptu essentiali. Ex quibus sufficienter patet tum quid respondendum sit ad positum suprà quæsitum; nimirum divisionem illam quadripartitam Individui non esse in rigore univocam; tum etiam quo in sensu accipiendi sint authores suprà relati; nimirum negantes dari posse cõceptum communem individuationis, intelligendos esse de conceptu ultimo individuationis, & singularitatis; sicut è contra illum adstruentes loqui de conceptu, imperfecto, & non ultimato differentiarum singularium; qui etiam conceptus præcisus sufficiens est, ut dicatur Singulare definiri posse propriâ & essentiali definitione.

1807 Demum quia suprà diximus unitatem numericam esse attributum quoddam, ac proprietatem metaphysicam consequentem ad ipsum esse entis Singularis; ideirco quidnam illa sit hîc, ut statuamus; dicimus eam quâ talem esse quandam formalem rationem, per quam quodvis individuum est, & dicitur unũ, nullamquè secum patitur in eadem ratione divisionem: ac propterea unum, quod ex habente, & unitate consurgit, rectè dicitur esse id, quod est indivisum in se, & divisum à quolibet alio: ubi ly indivisum non ita sumimus, ac si omnino careret partibus; sed vel sic, quod partes habens, indivisum tamen actu sit in ta-

les partes ; uti fit in humano v. g. compoſito manifeſtum; quod unum eſt conſtans rationali animâ, & organico corpore inter ſe ſubſtantiali unione connexis ; in quas partes defacto minimè eſt diviſum ; tametſi in eas ſit actu diviſibile;quod idem patet in quacunque re alia, quæ ſive intrinſecè, ſive extrinſecè eſt, & denominatur una.

1808 Vel, & aptiùs ad rem de qua agimus, ly indiviſum in ſe, ſumi, & intelligi debet, ut ſcilicet ſignificet, quod quâ tale dividi nequeat in plura quale eſt ipſum : ſic Petrus dividi non poteſt in plures petros; numerus quaternarius in plures quaternarios ; exercitus in plures, qualis ipſe eſt exercitus, tametſi Petrus dividi poſſit in animam & corpus; quaternarius in duos binarios, exercitus in plures Legiones, aut cohortes.

1809 Porrò unitas formaliter, eſtò quoad modum ſignificandi indiviſio dicatur ; adeoquè cenſeatur à non paucis eſſe quid negativum ; quoad rem tamen ſignificatam eſſentialiter poſitivum quid eſt ; non quidē vel realiter, vel ex natura rei diſtinctum ab entitate cujus eſt unitas,ſeu proprietas; ſed ſolùm per rationem ratiocinatam ; cujus ratio eſt,tum quia Ariſtoteles docet unitatē prædicari in recto de identitate, quæ ut ex dictis ſuprà conſtat, quid poſitivum eſt : tum quia entium poſitivorum proprietates primariæ neceſſariò poſitivæ ſunt : tum quia antecedenter ad omnem negationem Deus eſt eſſentialiter unus non negativè, ſed poſitivè : tum demum quia in illis rebus, quæ ſunt unum per compoſitionem, unitas conſurgit ex unione plurium ; eſtquè poſitivum quid, ut ſufficientiſſimâ inductione conſtat: cur ergo idem non dicamus de unitate *1812* metaphyſica, quæ ex ipſa identitate quaſi promanat ?

1810 Dicet forrè quiſpiam, ideo quòd ſi poſitivum quid eſſet, poſitivi etiam aliquid ſuperadderet illi entitati, quam afficit. Nam ſequela vera eſt, nihilquè abſurdi in ſe continet, ſi aliud non velit, quàm quòd ſicut unitas eſt per rationem noſtram diſtincta ab entitate cujus eſt unitas ; ita & metaphyſicè loquendo ſuperaddat illi formalitatem unam metaphyſicam ratione item noſtrâ diſtinctam. Nevè alius dicat ſi unitas quid poſitivum, etiam metaphyſicè ſpectata foret, non pateretur in ſe magis, & minùs, ſed effectum ſuum formalem daret indiviſibiliter. Contra ſiquidem eſt,nam ſi nomine unius intelligatur ſimpliciter, quod non eſt diviſum in plura, quale eſt ipſum, dicimus unitatis effectum formalem conſiſtere in indiviſibili, neque facere magis, minuſquè unum formaliter ; æquè enim exercitus non eſt diviſus in plures exercitus tales, qualis eſt ipſe, quàm punctum non eſt diviſum in plura puncta. At verò ſi nomine unius intelligatur id, quod non habet diviſionem quomodocunquè, concedimus dari magis, minuſquè unum, eò quòd dentur entia aliqua adeò ſimplicia, ut excludant omnem omnino partium pluralitatem ; quale unum eſt Deus optimus maximus, qui in hoc ſenſu eſt perfectiſſimè unus ; & Entia Spiritualia perfectiori unitate gaudent, quàm materialia : & unum per unionem ſubſtantialem perfectius quid unum eſt, quàm unum unitate ordinis, aut aggregationis &c.

Metaphyſicè ſumptum Ens Poſitivum quâ Univerſale.

1811 ENs Univerſale Enti Singulari, ut diximus, contrariè poſitivè oppoſitum, notione ſuâ, ſi univerſaliſſimè ſumatur, indicat eſſe unum multa complectens : quâ in acceptione comprehendit tum quidquid vi propriæ eſſentiæ cuncta continet, cujuſmodi ens Deus eſt eminenter continens abſque ulla imperfectione omnes perfectiones ; tum quidquid aptum natum eſt plures & diverſos effectus producere ; qualia ſunt Deus ipſe, cœlum, Sol, Sydera, aliaquè hujuſmodi, quæ propterea cauſæ univerſales dicuntur : tum quidquid eſt ſignificativum, aut repræſentativum plurium, quale quid eſt, juxta probabilem Theologorum ſententiam ſpecies impreſſæ Angelorum, quæ in ſe indiſtinctæ diſtinctè tamen plura quâ talia Angelico intellectui repræſentant ; & in humanis quædam voces, ac ſigna plurium ſignificativa ; & in natura portenta quædam, ut Cometæ, terræmotus, inundationes aquarum inſolitæ, aliaquè his ſimilia communiter humano generi imminentes miſerias portendentia.

1812 Verùm tales Univerſalis entis acceptiones impropriæ nimis ſunt, & nullatenus præſentis inſtituti; proinde in rigore terminorum preſsè & propriè nomine entis Univerſalis Metaphyſici intelligimus id, quod in eſſendo pluribus convenit. Hoc dari ſeu formaliter per intellectum, ſive in eſſe intentionali ; ſeu fundamentaliter à parte rei, infallibile eſt Peripateticæ Philoſophiæ dogma, traditum ab Ariſtotele 3. 4. & 7. Met. alibiquè paſsim ; & fundatum in ea ratione, quòd à parte rei inter plura individua ejuſdem naturæ reperiatur aliqua convenientia in prædicatis eſſentialibus ; ex qua deſumit fundamentum intellectus cognoſcendi id, in quo conveniunt, abſque eo, quòd cognoſcat eorundem differentias, uti intellectualis experientia confirmat, quâ conſtat nos cognoſcere hujuſmodi convenientiam, & de illa loqui, ac diſcurrere, præcisè ſiſtendo in prædicatis communibus ; quæ ſic præciſa, & abſtracta ſervant tamen aptitudinem quādam intrinſecam, ſeu potentiam ad eſſendum rurſus in illis à quibus mediante operatione intellectûs ſunt abſtracta.

Nec

1813 Nec obest quòd Aristoteles 7. met. dicat Genera, & Species substantiarum nihil esse: nam ut ex contextu colligitur, ibi Philosophus agit contra Platonem, cujus genera, & species nihil esse, merumquè figmentum meritò pronuntiavit. Nec obest ampliùs quòd si daretur Universale, uti à nobis adstruitur, illud esse deberet vel ens reale, vel rationis; verum namquè est, illud esse ens reale in statu intentionali, quatenus scilicet reale opponitur purè ficto.

1814 Quod ut magis pateat, dicimus inprimis, universalia non esse meras voces ideo, quia verè, & essentialiter in hac propositione: homo est animal; prædicatum convenit subjecto, quod fieri nullatenus posset, si illud esset pura vox; nam, ut liquet ex dictis in Physico-Ethica, vox accidens est, quod de essentia hominis esse nullo modo dici potest: quod si sumantur voces grammaticaliter, falsum esse constat vocem animal vel esse, vel significare hominem; adeoquè quomodolibet accipiantur voces in ijs consistere nequit essentia universalis. Nec obest, quòd Aristoteles dicat genera, & species significare quale quid; quod propriè vocibus convenit. Nam hoc solùm dixit juxta receptum modum loquendi Philosophorum, accipientium nomina rerum pro nominibus nominum, prout Aristotelis præsertim Politica legenti fit manifestum.

1815 Deinde neque Ens Universale est figmentum aliquod rationis nostræ, ut nonnulli arbitrantur; quantumvis enim abstrahi possint rationes universales ab ipsis impossibilibus, rationisquè entibus; nihilominus, quando eæ abstrahuntur ab entibus veris, & realibus, nequeunt non esse veræ, & reales, cùm & fundamentaliter sint à parte rei extra intellectum, & formaliter, ac subjectivè in intellectu, cùm de formali importent, ut dicemus, ipsam speciem impressam veram ac realem; constitutricem entis universalis in esse intentionali formaliter.

1816 Neque obest quòd universale adæquatè sumptum esse nequeat extra intellectum in statu reali & modo quo est intra illum in statu intentionali: Hoc enim si probaret Universale esse ens rationis, probaret idipsum entia rationis esse actus omnes vitales, utpote qui poni nequeunt taliter extra ipsas potentias, qualiter intra eas sunt. Quâ igitur ratione differat universale ab ente rationis, patet ex dictis suprà de essentia illius, & mox magis patebit ex dicendis de essentia ipsa universalis.

1817 Neque etiam assentimur illorum asserto, qui existimant universalia dari à parte rei realiter à Singularibus separata, seu idæas quasdam, discretasquè ab omni materia substantias, æternas, incorruptibiles, independentes à loco, tempore, cæterisquè circumstantijs enti singulari proprijs, per quarum deinde participationem fiant, ac producantur ipsa individua: Nam homo v. g. ille universalis qui ponitur ab individuis realiter separatus, nequit hoc ipso dici esse idem cum individuis, qui tamen ad hoc ut inesset, & prædicaretur de individuis necessariò esse deberet idem cum illis; prædicare namque unum de altero est affirmare realiter identitatem unius cum alio; ea autem quæ idem sunt separata esse nequeunt, ut patet ex terminis.

1818 Ac proinde si idææ illæ realiter essent idem cum individuis ab ijs separatæ realiter esse nequirent; quod tamen Platonici evidenter sibi contradicentes affirmant: quæ contradictio ex eo elucet, quòd impossibile sit ut Petrus, & Paulus sint idem homo realiter, quod admitti necessario deberet, eò quòd esset eadem in utroque natura, non secùs quàm tres Divinæ Personæ sunt unus, idemquè Deus; quia eadem natura Divina est in omnibus tribus Personis &c. atque adeo meritò hanc de essentia universalis sententiam censemus esse chymæricum, & omnino impossibile figmentum.

1819 Imò, estò per possibile, vel impossibile tales darentur substantiæ quales ab ipsis asseruntur, adhuc esse non possent in essendo, & prædicando universale; ad hoc namque tria necessariò requiruntur nempe ut sit in pluribus per identitatem: deinde ut multiplicetur realiter in illis ita, ut in singulis sit numero diversum; & demum tertiò ut à singulis totum participetur; quæ tria cum in idæis illis Platonicis reperiri nullatenus possint respectu inferiorum, ideo etiam estò darentur, universale tamen, de quo agimus, non forent.

1820 Neque etiam subsistere existimamus, saltem defacto loquendo, sententiam illam, quæ subtilissimo Scoto attribuitur, oppositam è diametro præcedenti, quâ dicuntur universalia formaliter dari in ipsis singularibus inclusa independenter ab omni operatione intellectûs: tum quia talis opinio commiscet humana Divinis, Philosophica Theologicis, eò quòd invehat in creata aliquod arcanum simile Mysterio Trinitatis; eadem enim omnino natura idem esset realiter cum pluribus singularitatibus, absque eo, quòd singularitates essent idem inter se realiter; tum quia nulla natura, quæ existit in singularibus inclusa vel est, vel esse potest in multis per sui multiplicationem, cum existat existentiâ suppositi, seu, quod idem est terminetur propriâ subsistentiâ, à qua redditur alijs incommunicabilis; adeoquè natura nulla inclusa in singularibus esse potest independenter ab operatione intellectûs universalis.

1821 Quo non obstante neque illa de Universalis à parte rei essentia opinio arridet, quam inter præcedentes duas ingeniosus excogitavit Fonseca, quamquè tuentur ingeniosi quidam Neotherici, asserentes Universalia indepen-

pendenter ab opere rationis dari à parte rei ante ſingularia in ſtatu rerum poſſibilium: tum quia nulla eſt natura poſſibilis, quæ individua, & ſingularizata non ſit in individuis ſuis poſſibilibus; cùm quidquid poſſibile eſt, indiſtinctum ſit ſecundum rectum à ſe ipſo prout actu *1824* exiſtente, uti ſuprà oſtendimus: tum quia illud tantùm poſſibile eſt quod in actu poſitum nihil abſurdi infert; ſeu quod non repugnat exiſtere actu; cujuſmodi natura illa non eſt, utpote quæ exiſtere nequit, uti ipſe Fonſeca docet expreſsè affirmans per ſtatum actualitatis ipſam deſtrui: tum demum quia licèt daretur natura in ſtatu poſſibilitatis indifferens, ut contraheretur per hanc, vel illam differentiam individualem, adhuc tamen non obtinerent adverſarij intentum, cùm non eſſet illa indifferens ad plura individua ita, ut poſſet ſimul contrahi ad illa ſimultate ſe tenente ex parte actûs, verùm tantùm indifferens foret ad plures contractiones disjunctivè, hoc eſt vel ad hanc, vel ad illam, non verò collectivè, ſeu & ad hanc, & ad iſtam, & ad illam, eò quòd eadem natura nequeat ſimul duo individua realiter diſtincta, multo minùs diverſa conſtituere; cum implicet eandem rem contrahi per *1825* identitatem ad res oppoſitas, & diverſas, in quibus fiat realiter multiplex, quæ ante fuerat ſimplex, una, & indiviſa entitas; ut per ſe notum eſt; & patet magis inde, quòd etiamſi natura Divina quodammodo contrahatur per identitatem ad diſtinctas perſonalitates, in illis tamen nõ multiplicetur, ſed maneat eadem ſemper ſimpliciſſima; adeoquè pariter eſtò natura illa poſſibilis contrahibilis foret per plures identitates disjunctivè, non eſſet tamen univerſalis ob rationem paulò ante inſinuatam.

1822 Inſuper nec ſuſtineri poſſe arbitramur aſſertionem illam, quâ quidam affirmant ſaltem de abſoluta Dei potentia, poſſibilem eſſe naturam aliquam creatam univerſalem realiter, & identicè unam, multiplicatam tamen realiter in pluribus naturis inter ſe realiter diſtinctis. Nam in rebus creatis abſolutè videtur verum principium illud lumine naturæ notum: ómne totum eſt majus ſuâ parte; quod tamen falſum foret poſitâ veritate contrariæ aſſertionis; in tali enim caſu quælibet natura inferior, quæ eſſet velut pars Superioris ſeu univerſalis includeret eſſentialiter totam perfectionem tum totius, tum cujuſcunq; alterius ſibi æqualis inferioris naturæ: hoc patet clarè diſcurrenti de illis ad eum modum, quo defacto diſ- *1826* currimus de univerſali ut ſic reſpectu ſuorum inferiorum & viciſſim: in caſu namquè poſito nulla foret diſparitas; niſi quòd nunc natura Univerſalis realiter ſe haberet eodem prorſus modo quo defacto ſe habet operâ intellectûs.

1823 Neque obeſt, quòd in Divinis defacto falſum ſit allatum principium; hoc enim provenit ab infinitate uniuſcujuſquè Divinæ Perſonæ, vi cujus quælibet æqualis eſt ſuo toti, & una alijs duabus; cùm nihil ſit, quod infinitum ſimpliciter ſuperare poſſit.

Sed neque ſequeretur neceſſariò Univerſale in creatis, licet admitteretur in creaturis diſtinctio ſeu formalis ex natura rei, ſeu virtualis intrinſeca in creaturis, in alio rerum ordine: Tum quia natura Divina non eſt univerſalis licèt ex probabili Theologorum ſententia admittat in ſe diſtinctionem ſeu formalem, ſeu virtualem intrinſecam, itaquè ſit una, ut ſimul habeat ſecum identificatas perſonalitates realiter diſtinctas: tum quia collectio v. g. humanitatum, prout eſſet una humanitas, ſaltem ex natura rei, & formaliter non eſſet re ipsâ in Petro, Paulo &c. ſumptis diviſivè, ſed in quovis eſſet ſua humanitas, & non alterius, quod ad univerſale non ſufficit; cùm præter unitatem, & multitudinem requiratur etiam communitas, ratione cujus ratio univerſalis habet ut una ſit tota in quovis inferiori ſeorſim ſumpto, prout ex ipſa notione univerſalis ſuprâ datâ conſtat.

Multò minùs adſtrui poſſe putamus defacto dari à parte rei univerſale quoddam negativum à Cajetano excogitatum in natura de ſe non repugnante contrahi per quamlibet aliam ſingularitatem, eſtò ſic contrahi non ſit poſitivè apta. Tum quia hæc opinio eaſdem incurrit difficultates, quas ſententia Scoti, & Fonſecæ à quibus vix quidquam diſcrepat: tum quia repugnantia quam habet Petrus cum ſingularitate Pauli oritur in Petro ab ejus identitate, & ſingularitate, quam non habet Petri natura pro aliquo inſtanti antecedente ipſum eſſe Petri; nec habere ullatenus poteſt; cùm ex natura oriatur identitas, & ex identitate repugnantia in natura Petri ad non eſſendum naturam Pauli: Ut patet ex dictis, adeoquè nec habere poteſt antecedenter ullam non repugnãtiam, ſeu repugnantiæ carentiam, quam excogitavit contrariæ opinionis Author: Tum demum quia per ipſum natura Petri non poteſt propriè eſſe in multis, ſed ſolùm ſecundum quid, & non repugnanter, quod ad univerſale non ſufficit; cùm ad ipſum requiratur, ut ineſſe poſſit pluribus per poſitivam aptitudinem, & capacitatem naturæ abſtractæ; quæ ſicut poſitivè erat ante abſtractionem, ita poſt illam poſitivè poteſt, & debet eſſe in pluribus, uti infrà magis explicabitur.

1826 Miraculoſa quoque replicatio ſeu ejuſdem formæ in pluribus ſubjectis, ſeu ejuſdem compoſiti in pluribus, imò in omnibus mundi partibus, nullo pacto inferret univerſale, de quo agimus à parte rei; ſi enim albedo eadem pluribus ſubjectis miraculosè inhærens, eaque alba denominans eſſet univerſale, defacto univer-

versale daretur à parte rei, quam sequelam adversarij concedere nolunt, sed eam contra eos sic ostendimus; Nam ideo albedo per illos replicata in pluribus subjectis universalis est, quia una determinat, & constituit plura alba, atqui 1829 defacto una eademquè cognitio, una actio, una unio &c. non replicata denominat, plura cognita, plura agentia, pluraquè acta, plura unita &c. ut constat; adeoquè si propter multiplicem denominationem albedo replicata esset universalis, ob eandem rationem jam dicta universalia forent.

1827 Sed neque sententia illa videtur subsistere, estò suppositum cui innititur verum foret, quam tenent ingenioſi quidam recentiores; Universale actu dari formaliter à parte rei, ex eo quòd defacto creaturæ omnes unum quid simplicissimum in omnipotētia Dei sint, 1830 multiplices autem in se ipsis. Ratio insufficientiæ illius est, tum ex dictis suprà de rerum possibilitate objectivè distincta à Divina Omnipotentia; tum quia cognitio per quam clarè cognoscitur Petrus, & Paulus non est effectiva entis universalis, estò sit una in se, eosquè intentionaliter contineat, atque adeo licèt Omnipotētia Dei sit in se una realiter, & creaturas omnes distinctè contineat, non propterea illis ullam tribuet universalitatem; cùm ipsa non secùs, ac quæcunquè alia causa suos inter distinguat effectus; estquè cujusvis in particulari, & prout contradistincti ab alio productiva; quod dum præstat, quænam amabo ipsis ab ea tribuitur universalitas? Nisi fortè dicere velimus effectus omnes in suis causis entia universalia esse; quod quis admittet?

1828 Sed nec illa demum quorundam opinio apud nos locum habet, quæ asserit vi similitudinis, & convenientiæ, omnia individua alicujus naturæ per prædicamentalem relationem in unum coacta, constituere à parte rei, & independenter ab operatione intellectûs Universale. Tum quia aggregatio illa humanitatum v. g. vi similitudinis physicæ in unitatem 1831 quandam coacta, etiam per adversarios non est, prout requiritur ad universale, in singulis individuis ejusdem naturæ, nisi collectivè hæc sumantur; si enim esset in quolibet, vel esset quatenus indeterminatè, & disjunctivè sumitur; & hoc non; quia adversarij nullam à parte rei admittunt realem indeterminationem: vel quatenus determinatè, & copulatìm accipitur; idquè etiam non; quia alias omnis humanitas esset in Paride, & extra illum nulla reperiretur in Francisco, & alijs, quod dici non potest: Tum etiam quia sequeretur ex contraria opinione hominem respectu veri, & picti esse ens universale, cùm à parte rei homo verus, & homo pictus habeant aliquam similitudinem, vi cujus essent aliquo modo unum; adeoquè tenendum est similitudinem illam Physicam relativam, quæ in rebus reperitur esse quid merè extrinsecum, & velut occasionem præbens intellectui abstrahendi à singularibus similibus naturam communem.

Neque obstat quòd Paris, & Franciscus dicātur indistincti secundum essentiam, etiam nemine cogitante, & consequenter quid unum essentialiter; hoc namquè solum significatur Paridem, & Franciscum non ita notabiliter differre inter se, sicut differunt Paris, & Leo; quantumvìs in entitate Physicâ, & reali nihil prorsus ad invicem habeant commune, uti patet ex eo, quòd Paris infirmari possit, & mori, quin & annihilari, Francisco intereà læto, ac hilari superstite, absque eo quòd illi quidquam per mortem, annihilationemvè Paridis decedat.

1830 Quare sic rejectis aliorum Placitis, ut demum quid nobis tenendum sit de essentia Universalis explicemus; firmissimum illud pro fundamento nostræ sententiæ statuimus principium: Illa sunt cujuscunquè rei essentialia constitutiva, quibus solis positis, & sublatis quibuscunquè alijs intrinsecè, & formaliter reponitur, & quibus sublatis, manentibus alijs quibuscunquè res illa formaliter, & per locum intrinsecum tollitur. Quo jacto fundamento superstruentes dicimus, naturam quæ nemine cogitante in pluribus individuis est numero diversa, ac simpliciter multiplex, & singularis, fieri universalem per operationem practicam intellectûs illam à singularibus abstrahentem, & individuis differentijs, quasi effectivè spoliantem: cujus actûs practicè præscindentis objectum proximum, & immediatum est sola natura objectiva intentionaliter præcisa, & in sui impressa specie repræsentata: in quâ quatenus per abstractionem effecta est proxima radix, & principium unitatis, & aptitudinis, reliquarumquè proprietatum, quæ enti universali debentur, essentia entis Universalis formaliter, intrinsecè, & essentialiter consistit.

1831 Cujus nostræ assertionis, præter jam positum inconcussum fundamentum, certitudinem comprobat aliud non minùs illo certum principium, quo constat, essentias rerum metaphysicè loquendo formaliter constitui per prima sua prædicata intrinseca, & formalia habentia prioritatem quādam metaphysicam, sive à subsistendi consequentia ad reliquas omnes passiones, & proprietates, quæ necessariò talem essentiam consequuntur: sic rationale prius est risibili, entitas prior identitate, distinctione, unitate &c. quo posito facilè dicti nostri elucet veritas, eò quòd formaliter in eo constituenda sit universalis essentia, quod est de primo ejusdem essentiali conceptu, primumquè constitutivum, ac prima radix omniū quæ universali propriè, & immediatè conveniunt; quod principium esse naturam præci-

ſam quâ talem, per impreſſam ſui ſpeciem in ſtatu intentionali conſtitutam, patet rurſus tum ex debitè applicato præcedenti principio; tum quia ſic ſumpta natura ſingularis non eſt, cùm à ſingularitate præſcindat, adeoquè neceſſariò eſſe debet univerſalis, cùm inter ſingulare, & univerſale nullum detur medium, cùm ſint oppoſita contrariè, & per legitimam conſequentiam immediatè, & formaliter ſeſe invicem excludentia.

1832 Ex quo facilè cuivis inferre licet Unitatem, & Aptitudinem quomodocunquè ſumantur, ſeu ſcilicet pro unitate, & aptitudine intrinſeca, ac convertibili cum eſſentia; ſeu pro denominatione extrinſeca proveniẽte ab actu intellectûs cognoſcentis naturam univerſalem non eſſe formaliter de eſſentia, aut primo conceptu quidditativo entis univerſalis. Cujus illationis ulterior ratio eſt, quia ſicut conſtat ex dictis unitatem entis ut ſic, eſſe ſolum proprietatem entis ut ſic; & unitatem entis ſingularis, eſſe tantùm proprietatem ejuſdem; ita ut conſequenter loquamur, certum eſſe debet unitatem entis univerſalis, ejuſquè aptitudinem, quomodocunquè ſumantur, eſſe ſolùm ejuſdem proprietates.

1833 Diximus, quomodocunquè ſumantur; alia ſiquidem eſt unitas, & aptitudo promanans immediatè ab ipſa natura conſtituta per ſui ſpeciem formaliter in ſtatu intentionali (cùm enim natura ſic ſumpta ſit eſſentialiter poſitivè aliquid, & conſequenter ens, neceſſe eſt ſuas ut habeat proprietates, ſecum convertibiles, non ſecùs, quàm quævis entitas habeat ſibi competentes) & alia proveniens per denominationem extrinſecam à cognitione extrinſecè verſante circa talem naturam præciſam, ac in ſui ſpecie repræſentatam, intentionaliterquè exiſtentem.

834 Confirmat veritatem noſtræ illationis ampliùs id quod deprehendimus in rebus phyſicis, quarum eſſentiæ non per conſequentes proprietates, ſed per ipſas ſubſtantias conſtituuntur: ſic ignis non per ſiccitatem, & calorem, ſed per ſui ſubſtantiam, quæ radix eſt caloris, & ſiccitatis, conſtituitur: à pari igitur, quin à fortiori, eſſentiæ metaphyſicæ, & ſpecialiter entis univerſalis non in proprietatibus, ſed in natura ipſa præciſa, & in ſtatu intentionali exiſtente, utpote quæ radix, & principium eſt omnium proprietatum, quæ univerſali attribuuntur, eſt conſtituenda.

1835 Nec obeſt quòd univerſale paſſim definiatur eſſe unum aptum ineſſe, & prædicari de pluribus: Hæc namquè definitio deſcriptiva tantùm eſt, & per proprietates, conſequentes licèt, attamen convertibiles cum ſuo principio; quæ tamen ſufficienter nos deducunt in notitiam illius; quod in ſuis primis prædicatis eſſentialibus ſpectatum, per eadem rectè ſic definiri poſſe videtur: Univerſale metaphyſicum eſt natura aliqua præciſa per actum intellectûs practicè circa eam verſantis, & repræſentata in ſui ſpecie ſpoliata elucet differentijs omnibus individuantibus ita, ut dignoſcatur eſſe principium primum, primaquè radix eorum omnium quæ enti univerſali convenire poſſunt.

1836 Atq; hinc ulterius patet unitatem, quam proprietatem intrinſecam naturæ præciſæ dicimus, & à qua ipſa denominatur una intrinſecè, ac ſimpliciter, non eſſe unitatem aliquam fictam conſiſtentem in negatione differentiarum inferiorum, quæ in natura præciſa, ab intellectu concipiatur, & fingatur: cùm nulla ſit ullius figmenti neceſſitas, nullaqué pro tali unitate ratio: neque unitatem meræ cognitionis, cùm hæc ſit totaliter extrinſeca, & conſequens extrinſecam denominationem cogniti, verùm eſſe unitatem ipſam intrinſecam, ſeu eſſentialem proprietatem naturæ ratione noſtrâ diſtinctam, tam ab individuali, quàm ab ipſa natura in ſtatu intentionali ſumpta; quamque conſequitur ut eſſentiam ſua proprietas, cùm enim, ut jam diximus, natura v. g. humana ſpoliata differentijs ſuis individuantibus, & in ſtatu intentionali conſtituta ſit aliquid poſitivi indiviſum intrinſecè in plures eſſentiales differentias, quæ humanæ non ſunt, conſequens eſt illam habere debere ſuam unitatem: ſicut enim ex eo, quòd Petrus v. g. præter ſuam individuationem in ſtatu reali habeat indiviſionem omnium aliarum differentiarum individualium, dicitur unus per unitatem ſuam numericam ſibi intrinſecam, ſic natura humana poſita in ſtatu intentionali; quia habet ſuam eſſentiam, & indiviſionem in plures naturas tales qualis eſt ipſa, conſequenter una eſſe debet per ſuam intrinſecam unitatem, hoc ipſo quòd unitas ſit talis proprietas, quæ eſſentiam quamcunque conſequitur ita, ut ſi illa ſit in ſtatu reali extra intellectum, illam ſequatur unitas extra intellectum, ſi ea ſit in ſtatu intentionali eam ſequatur in eodem.

1837 Nec obſtat quòd unitas naturæ, ſeu eſſentiæ reperiatur in natura etiam ante abſtractionem, & dum eſt in ſtatu reali; Hoc namq; non impedit, quò minùs in ſtatu intentionali ſit proprietas naturæ univerſalis; tum quia illa univerſalis, tum quia illa unitas, quam eſſentiæ dicimus ante operationem rationis præſcindentis naturam ab individuis eſt in ijs multiplicata, ſicut & numerica à qua tunc eſt indiſtincta: tum quia natura in ſtatu præciſo, & intentionali non reperitur cum illis circumſtantijs, cum quibus eſt in ſtatu reali; adeoq; ſicut calor v. g. licèt reperiatur etiam in aëre, quia tamen conjunctus cum ſiccitate reperitur tantùm in igne, ideo eſt ignis, & non aëris proprietas, ſic unitas eſſentialis licèt reperiatur

tur in natura etiam dum ea est in statu reali, quia tamen conjuncta cum abstractione fit unitas per se, ideò in talibus circumstantijs potest esse, & est proprietas naturæ universalis.

1838 Porrò sicut unitas, ita & Aptitudo, altera naturæ universalis proprietas, à qua ipsa denominatur apta, non est aptitudo aliqua ficta, aut merè extrinseca, & cognitionis, consistens in relatione quadam rationis per quam natura abstracta reflexè comparetur cum individuis in quibus reperiri potest; vel, ut alij, in negatione individuorum reflexè concepta in eadem natura, per quam fiat multis communis. Hujusmodi enim figmentorum nulla penitùs est necessitas, cùm absque ijs natura intrinsecam suam habeat aptitudinem, & potentiam, posito actu eam spoliante individuationibus, quo fit aptitudo unius naturæ simpliciter, adeoqué propria naturæ universalis, per quam ista ex se non habet repugnantiam ad existendum in ijs pluribus, à quibus segregata fuit, & in quibus etiamnum in statu reali reperitur: sicut enim lapis, quia sursum ab extrinseco movetur, non habet repugnãtiam intrinsecam ad motum sursum; sic natura præcisa, cùm inter sua prædicata essentialia nullum habeat, cui repugnet multiplicatio essentialis, ideo etiam intrinsecam suam aptitudinem & potentiam ad illam servat.

1839 Per quod tamen minimè sentimus cum illis, qui hanc universalis naturæ aptitudinem omnimodè independentem ab operatione intellectûs asserunt; siquidem positâ tantùm abstractione, illa consurgit in natura: licèt enim hæc habeat aptitudinem ad essendum in multis à parte rei, quia reipsa in multis est; non habet tamen talem aptitudinem à parte rei per modum unius; sed multiplicem, divisam, & non unam: quare aptitudo hæc universalis est solùm in esse intentionali, abstractam naturam, & unam, in eodem statu consequens; fundata nihilominùs in ipsa reali multiplici, vi cujus, ut diximus, natura in statu reali actu in pluribus reperitur.

1840 Ex quibus evidens fit ens universale non esse aliquod ens à se, uti nonnulli erronëè, existimârunt; sed ens quoddam metaphysicum, & quidem non omnino simplex, sed compositum, seu concretum objectivum, secretum ut ab individuationibus, ita à reliquis omnibus circumstantijs singularizantibus separatum, consurgens, ut jam dictum est, essentialiter ex natura præcisa, & specie impressâ illam formaliter in esse intentionali constituente. Illius proinde causa quasi materialis proxima est natura, prout actui præscindenti immediatè substat; nam illud dicendum est importare universale de materiali, quod actui facienti universale immediatè objicitur, quale quid naturam ipsam esse patet ex eo, quòd præter illam aliud nihil assignabile sit, siquidem singularia, existentia à parte rei, quæ quidam de materiali importari dicunt, sunt objectum tantùm remotum, & fundamentale, quod intellectus per actum præscindentem proximè non attingit, eò quòd per ipsum ipsa singularia non cognoscantur.

1841 Formalis verò universalis entis causa est ipsa species ab Agente intellectu producta, & formaliter, sed non vitaliter naturæ præcisæ in esse intentionali repræsentatrix: per speciem namquè sui impressam formaliter natura repræsentatur absque differentijs individuantibus, & denominatur universaliter repræsentata; quæ denominatio formaliter consistit in passiva repræsentatione naturæ absque differentijs illam individuantibus: hæc verò repræsentatio passiva aliud esse nequit, quàm ipsa formalis impressa species; siquidem ista in ratione imaginis exhibet formaliter naturam communem absque differentijs, non secùs ac illam exprimat vitaliter species expressa, seu ipsa formalis cognitio; uti ex dictis in Physico-Ethica, & suprà de objectivis præcisionibus sufficienter constare potest.

1842 Causam autem Finalem entis universalis cum communi Philosophorum dicimus esse illam, ut videlicet sit subjectum scientiæ ad facilitandum nostrum intelligendi modum in scientificis cognitionibus conquirendis, quo sumus soliti in unum multa adunare, & unum in multa partiri: cognitâ siquidem naturâ in communi, cum proprietatibus ipsi competentibus facilè deinde comparatur cum inferioribus ea, quæ cognita sunt de illa in communi specialiter istis applicando.

1843 Quoad efficientem verò principalem Universalis causam attinet, quamvis omnis intellectus habere possit speciem, & cognitionem universalem in repræsentando, hoc est talem, ut cum unicus ille sit plura cognoscat, imò etiam omnia, prout in nostris Philosophiæ Rationalis Placitis exposuimus; nihilominus tamen minimè sequi asserimus omnem intellectum esse posse causam efficientem entis universalis, sed illum tantùm, qui potens producere speciem repræsentatricem Universalis naturæ, & cognoscere in illa confusè plura ad instar unius; cujusmodi est intellectus præsertim humanus, & interdum etiam Angelicus, in ijs, quæ intuitivè non cognoscit, & quorum speciem impressam producere potest eorundem præcisè repræsentativam.

1844 Intellectus autem Divinus, utpote cui ob suam in cognoscendo perfectionem, nihil est absconditum, cuiquè omnia intuitivè, & clarissimè patent universale efficere non potest; eò quòd repugnet illi omnis confusio, & obscuritas, omnisquè abstractiva cognitio, cùm cuncta cognoscat propriè, immediatè, & prout in

ut in ſe ſunt diſtinctiſſimè abſque ulla vel confuſione, vel obſcuritate, vel imperfectione. Nec obeſt, quòd cuncta cognoſcat ſub qualibet ratione cognoſcibili, & conſequenter etiam ſub ratione univerſali, cur igitur efficere nequeat univerſale? Ideo nimirum, quia ex eo quòd DEUS perfectiſſimè cognoſcat omnes homines v. g. nulla ſequitur abſtractio, aut confuſio in Divina mente cùm illa ita omnes cognoſcat, ut dignoſcat diſtinctiſſimè ſingulos; *1848* cui modo cognoſcendi, repugnat, ut patet, fabrica entis univerſalis.

1845 Neque obeſt ampliùs, quòd videatur DEUS ſe ſolo poſſe producere ſpeciem in quâ præciſa natura repræſentetur formaliter, quâ ſi produceret, quid obſtaret, quò minùs illi attribui poſſet propriè effectio univerſalis? Hoc nimirum quòd videatur probabilius DEUM non poſſe hujuſmodi ſpeciem producere, eò quòd quælibet talis, quam produceret, eſſet *1849* diſtinctè repræſentativa ſingularium quidem plurium, ſed inter ſe diſtinctorum; ſiquidem DEUS alio modo hujuſmodi ſpeciem non produceret, quàm quo modo ipſe eſt cognoſcens naturam v. g. humanam univerſam; alioquin DEUS aliquid faceret, quod non cognoſceret: cognoſcit autem DEUS humanam naturam diſtinctiſſimè, ut re ipsâ in ſe eſt; produceret igitur ſpeciem repreſentativam talis naturæ, prout ipſa à parte rei eſt, quæ ſpecies tali cognitione operante producta nullatenus inſervire *1850* poſſet conſtitutioni naturæ in eſſe Univerſalis, ut conſtat.

1846 Quod verò DEO omniſcio non concedimus in Univerſalis effectione, jure potiori negamus inprimis ſenſibus tam externis, quàm interno: illis quidem tum quia juxta Ariſtotelem omnis externus ſenſus eſt ex natura rei circa res ſingulares; tum quia juxta dicta ſuprà externi ſenſus res tantùm exiſtentes actu, non verò poſſibiles percipere poſſunt, quod tamen foret illis concedendum, ſi facere poſſent univerſalia; tum demum quia, juxta etiam dicta in Phyſico-Ethica, objectum ſenſuum eſt accidens materiale ſenſibile non verò ſubſtantiæ, & eſſentiæ ipſæ, quas proximè attingere nullo modo illi poſſunt, prout ad eſſe entis Univerſalis eſt opus.

1847 Neque obeſt quòd color, ut ſic, dicatur objectum viſivæ potentiæ, ſonus ut ſic objectum potentiæ auditivæ, &c. Hoc namq; dicitur tantùm ſecundum noſtrum loquendi *1851* modum, noſtraſqué intellectuales abſtractiones, non autem quaſi re ipsâ daretur color aliquis, ut ſic, aut ſonus, ut ſic, qui re ipsâ extra intellectum ſub ſe contineret omnes colores, aut ſonos. Pari modo, quando quidam dicunt objectum ſenſuum eſſe univerſale, intelligendum eſt, quòd collectio ſingularium, in quæ, quatenus duntaxat talia ferri poſſunt ſenſus, ſignificari à nobis ſoleat vocabulo communi correſpondente interiori noſtræ cognitioni univerſali: non verò quòd univerſale ſit independenter à noſtro loquendi, & concipiendi modo. Atque his duabus reſponſionibus bene perceptis nullam difficultatem faceſſunt plurimæ, quæ hoc loco recreationis potiùs, vel eruditionis gratia aggregare conſueverunt contrariæ ſententiæ Patroni objectiones.

Interno autem ſenſui vim faciendi univerſalia ut negemus, ſicut & ſenſitivo Appetitui ſuadet illa ratio, quòd è potentia abſtrahere nequeant perfectè à circumſtantijs individuantibus, cùm illarum objectum proprium ſit quid materiale materialibus affectum accidentibus, uti ex dictis in Phyſico-ethica patet, ubi has potentias, & materiales eſſe oſtendimus, & illarum objectum probavimus eſſe materiale ſingulare.

Neque demum vis faciendi univerſalia competit, vel competere poteſt humanæ voluntati, hoc ipſo quòd nec ſit nec eſſe poſſit cognoſcitiva convenientiæ multorum in aliquo uno: & quantumvis amet rationem communem virtutis, eam tamen quâ talem ſibi propoſitam ab intellectu ſupponit, ſolumqué verſando circa illam dat ipſi denominationem extrinſecam voliti, uti ſuprà in ſimili diſcurrebamus de ente rationis, dum à voluntate amatur, deſideraturvé.

1850 Attributo porrò, quæ enti univerſali communiter attribui ſolent, ſunt imprimis, ut ſit objectum intellectûs: hoc ipſo namq; quod ens ſit, gaudere debet, ut cætera omnia, quæ rationem entis participant objectivâ ſuâ cognoſcibilitate. Deinde, ut prius ſit, & poſterius ſingularibus; poſterius quidem, quia intellectus occaſionem, & fundamentum nanciſcitur faciendi univerſalia à convenientia, quam inter ſe in quibuſdam ſaltem extrinſecis qualitatibus & operationibus habeat ſingularia: prius verò, tum quia natura univerſalis tanquam genus aliquod, totumvé poteſtativum ad ſingularia metaphyſicè conſtituenda per propriâs differentias contrahitur: ſicq; dicitur quaſi cauſa metaphyſica ſingularium, quæ conſtituit: tum quia à ſubſiſtendi conſequentia rectè argumentamur eſt Petrus, ergo eſt homo: eſt homo, ergo eſt animal: ac propterea eorum dicitur ab Ariſtotele principium, quæ univerſale ſub ſe continet.

Attribuitur inſuper enti univerſali immaterialitas, & incorporeitas, nec immeritò: quia ſecundo intentionaliter, & reduplicativè acceptum in ſtatu purè intentionali exiſtit, in quo haud dubiè corpora aliqua phyſicè talia non reperiuntur: atque ex hinc fortè dicitur ingenerabile, incorruptibile, æternũ, &c. quæ prædicata non ſunt intelligenda cõvenire enti univerſali poſitivè; nam ſic ſumpta ſoli DEO illa

illa competunt, sed negativè, seu præcisivè, hoc est non secundum aliquam realem existentiam, quam extra suas causas haberet, cujusmodi nec habet, nec habere potest, ut ex dictis sufficienter patet; verùm secundum esse abstractum, quod habere potest prius, & prius in infinitum ad eum modum, quo in Logica explicuimus propositiones æternæ veritatis, & in Physico-matemathica durationem possibilem mundi à parte ante.

Metaphysicè spectatum ens positivum quatenus substantiale.

1852 ENtis substantialis nomen quamvis diversimodè usurpetur à Philosophis, hoc loco propriè à Metaphysicis accipitur prout opponitur enti accidentali, sive accidenti, & quatenus ens per se est, sive concretum essentiale ex ratione communi entis, & differentia perfeitatis, atque hinc metaphysicè spectata substantia rectè dicitur esse ens per se. Quæ receptissima definitio non levem parit difficultatem in explicando quid sit hoc esse per se soli substantiæ conveniens; cùm enim tam forma leonis, quàm ejus quantitas, qualitates, cæteraqué accidentia sint in materia, quænam sit propria ratio, vi cujus dicatur forma ens substantiale, non verò quantitas, calor, color, 1855
reliquaqué, quæ illi pariter insunt? quem intricatum nodum, ut aliquatenus enodemus, præmittimus ut infallibile principium Perfeitatem, quam diximus differétiam essentialiter constitutivam substãtiæ esse quid omnìno positivum, & nullo modo seu negationem aliquam, seu negationis connotationem: cujus nostræ certitudinis argumentum est, tum quia nulla positiva entitas constitui potest intrinsecè, & primariò per aliquam negationem, nisi eam dicere velimus esse ens chymæricum, utpote ex esse & non esse essentialiter consurgẽs: tum quia omnis negatio, quæ alicui competit, 1856
necessariò præsupponere debet aliquod positivum, in quo fundetur, prout suprà jam demonstravimus; adeoque negatio essendi in alio substantiæ competens debet præsupponere aliquid cujus ratione substantiæ cõpetat, quod præsuppositum nequit esse ens ut sic, quia alioquin omne ens secum annexam haberet talem negationem, & consequenter ipsum accidens, quatenus ens esset, foret per se existens: quod cùm admitti nequeat, necessariò admittenda est aliqua alia formalitas positivâ negatione prior, quam dicimus perfeitatem, per quam & constituatur in suo esse substantia, & radicaliter distinguatur ab omni, quod substantia non est, & ad quam sequatur negatio essendi in alio.

1853 Cujus ratio ulterior est, quia omnis positiva entitas, cujusmodi substantiam esse nemo prudens negaverit, cui repugnat aliquid, quod 1857
non repugnat alteri entitati, debet esse distinctæ rationis positivæ ab illa alia; si enim essent omnino ejusdem rationis, quod repugnaret uni, repugnaret & alteri ex propria sua ratione formali; cùm igitur repugnet substantiæ esse in alio, ut mox dicemus, tanquam in subjecto inhæsionis, idque non repugnet accidenti, necesse est, ut entitas illa, quæ est substantia, sit positivè diversa ab entitate, quæ est accidens, quæ positivæ diversitatis non negatio aliqua, sed positiva perfeitas erit formalis ratio.

Neque obest, quòd non videatur posse explicari essentia substantiæ absque negatione: nam etsi multa sint, quæ ob limitatum nostrum intelligendi, & explicandi modum explicare nequeamus nisi per alia, non tamen sequitur hæc esse de eorum essentia: sic transcendentalem relationem explicare non possumus sine termino, materiam sine forma, animam sine corpore, potentiam sine objecto, causam sine effectu, genus sine specie &c. & tamen, quis adeo abstractæ mentis fuerit, qui terminum de essentia relationis transcendentalis, materiam de essentia formæ, corpus de essentia animæ &c. esse asserat? Ulterior difficultas contra positivam perfeitatem nulla est, quæ bene perceptis ijs quæ jam de distinctionibus entium diximus, facilè solvi nequeat.

1855 Complanatâ igitur primâ difficultate circa essentiam substantiæ ut difficiliorem suprà positam complanemus; existimamus imprimis substantiæ conceptum non bene explicari per id, quod substat accidentibus; tum quia substare accidentibus est secundarium tantum substantiæ prædicatum, quodque subinde convenire potest, & vero etiam convenit, ut ex dictis in Physica liquet, accidentibus ipsis: tum quia per talem explicationem à ratione substantiæ excluditur Deus ipse, qui nulli accidenti physico subesse potest, estò sit maximè substantia.

1856 Arbitramur deinde nec sufficienter explicari conceptum substantiæ dicendo eam id esse, quod est de primo constitutivo rei, tum quia non sola substantia, sed etiam accidentia sunt de primo constitutivo rei alicujus: sic albedo est de constitutivo albi, & calor calidi, & figura operis artificiati &c. tum quia, si ly alicujus rei sumatur pro solo subjecto, ut quidam putant, sequeretur nullam formam substantialem esse substantiam, quam sequelam falsam cæteroquin, & erroneam ex dato principio sequi patet: nam, quantumvis anima v. g. rationalis sit de constitutivo hominis, non tamen est de constitutivo materiæ; adeoquè si illud solum esset substantia, quod est de constitutivo rei illius, quæ subjectum & materia dicitur, rectè sequeretur, nec rationalem animam, nec formam aliam ullam fore substantialem.

1857 Censemus insuper nec subsistere explica-

tionem illam, quâ communiter jam dicitur ſubſtantia per hoc differre ab accidente, & in proprio ſuo eſſe conſtitui, quia eſt radix, & fundamentum ſubſiſtentiæ: tum quia per plurimos illorum qui ſubſtantiam ſic explicant ſubſiſtentia eſt ſubſtantialis modus, & tamen modus ipſe nequit eſſe radix ſubſiſtentiæ, cùm nequeat eſſe radix ſui ipſius: Quid ergo habet modus iſte peculiare, vi cujus ſit, & dicatur ſubſtantialis? tum quia juxta hunc modum explicandi abſque petitione principij dari non poteſt ratio, cur quantitas non ſit etiam radix ſubſiſtentiæ: ratio enim, cur dicamus defacto etiam formas materiales ſubſtantiales fundare ſubſiſtentiam, quantitatem verò inhærentiam, eſt, quia illæ ſubſtantia ſunt, hæc vero accidẽs, cujus ratio niſi aliunde probetur, manifeſta eſt petitio principij.

1858 Neque etiam rectè explicari ſubſtantiam à quibuſdam Recentioribus putamus per hoc, quòd dicant eam eſſe primam radicem eſſendi, vel operandi: tum quia juxta ipſorum doctrinam non repugnat ſubſtantia aliqua nullatenus operativa, compoſita tamen ex materia, & forma, quæ quà talis non eſſet radix cæterorum, cùm nihil produceret, & aliunde non eſſet primum ſubjectum, quia ſicut per ſe nihil operaretur, ita nullius operationis immanentis receptiva foret, ut ipſi docent, & tamen eſſet ſubſtantia: tum etiam quia habitus præſertim ſupernaturales ſunt prima radix actuum ſupernaturalium, & nihilominus ſubſtantiales non ſunt, ut conſtat: tum demum quia per talem ſubſtantiæ conceptum unio & ſubſiſtentia ſubſtantialis tales non eſſent, cùm non ſint prima radix eſſendi ac operandi eò quòd modi ſint, & ordine naturæ præſupponentes ad ſui eſſe ſuum modificatum.

1859 Imò nec rectè dicitur ſubſtantia eſſe id, quod eſt finis cæterorum, quæ in ente completo reperiuntur: tum quia, ſicut ſubſtantia eſt finis cui accidentium, ita accidentia ſunt finis qui ſubſtantiæ: tum quia illa eſt propter operari, & conſequenter propter accidentia, per quæ, & quæ ſubſtantia eſt operatura, non aliter ac operationes, & accidentia ſunt propter eſſe ſubſtantiale rei, ejuſque perficiendæ gratia. Quod ſi Adverſarij ſubſtantiam non per finem qualemcunque ſed per finem cui intelligant, dicant, cur homo v. g. potius ſit finis cui accidentium, & non è contra? Certè id alia ratione fieri non dicent, niſi quia homo eſt perſona illa, vel completa ſubſtantia, cui accidentia intenduntur; accidentia verò ſunt bona illa, quæ ipſi intenduntur, ſicque ſubſtantiã per finem cui, & finem cui per ſubſtantiam vitioſo circulo explicabunt.

1860 Melius proinde cum Arriaga dicimus ſubſtantiam, ut contradiſtinctam ab accidente eſſe id, vel quod habet eſſe completum realiter diſtinctum ab omni pura collectione rerum, partiumquè realiter diſtinctarum, vel id, quod ejuſmodi eſſe conſtituit, ſeu componit: quem realem eſſe ſubſtantiæ entiſquè ſubſtantialis conceptum patet, tum quia quod attinet ad ſubſtantias ſimplices, & incorporeas eſſentia divina, & Angelica quæ ſola in Deo, & Angelo ſubſtantia eſt, ſortitur eſſe completum ab omni aggregatione partium diſtinctum; eò, quòd Deus & Angelus omnis compoſitionis ſive eſſentialis, ſive integralis ſint expertes: tum etiam, quod ſpectat ad ſubſtantias materiales, & compoſitas, totum ipſarum eſſe completũ diſtinctum eſt ſimpliciter ab ipſa pura partium collectione, ſiquidem præter partium præciſam ſimultatem importat etiam ſubſtantialem unionem, & ſubſiſtentiam, per quas, ut per rationes formales ut quo in ſuo eſſe unum completum per ſe conſtituitur, ut in Phyſica explicuimus, ubi oſtendimus materiam, formam, Unionem, & ſubſiſtentiam eſſe ſubſtantiales eſſentiales partes totius ſubſtantialis; & conſequenter ſubſtantias: tum demum, quia, ſicut, ut mox dicemus, ens per accidẽs illud eſt, quod in pura rerum realiter diſtinctarum collectione conſiſtit, ita ens per ſe ab ente per accidens diſtinctum, eique oppoſitum, rectè dicimus eſſe id, quod in tali pura collectione rerum formaliter non conſiſtit.

1861 Neque obeſt, quòd in Phyſica dixerimus totũ per ſe realiter non diſtingui à ſuis partibus: nam & idipſum hic aſſerimus, ſiquidẽ aliud eſt pura partium etiam omnium collectio, aliud partes ſimul ſumptæ, & intrinſecè unitæ: ab his ut unitis verum eſt nullatenus diſtingui ſubſtantiale totum: ab illis verò ſimul tantùm, & merè collectivè acceptis falſum eſt, quòd totum non diſtinguatur, cùm præter illas importet intrinſecè unionem in eſſe ſubſtantialis compoſiti, & ſubſtantialem ſubſiſtentiam in eſſe ſuppoſiti prout loco prius citato explicuimus.

1862 Sic conſtituto entis ſubſtantialis eſſentiali conceptu, quo realiter ab ente accidẽtali diſcriminatur, aſſerimus communi Peripateticorum authoritate nixi proprietates illum conſequentes eſſe imprimis: non eſſe in alio tanquam in rigoroſo ſubjecto inhæſionis: deinde prædicari poſſe de pluribus ſubſtantijs primò, & per ſe univocè: tertiò ſignificare hoc aliquid, id eſt, quod vox illa, quæ imponitur ad ſignificandam ſubſtantiam præſertim primam ita determinatè unum ſignificet, ut non poſſit applicari pluribus. Inſuper non habere contrarium. Præterea non ſuſcipere magis, & minus: & demum eſſe ſuſceptivum contrariorum. Quæ proprietates, quamvis ſi ad exactiorem revocarentur trutinam vix una, alterave ſubſiſteret, cum communi tamen poſt Ariſtotelem placito nobis probantur, eò quòd

non

non videatur ratio aliqua urgens, vi cujus ab ea recedere compellamur: illa namquè à nobis suprà insinuata de formis materialibus æquè inhærentibus materiæ, ac ipsa accidentia quæquè multis videtur difficilis, negotium non facessit posito suprà conceptui substantiæ, siquidem illæ, & sunt entia propria per se, & solum requirentes quoad modum, subjectum non primariò, & propriè inhæsionis, sed informationis: & sint id, quod esse substantiale ab omni pura collectione partium distinctum componunt. Quæ magis adhuc ut eluceant (cum jam in Physica de subsistentia quatenus termino substantiæ realiter modaliter distincto sufficienter egerimus) examinabimus in præsentiarum enti substantiali suo modo oppositum.

Metaphysicè sumptum ens accidentale.

1863 Accidentis, accidentalisvé entis nomine illud hoc loco comuniter intelligitur, quod reipsa est extra conceptum alicujus essentiæ, seu, ut in logica diximus id, quod potest adesse, vel abesse absque subjecti corruptione, sive jam propriè accidens sit, sive etiam quid, ut sæpissime evenit, substantiale. Verùm de accidente in hac acceptione sumpto cùm passim per decursum Philosophiæ egerimus, hic ex professo non agemus, sed presse magis de accidente, quod substantiæ, entiquè substantiali opponitur, tractabimus, ut quemadmodum hoc est ens per se existens, ita illud econtra sit tale ens, quod de se non existat, nisi in alio inhæsivè: Unde etiam differentia præcisa contrahens ens positivum ut sic ad esse entis accidentalis inaleitas dicitur; quam positivũ quid esse ijsdem rationibus probatur, quas suprà pro positiva perfeitate attulimus.

1864 Dari autem accidentia, præterquã quòd sit Sacrosanctæ fidei nostræ dogma declaratum à SS. PP. & Concilijs, patet, tum ex actibus nostris vitalibus, qui non sunt nostra substantia, tum experientia evidentissima, quà constat ferrum v.g. ex frigido fieri calidum, aërem, ex tenebroso lucidum, aliaquè hujusmodi innumera, quæ salvari, aut explicari nullatenus possunt absque accidentibus à rerum substantijs realissimè distinctis.

1865 Nec obest quorundam opinio, quâ existimant calorem v.g. in aëre esse agitationem quorũdam spirituum, seu particularum igneārum, quas solares radij diversimodè agitant, varijsquè modis in varias partes impellunt. Nam præter ea, quæ contra corpuscula diximus in Physica contra dictam opinionem est, quòd ex ea sequatur vel motum esse causam caloris, vel esse calorem formaliter: Primum dici non posse patet ex dictis de motu in Physica, ubi ostendimus eum esse solùm vel conditionem requisitam ad hoc ut agens aliquod calefaciat, vel in quibusdam casibus modum quo agens calefacit: Secundum etiam non subsistere constat tum quia hoc ipso quòd dicant motum esse calorem formaliter, admittunt ea, quæ negant accidentia; cùm enim motus non sit rei ipsius substantia, utpote, quæ absque motu integrè perseverat, necessariò sequitur eum esse accidens: tum, quia si calor haberetur formaliter per motum quando ferrum maximè calefit, ejus particulæ maximè agitarentur, & ferrum discontinuaretur etiam ad sensum, cùm non esset ratio, cur motus omnium particularum videri, & sentiri nequiret. Sed ne in re, & sensu, & ratione certissima diutius immoremur.

1866 Dicimus accidens in data acceptione rectè definiri esse ens aptum natum esse in alio tanquam in subjecto inhæsionis, non ut pars: hâc namqué descriptiva definitione sufficienter, & absque superfluitate verborum explicatur natura entis accidentalis prout substantiali oppositi, à quo fundamentaliter & distinguitur per suam hujusmodi inaleitatem, & simul à formis materialibus, quæ estò recipiantur, & sint in subjecto, sunt tamen partes totius substantialis per se, ut patet ex dictis.

1867 Diximus autem aptum inhærere tum quia ex Mysterio Eucharistico constat accidentia absoluta, de quibus hic agimus, posse esse absque actuali subjecto inhæsionis: tum quia nulla videtur assignabilis ratio, ex qua colligi possit tantam esse connexionem, & dependentiam accidentium à substantijs, ut nequeaut saltem divinitùs absquè illis conservari; unde estò non habuissemus notitiam præfati Mysterij, adhuc defendi posset talis separabilitas ex illo negativo Philosophico principio: Quidquid manifestam non involuit contradictionem, potest divinâ virtute fieri: Quare quando Aristoteles definivit accidens esse entis ens, vel intelligendus est locutus fuisse in sensu aptitudinali juxta dicta; vel ut doctissimi Recentiores tenent, neganda est ipsius sententia, & corrigendus error tam ex mysterio fidei, quàm etiam ex jam posito negativo principio.

1868 An autem actualis accidentis inhærentia sit modus aliquis unionis contradistinctus realiter modaliter ab actione ponente accidens in subjecto; pars negativa nobis videtur probabilior, eò quòd forma accidentalis hoc ipso, quòd in subjecto ponatur eidem per entitatem suam uniatur immediatè, non secùs, quàm proportione debitè servatâ uniatur extremis unio substantialis, cùm ex intrinsecis suis principijs determinatum sit ad inhærendum, quod nequit non assequi positâ actione sui positivâ in suo subjecto inhæsionis.

Quod

1869 Quod ſi quis quærat, quid hoc ſit eſſe in ſubjecto inhæſionis? Reſpondemus, quòd ſit eſſe in alio, cum quo non faciat unum per ſe, ſed per accidens, uti patet inde quòd omnis forma, quæ defacto admittitur eſſe accidentalis ſit in alio ita, ut cum eo faciat unum per accidens prout univerſaliſſimâ conſtat inductione. Indicium porrò, quo diſcernere poſſumus, quænam forma ſit ita in alio, ut faciat cum ipſo unum per accidens, illud videtur cer-1872 tiſſimum, quando deprehendimus formam talem in ſubjecto, ratione cujus toti conflato ex ipſa & ſubjecto non conveniunt determinatè qualitates deſervientes ad conſervationem talis formæ in ſubjecto illo; cujus indicij certitudo eluceſcit inde, quòd defacto omnis forma, quæ ſubſtantialis eſſe conceditur, ſit principium talium qualitatum, & accidentium, per quorum notitiam in hoc rerum ſtatu devenimus in formarum cognitionem, & ex illorum diverſitate colligimus iſtarum diverſitatem, prout in præcedentibus non uno in loco oſtendimus, & ſpecialiter ubi de accidentium diviſione in novem prædicamenta, deq; noſtro aſſequendi ſcientias modo in hac vita egimus.

Metaphyſicè ens poſitivum quà relativum ut ſic.

1870 TAmetſi ſuprà ens quatenus metaphyſicè objectum diviſerimus etiam in abſolutum, & reſpectivum, attamen, quia in præcedentibus, & præſertim in Phyſica de ente abſoluto creato, quantum ad ejus notitiam habendam ſufficiebat tractavimus, hinc ne eandem crambem rurſus hic recoquamus, illo prætermiſſo, de quo adhuc infrà aliqua dicemus; ſicut & ob eandem rationem prætermimus de ente materiali, & ſpirituali, quin etiam de modali ſpecialiter hoc loco diſſerere, devenimus ad conſiderandum ipſum ens relativum, ex cujus notitia plurimæ tam Philoſo-1873 phicæ quàm Theologicæ quæſtiones dependent.

1871 Porrò ſicut nomine entis abſoluti intelligimus id, quod eſt carens connexione, dependentia, & vinculo ſeu ſimpliciter, cujuſmodi ens eſt ſolus DEVS, ſeu ſecundum quid, qualia ſunt reliqua omnia creata entia, tam in eſſe reali, quàm intentionali ſpectatum cum alijs à ſe vel realiter, vel intentionaliter diſtinctis entibus; ita entis reſpectivi nomine illud venit, quod vel in eſſe, vel in cognoſci cum alio connexum eſt, & quaſi ligatum, ac prout explicat Ariſtoteles, eſt ens tale, cui hoc ipſum eſt eſſe, quodammodo ad aliud ſe habere: hoc eſt tale eſt, cujus totum eſſe, quod habet ſeu 1874 realiter, ſeu intentionaliter eſt pertinere ad aliud, ſpectare aliud, cum alio connecti, quod nanciſcitur mediante quodam vinculo ſeu nexu, qui relatio nuncupatur, quem præcisè ſumptum rectè cum communi Peripateticorum dicimus eſſe habitudinem, reſpectum, ſeu coordinationem, quâ unum reſpicit, ſeu refertur ad aliud, cujus ſenſus eſt, quòd relatio quà talis nullum alium formalem effectum ſubjecto ſuo tribuat, quàm ut faciat illud ſe habere ad aliud.

1872 Hos verò reſpectus ſeu habitudines dari in naturalibus entibus nemine cogitante, patet, tum quia ille quia eſt Pater peculiari quodã modo connectitur cum eo, qui eſt filius, quo nexu non connectitur cum alijs hominibus: & potentia viſiva (quod idem de alijs potentijs dictum volumus) ſpeciali ratione connectitur cum ſuo objecto, quâ ratione non connectitur cum rebus alijs, & quidem hoc nemine cogitante: tum quia experientiâ conſtat quædam entia à nobis cognoſci non poſſe, niſi cum ipſis aliquod aliud ens cognoſcatur: ſic ſcientia cognoſci nequit abſque objecto, Pater abſque filio, actus abſque principio, &c. cùm tamen alia entia cognoſci queant ſola, ut lapis, arbor, equus, Petrus, &c. adeoqué id ratione cujus unum exigit ſolum non cognoſci, ſed ſimul ſemper cum alio, & per cognitionem tantùm comparativam, neceſſariò fatendum eſt eſſe ens relativum: ſicut enim conceptui abſoluto neceſſe eſt, ut correſpondeat objectum abſolutum; ita conceptui comparativo correſpondere debet objectum illi proportionatum, ejuſdemqué ſpecificativum, cujuſmodi neceſſariò eſt realiter, & ſecundum ſe relativum: tum demum, quia ex eo quòd in DEO præter conceptus abſolutos dentur etiã conceptus comparativi colligunt, communiter Theologi dari in DEO veras relationes reales trium Perſonarum, ſic etiam cùm ſimiles conceptus reperiantur in creatis, & aliunde relationes reales in ipſis non repugnent, has dari nemine cogitante negari non poteſt.

1873 Nec obeſt, vel 1. quòd Paternitas, quæ in DEO eſt, ſubſtantialis ſit, & Perſonæ Patris conſtitutiva, in creatis verò ſit merum accines: nam etiam ſcientia, juſtitia, & cætera, quæ in DEO ſunt ſubſtantialia ſunt, licèt in nobis tantùm ſint accidentia, & tamen propterea in nobis non negantur: imò ſi ex eo, quòd in DEO detur ſcientia quæ realiter ſubſtantia eſt, benè colligitur dari etiam in creatis ſcientiam, quæ accidens ſit; cur ex eo, quòd in DEO dentur ſubſtantiales relationes Patris & Filij, bene non colligatur dari etiam in creatis relationes aliquas accidentales, cùm illæ ſufficienter probent conceptum relationum etiam in creaturis non eſſe chymericum?

1874 Vel ſecundò ipſa tenuitas, & exilitas hujuſmodi relativi entis: nam quæ ſufficienter per duplex additamentum fundamenti ſcilicet

licet & termini, à quibus in essendo constituitur, potest cognosci: adeoqué exilitas, seu entitatis, seu cognoscibilitatis objectivæ ejusdem nihil juvat eos, qui relationes negant, cùm ij ipsi admittant & entitates modales, & alia diminuta entia, qualia sunt proportionales partes vix ab humano intellectu sufficienter perceptibilia.

1875 Vel tertiò, quòd quæ insunt à natura mutari nequeant, cùm tamen contrarium accideret si in creatis relationes reales darentur. Nam verum est antecedens de ijs tantum, quæ essentialiter, non autem accidentaliter à natura insunt; experientia siquidem manifestum est, quòd aër naturâ suâ calidus frigefiat, & aqua naturâ suâ frigida calefiat, quæ experientia non subsisteret subsistēte universim fundamento adversariorum.

1876 Vel quartò, quòd ex admissis realibus relationibus sequatur in natura præsertim creata nulla dari entia absoluta: sequela namque vera est simpliciter, & absolutè loquendo falsa, tamē, si loquamur de esse absoluto, secundum quid; creata enim omnia, dum dicuntur absoluta intelligenda sunt talia esse à quolibet particulari respectu disjunctivè accepto, non autem ab omni collectivè sumpto, non secùs, quàm dum dicimus hominem cælibem absolutum esse à relatione Paternitatis, tametsi ab alijs relationibus absolutus non sit.

1877 Vel demum quintò, quòd res absolutè absque ullo superaddito per solas suas absolutas entitates intelligi possint similes, dissimiles, &c. ablato enim sive per possibile, sive per impossibile quocunque reali respectu adhuc tamen duo v. g. parietes albi erunt, & intelligentur esse similes: frustra proinde asseruntur tales relationes, & respectus reales in natura. Contra siquidem est, tum quia res absolutæ, similes inter se esse nequeunt, nisi conveniant in qualitate: tum quia argumentum illatum procedit in suppositio seipsum destruente; in suppositione enim tollit omnem respectum, & tamen adhuc aliquem ponit, hoc ipso, quòd ponat duo alba, quæ formaliter, & essentialiter præsuppositâ sui positione, velut ratione fundandi, constituunt convenientiam in qualitate, quæ est formaliter relatio similitudinis, ut statim magis patebit.

1878 Sic comprobata relationum existentia, dividi illæ solent communissima divisione (ut omittamus loqui de relationibus subsistentibus, quales sunt divinæ) in relationes reales, & rationis, seu merè secundum dici: illæ sunt, quæ extrema realiter distincta comparant, & referunt, quæque sunt in rebus, ut diximus circumscripta omni operatione intellectûs: rationis verò seu secundum dici (nam ne faciamus quæstionem de nomine utramque pro eadem sumimus) sunt illæ relationes, quæ extrema realiter indistincta nectunt, quæque reipsa cum non sint in aliquo, concipiuntur tamen, & explicantur per modum respectûs, & habitudinis; sic prout exemplificat D. Thomas. 1. par. q. 13. Idem dicitur eidem idem, non ex eo, quòd detur vera aliqua relatio ejusdem ad seipsum sed secundum quod intellectus apprehendit bis aliquid unum, statuens illud ut duo, sicque apprehendit quandam habitudinem ipsius ad seipsum, quæ habitudo relatio est rationis, seu secundum dici: sic ille. In quo respectu membri hujus relationem ut sic dividentis nulla est difficultas: realem verò rursus subdividit Authoritas communis post Aristotelem, imò & ratio in transcendentalem & prædicamentalem, quæ duo summa genera relationum realium, ut nobis magis pateant, considerabimus imprimis.

Metaphysicè acceptum ens positivum ut respectivum transcendentaliter.

1879 TRanscendentalis respectus, seu relatio inde suum est sortita nomen, quòd ita omnia transcendat entia creata, ut nullum sit seu positivum, seu possibile, imò seu negativum, seu impossibile, quod habitudinem connexionem, & dependentiam essentialem non habeat, aut ab alio ente creato, aut saltem ab increato; adeoquè ad illud transcendentalem relationem: per quam ut meras de nomine quæstiones vitemus, talem intelligimus nexum inter duo, ut vi illius deficiente, vel implicante eo, quod respicitur, essentialiter etiam deficiat, & implicet id, quod ad illum talem habet respectum.

1880 Hunc reperiri imprimis in compluribus creatis entibus respectu aliorum patet tum ex actibus vitalibus, qui ut diximus in Physico-ethica ita essentialiter dependent à suis principijs, ut his deficientibus & illos deficere in ratione vitali essentialiter sit necesse: tum in modalibus entitatibus, quæ ita respiciunt illa, quorum sunt ultimæ essentiales determinationes, ut implicet eas esse & conservari in natura rerum absque ijs, quæ essentialiter ultimò determinant prout ostendimus in Physica. Insuper Angeli, rationales animæ, prima materia, cæteraquè entia quorū in Physico-mathematica mentionem fecimus, ita in primo sui esse, & produci immediatè à prima sola causa dependent, ut repugnet illa vel primò esse, vel deinde conservari ab ullo alio agente. Demum ut universa verbo complectamur creaturæ omnes, quin omne, quod quomodolibet participat rationem entis tanquam à primo suo principio & origine ita à DEO dependent, ita cum illo transcendentaliter connectuntur, ut DEO per impossibile deficiente deficerent ipsa realiter & physicè, illudquè quale quale habent esse amitterent, non secùs, quàm cessante mo-

tu cæleſtium corporum ut docet Ariſtoteles 3. de Cælo ceſſaret hoc ipſo realiter omnis motus ſublunarium; Sicut enim illorum motus principium eſt motûs iſtorum; ita & multò magis principium omnis eſſe finiti, cujuſmodi eſt quidquid extra DEUM eſt, eſt ipſum eſſe Divinum, à quo eſſentialiter eſt quidquid quomodolibet eſt, & conſequenter ad ipſum tranſcendentaliter relatum, & ab ipſo eſſentialiter dependens.

1881 Quod ulterius ſic oſtenditur, nam prima differentia, per quam quodlibet eſſe, quod eſſe divinum non eſt identificatur realiter, & omnimodè cum quolibet eſſe quod non eſt eſſe divinum; Hæc autem differentia prima eſt eſſe ab alio, cùm eſſe entis divini eſſentialiter ſit eſſe à ſe, adeoquè cùm cuilibet eſſe non divino identificetur eſſe ab alio, neceſſe eſt, ut ipſum ſit ſeipſo eſſentialiter ab alio, & per conſequēs eſſentialiter connexum, ac relatum tranſcendentaliter ad DEUM, à quo ſolo primo eſt.

1882 In quo non videtur eſſe poſſe difficultas; niſi fortè in eo, quòd non videatur quo pacto chymæræ impoſſibilitas tranſcendentalem dicat ad DEUM relationem; ſi enim per impoſſibile DEUS deficeret, deberet etiam deficere juxta dicta ipſa chymæræ impoſſibilitas; deficiente autem hac impoſſibilitate intrinſecâ chymæræ illa noneſſet impoſſibilis ſed poſſibilis, quia non involveret contradictionem: ſicut econtra poſſibilitas rerum deficiente DEO impoſſibilis eſſet, adeoquè per defectum DEI poſſibilia eſſent impoſſibilia, & econtra, ac per conſequens poſſibilitas & impoſſibilitas non videntur poſſe ab eſſe ipſo Divino dependere, & cum eo eſſe tranſcendentaliter connexa.

1883 Verùm hæc ipſa difficultes noſtram elucidat aſſertionem, tum quia ſi per mutationem eſſe Divini iſta mutarentur, quis non advertit hoc ipſo illa ab eſſe divino in ſuo eſſe eſſentialiter dependere? tum quia deficiente DEO, quidquid extra DEUM haberet, quomodolibet rationem entis, illam amitterent, redirentquè in ſuum ſimpliciter non eſſe, hoc eſt nihil omnino conceptibile reperiretur in ſtatu ullo vel poſitivo vel negativo, vel poſſibili, vel impoſſibili: non ſecùs, quàm ſi mixta omnia in elementa reſolverentur, & elementa redirent in antiquum chaos, nullum elementum, mixtumquè nullum in eſſe elementi, vel mixti reperiretur. Sed, quia de his rurſus infrà dicemus aliqua, interea.

1884 Cùm ex dictis oſtenſum maneat ſpeciatim dari relationes tranſcendentales, in quonam hæ conſiſtant, & per quid eſſentialiter conſtituantur, ut definiamus, dicimus, quod quamvis tranſcendentalium relationum plurimæ exiſtere nequeant, niſi actu exiſtente termino, nulla tamen tranſcendentalis relatio conſtituatur intrinſecè vel per exiſtentiam termini, vel per terminum ipſum; ſed conſiſtat quælibet formaliter, & eſſentialiter in ſolo fundamento connotante extrinſecè terminum: tum quia juxta tritum illud: non ſunt multiplicanda entia abſque neceſſitate: cùm autem tranſcendentalis relatio talis ſit, ut ſi intelligatur fundamentum, intelligatur tota eſſentia ejuſdem, uti patet ex eo, quòd viſio v. g. ſeipsâ eſſentialiter ſit nexus ſui, & relatio ſeu tendentia in objectum: unio ſeipsâ ſit ſui unio, per conſequens verum evadit tranſcendentalem relationem in ſola fundamenti entitate connotante extrinſecum terminum conſiſtere: tum quia, ſi terminus eſſet de intrinſeco conſtitutivo trãſcendentalis relationis creatura v. g. eſſet intrinſecè, & eſſentialiter DEUS, illud enim eſt eſſentialiter creatura, per quod illa intrinſecè conſtituitur, ſi igitur intrinſecè conſtitueretur in eſſe tranſcendentaliter reſpectivo per terminum, intrinſecè, & eſſentialiter conſtitueretur per DEUM ipſum ſaltem inadæquatè, ſicquè evaderet formaliſſimè ens chymæricum.

1885 Neque obeſt vel primò, quòd entitas fundamenti non ſemper in conceptu ſuo formali involvat relationem; ſufficit enim, quòd eſſe non poſſit realiter, quin ſit eſſentialiter relativa. Vel ſecundò, quòd relatio prædicamentalis conſtituatur per terminum intrinſecè, ſiquidem poſito termino, ut mox dicemus illa per locum intrinſecum habetur, cur ergo idẽ de conſtitutione relationis tranſcendentalis non aſſerimus? Reſpondemus ideo, quia tranſcendentalis relatio realiter loquendo non eſt quid conſequens ad fundamentum, cùm illa ſit prima ratio conſtitutiva rei reſpicientis intrinſecè terminum, cùm non ſit poſſibile, ut talis res in ſenſu reali abſoluta ſit ab hoc reſpectu; Quare principium illud, quo poſito res ponitur, &c. niſi illi addatur, ut communiter nunc additur per locum intrinſecum, & formaliter contra tranſcendentalem relationem nihil urget.

1886 Neque obeſt ulterius, quòd omnis relatio per locum intrinſecum ſit ad aliud, adeoq; ſive illud aliud ſit intrinſecum, ſive extrinſecum relationi, ablato illo alio tolletur per locum intrinſecum relatio, hoc namquẽ illatum falſum eſt, cùm aliud ſit dicere relationem per locum intrinſecum, hoc eſt per ſua prædicata eſſentialia ordinari ad aliud extra ſe: aliud extrinſecum illud eſſe de eſſentia illius, à quo reſpicitur, quamvis enim hoc ſublato tollatur & illud, hæc tamen ablatio non ſequitur per locum inrrinſecum, & formaliter, ſed ſolùm extrinſecè, & conſecutivè, uti ſæpius alibi diximus.

1887 Nec demum obeſt, quòd intelligi, & explicari nequeat reſpectus tranſcendentalis niſi per ordinem ad terminum, ex hoc enim, uti ſuprà in ſimili oſtẽdimus, nõſequitur terminũ intrin-

intrinsecum esse relationi transcendentali: sicut namqué ex eo, quòd actum, seu formam intelligere, & explicare non possimus absque subjecto, cujus est actus; non bene infertur subjectum esse de essentia actûs, ita pari ratione non sequetur terminum esse de intrinseco constitutivo transcendentalis relationis, tametsi hanc intelligere, & explicare non possimus absque termino.

1888 Ex quibus patet imprimis discrimen inter ea, quæ dicunt relationem transcendentalem, & inter ea, quæ prædicamentaliter referuntur, in eo consistere, quòd illud, quod habet prædicatum relativum sibi essentiale, sibi adæquatè intrinsecum, habeat relationem transcendentalem, quod verò habet prædicatum relativum sibi accidentale, sibi non adæquatè intrinsecum, relationem importat prædicamentalem: hoc ipso enim, quòd entitas aliqua per prædicata sua essentialia essentialiter, & adæquatè connectatur cum alia, jam habetur tota intrinseca ratio transcendentalis relationis, ut diximus: & hoc ipso, quòd sic non connectatur, sed connexio partim desumatur ab entitate fundaméti, partim ab entitate termini, & ratione fundandi, habetur tota ratio relationis prædicamentalis, ut jam dicemus.

1889 Patet deinde etiam ex dictis, quomodo definiri possit per essentialia prædicata transcendentalis relatio, dicendo nimirum illam esse prædicatum, quod nec concipi, nec esse potest, nisi ordinatum ad aliud, hoc est essentiale, & adæqnatè intrinsecum suo fundamento sive illi, quod denominatur habere tale prædicatum.

Metaphysicè acceptum ens positivum, ut respectivum accidentaliter seu prædicamentaliter.

1890 EX modo disputatis fit manifestum, quòd sicut per esse respectivum transcendentale intelligimus tale prædicatum rebus intrinsecum, vi cujus illæ nec esse, nec concipi valent absque eo, quòd ordinatæ sint ad aliud, sic per esse respectivum accidentale, seu prædicamentale intelligimus talia prædicata, vi quorum res nec esse, nec concipi possunt, nisi ordinatæ ad aliud accidentaliter, seu prædicamentaliter, ex eo, quòd illa sint fundamento suo accidentalia; sic dum Alexander emit, & domat Bucephalum, datur verum, & reale fundamentũ ratione cujus in Alexãdro sit hoc prædicatum, quod est esse Dominum, domitoremqué Bucephali, quod prædicatum nec concipi, nec esse potest, nisi ordinatum ad Bucephalum, estqué accidentale Alexandro, qui denominatur Dominus, ac Domitor: a-*1894* deoqué cùm talia prædicata sint accidentaliter, seu prædicamentaliter relativa, rectè sequitur dari in Alexandro relationes Domini, & Domitoris respectu Bucephali, quæ relationes non dantur in alio respectu ejusdé. Quod ipsum dicendum de prædicato genitoris coexistentis, similis, alijsqué hujusmodi, quæ cùm sint accidentalia illi entitati, quæ dicitur genitor, coexistens, similis, &c. erunt etiam relativa prædicamentaliter.

1891 Ex quo necessariò sequitur quamlibet creatam entitatem in universo existentem habere aliquam relationem prædicamentalem non transcendentalem, ut multi falsò opinantur, cum alia quavis entitate creata existente: Si enim existente pariete albo Græcij in Styria ponatur Meaci in Japonia alter paries albus, hic erit Græcensi vel similis vel dissimilis, vel major, vel æqualis, &c. quæ omnia sunt prædicata relativa accidentalia Græcensi parieti, qui denominatur actu similis vel dissimilis, major, vel æqualis, &c. Quibus positis pro notione quasi nominis relationis prædicamentalis quoad rem.

1892 Dicimus illam intrinsecè, & essentialiter constitui per fundamentum, terminum & rationem fundandi, ita ut hæc fundandi ratio partim sit fundamento intrinseca, partim intrinseca termino: sicut enim transcendentalis relatio formaliter constituitur per id quod præbet nobis completum fundamentum ut concipiamus aliquid essentialiter ordinatum ad aliud; sic prædicamentalis relatio constituetur formaliter, & intrinsecè in suo esse per illa, quæ exhibent completum nobis fundamentum intelligendi aliquid accidentaliter esse ad aliud ordinatum; cùm enim relatio sit fundamentum totale talis intellectualis comparationis, quâ unum cum altero comparamus, hinc illa præcisè erunt formalia & essentialia constitutiva prædicamentalis relationis, quæ sunt fundamentum completum, & objectivus realis conceptus correspondens formali comparationi, & exigens terminans, ac specificans talem nostrum comparativum formalem conceptum, neque erit, cur aliud quidquam pro formali reali constitutivo relationis prædicamentalis requiratur.

1893 Quare Petrus v.g. erit genitor Pauli non per solam suam entitatem, cùm nihil sibi accidentale esse possit, sed per aliquid aliud ipsi entitati Petri superadditum, & extrinsecum, quod aliud non est, nec esse potest quàm entitas termini, seu Pauli geniti, & generatio quâ Petrus generat Paulum, positis namq́; his tribus, & præcisis quibuscunque alijs habetur intrinsecè, & essentialiter prædicamentalis relatio, hisqué non positis formaliter & per locum intrinsecum illa non habetur.

1894 Quòd si quis dicat, per hæc tria haberi prædicatum relativum solum fundamentaliter, contra est, quia frustra id dicitur, cùm impossibi-

poſſibile ſit poni duo v. g. alba in rerum natura, & non poni inter illa ſimilitudinem, non ſecus, quàm impoſſibile ſit poni duo entia in natura, quin hoc ipſo conſurgat binarium entium exiſtentium, ut conſtat.

1895 Si ulterius inſtetur, quòd ſæpe detur vera relatio, etiamſi non exiſtant omnia tria à nobis aſſignata conſtitutiva relationis, prout contingit in relatione Paternitatis, quæ perſeverat tametſi præterierit generatio: Reſponderi poteſt vel dicendo dari aliquas denominationes ab aliquo, quod totum eſt de præſenti; aliquas verò partim ab aliquo de præſenti, partim ab aliquo de præterito, cujuſmodi ſunt denominationes aquæ benedictæ, Domûs antiquæ &c.

1896 Vel, & melius longè, dici poteſt verum eſſe nunquam dari veram relationem prædicamentalem actu niſi actu dentur omnia intrinſeca conſtitutiva ejuſdem; adeoqué inter Patrem & filium datur quidem relatio Paternitatis, etiamſi generatio præterierit, ſed alia, & diverſa ab illa per quam actu Petrus generat Paulum, nimirum relatio Paternitatis, per quam Petrus generavit Paulum; Sicut enim diverſa ſunt realiter prædicata generare, & genuiſſe, ita & relationes, quæ per hæc diverſa prædicata conſtituuntur, erunt realiter diverſæ: ſiquidem Paternitatis relatio, per quam Petrus actu Paulum generat, conſtituitur per entitatem Petri & Pauli, & per actualem generationem: relatio verò Paternitatis, per quam Petrus genuit Paulum, conſtituitur per entitatem Petri Pauli, & per conſervationem Pauli poſitam, & exiſtentem ad exigentiam generationis habitæ à Petro.

1897 Quam diſtinctionem relationum Paternitatis de præſenti, & præterito neceſſariam eſſe, nobis ſuadet communis ſententia, quæ ad realem relationem prædicamentalem neceſſariò requirit terminum exiſtentem: Cùm enim per nos debeant omnia actu exiſtere, quæ complent objectivum conceptum relationis prædicamentalis, neceſſariò adſtruendum eſt, non ſecùs quàm de actuali exiſtentia termini adſtruimus actualem exiſtentiam rationis fundandi ad hoc ut actu relatio prædicamentalis exiſtat.

1898 Porrò, quòd terminus ſit unum ex intrinſecè conſtitutivis prædicamentalis relationis patet inde, quòd nulla ſit aſſignabilis prædicamentalis relatio, ut ſufficienti inductione conſtat, in qua terminus non compleat prædicatum accidentaliter relativum. Nec obeſt, quòd cognoſcens chymæram, vel volens ſcientiam propter honorem ſint prædicata relativa accidentalia, & tamen non videatur in his relationibus prædicamentalibus aſſignabilis terminus exiſtens, cùm chymæra, & honor non exiſtant: nam in his & ſimilibus diſtinguimus duplicem terminum, proximum unum, remotum alterum, ſeu terminum termini: habens igitur cognitionem de chymæra prædicamentaliter refertur ad talem cognitionem, quam habet, & quæ eſt terminus proximus talis relationis: ſimiliter eſt relativus prædicamentaliter ad volitionem ſcientiæ propter honorem, quæ volitio eſt terminus exiſtens, chymæra verò, & honor ſunt terminus remotus, ſive terminus termini, aut ut clarius dicamus, ſunt termini relationis tranſcendentalis, quam habet cognitio ad chymæram, & volitio ad honorem, quæ relatio, ut ex dictis liquet, non requirit actualem terminum.

1899 Ex quibus conſtat, quomodo Paulus genitus habens nunc conſervationem poſitam intuitu generationis habitæ à Petro, habeat de præſenti omnia conſtitutiva relationis prædicamentalis, cùm ut diximus, licèt non exiſtat nunc generatio, hæc tamen ſit ratio fundandi remota, cùm ratio fundandi proxima ſit talis conſervatio, quæ ad generationem præteritam refertur tranſcendentaliter: unde ſequitur, quòd ſi Paulus filius moriatur, & deinde miraculosè revocetur in vitam, ex eo, quòd præextiterit, & antea fuerit modo connaturali genitus æquè habiturus ſit relationem prædicamentalem ad Petrum Parentem, quàm prius, quia nimirum ipſius actio conſervativa eſt intuitu generationis habitæ à Petro: unde etiam patet Chriſtum Dominum etiam poſt Reſurrectionem eſſe verè filium intemeratæ Virginis, cùm ejus humanitas fuerit vivificata ex meritis paſſionis, ideoqué intuitu, quòd præextiterit, nec niſi per conſervationem habitam intuitu generationis poſitæ à Virgine Sacratiſſima. Atque hinc univerſim.

1900 Patet primò relationem prædicamentalem conſiſtere non poſſe adæquatè in ſolo fundamento, prout nobis manifeſtat ipſe eſſentialis conceptus hujus relationis; tum quia ea eſt eſſentialiter coordinatio, & habitudo accidentalis unius ad aliud, quam haberi implicat realiter, niſi ſint duo, cùm unus nequeat ad ſeipſum referri, & coordinari realiter: tum quia relatio prædicamentalis diſtinguitur à relatione tranſcendentali ex eo, quòd illa accidentalis ſit fundamento, tranſcendentalis verò eidem eſſentialis, & propterea hæc adæquatè identificatur fundamento, quod dici non poſſe de prædicamentali conſtat inde quia nullum accidens identificari poteſt entitati ſubſtantiali: quare cùm entitas Petri contingenter ſit generans filium, ideo etiam eidem contingens eſt eſſe genitorem, cùm tamen contingens non ſit Petro, quòd habeat talem entitatem: adeoqué habere talem entitatem, & habere paternitatem idem nequeunt eſſe realiter, præſertim cùm pereunte Paulo filio

pereat

pereat relatio paternitatis in Petro, non pereunte ullatenus entitate Petri.

1901 Neve quis dicat ad hoc ut sit relatio formaliter requiri terminum existentem tanquam aliquid, quo ablato, vel posito tollitur, vel ponitur relatio non quoad entitatem suam intrinsecam, sed solùm quoad denominationem extrinsecam : sed hoc dici non posse constat inde, quia perire relationem, non est eam solùm perire quoad nomen, alioquin mortuo filio reipsa maneret tota relatio Paternitatis in Petro quam prius habebat, quod falsum est, siquidem ideo Petrus non potest amplius mortuo filio dici Pater, quia perijt fundamentum, seu conceptus objectivus tale nomen fundans, eique correspondens, adeoquè clarè liquet solam entitatem Petri non esse adæquatè id, cui debetur denominatio Patris; nisi velimus dicere quòd quandocunque est entitas Petri, sit in illa intrinsecè, & realiter quoad rem ipsam, estò non quoad denominationem, prædicamentalis relatio paternitatis.

1902 Neve alius instet causam efficientem manere eãdem intrinsecè, tametsi propter solam variationem alicujus extrinsecæ conditionis non possit agere; adeoque cur proportione servatâ idem dicere nequeamus de relatione? Respondemus ideo, quia causa efficiens potest ab extrinseco impediri, ne producat effectum & propterea requirit conditiones quasdam extrinsecas vi quarum in sua effectivitate non impediatur; at verò objectiva denominatio cùm idem realiter sit cum forma denominante, si adsit forma adæquata non potest non esse denominatio vera & realis; siquidem fieri nequit, ut existat res aliqua, quin verè existat dum ipsa est intrinsecè, per positionem, vel ablationem extrinseci : sic si calor est unitus subjecto, fieri nequit ut non sequatur denominatio realis calidi; quare si Paternitas idem esset realiter cum entitate Petri, tum talis entitas existeret, non posset non esse Petrus Pater.

1903 Patet deinde ex dictis relationem prædicamentalem non esse modum aliquem relativum realiter distinctum ab entitate fundamẽti, termini & ratione fundandi, seu quòd idem est his tribus realiter superadditum, cujus dicti certitudo fundatur in eo, quòd nulla sit talis modi superadditi necessitas, uti ex ijs constat quibus innituntur Adversarij principijs, dum docent debere dari relationem fundamentalem, seu requisita omnia ex parte fundamenti, termini, & ratione fundandi, adhoc ut consurgat modus ille distinctus : nam istis positis petimus ab ijsdem an relatio fundamentalis sit unum quid absolutum, vel plura? Primum dicere nequeunt, quia hoc ipso quod esset unum quid absolutum v. g. Petrus, deberet poni relatio paternitatis, quòd per illos est falsum. Si secũdum, quærimus an illa plura absoluta realiter ideo exigant talem distinctum modum, ut per illum formaliter connectantur? Asserunt ipsi : at dicant cur duo posita alba exigunt, ut producatur relatio similitudinis, idque non exigant album, & nigrum? non aliud existimamus dicent, quàm à parte rei ante omnem modum aliquid esse, vi cujus connectatur album cum albo, non verò album cum nigro.

1904 Sed cur hoc aliquid non sufficiat ad relationem formaliter constituẽdam præciso modo? Præsertim cùm ex hoc superaddito sequãtur innumera, quæ nullatenus salvari possunt, cujusmodi imprimis est, quòd quævis entitas existens quovis instanti infinitas prope mutationes veras, & reales subiret, cùm modus realiter distinctus à re cujus est modus eam realiter intrinsecè immutet : quare cùm innumeræ sint relationes prædicamentales, quæ de novo in fundamento consurgunt, quando perit, vel de novo ponitur res aliqua in natura, quæ prius non existebat, consequenter singulis momentis res quælibet innumeris esset obnoxia mutationibus, ita ut ad productionem vel unius pulicis omnes omnino res totius universi acquirerent modalem aliquam entitatem, per quam intrinsecè immutarentur, quod quis credat? maximè cùm talis modi productiva causa assignari nequeat : tum juxta Aristotelem ajentem, ad relationem non dari motum : tum juxta rationem, quâ constat nihil creati agere posse in distans, quod per Adversarios tamen fieret, eò quòd à termino producto ad quamcunque distantiam resultaret in fundamento talis modus.

1905 Nec obest imprimis, quòd non videatur sufficere sola coexistentia duorũ ad hoc ut inter illa detur relatio prædicamentalis, eò quòd existentia unius, & alterius absoluta sit. Nam hæc ratio probaret etiam duos modos relativos ratione sui præcisè non coexistere, sed requiri semper alium modum tertium superadditum, ex quo deinde manifestus processus in infinitum sequeretur; quod si id negent ideo, quia impossibile dicunt esse, ut existant duo modi, & non coëxistant; cur pari ratione impossibile non sit, ut duæ v. g. durationes existant, quin coëxistant, adeoquè nullum requiri modum tertium superadditum? & maximè, quando assignari nequit subjectum talis modi; nam denarius aureorum numerus est æqualis denario argenteorum, & ad illum relativus : assignetur in quo aureo, vel argenteo talis modus recipiatur? certè cùm non sit major ratio pro uno, quàm pro alio, vel in nullo vel in omnibus recipietur, cùm dicere non possint æqualitatem haberi per decem, vel viginti modos, siquidem jam relatio non consisteret in modo uno simplici superaddito, sed in decem vel 20 modis, quod quis adstruat?

Nec obest deinde, quòd possint duæ du-

rationes correspondentes eidem tempori cognosci absque eo, quòd intellectus certificetur de illarum coëxistentia, adeoquè hæc esse debeat prædicatum reale distinctum ab entitate utriusque: contra siquidem est, nam cùm prædicatum coëxistentiæ partim sit in una duratione, partim in alia, verùm est, quòd non sit cognoscibile per cognitionem unius tantùm durationis; nam si per cognitionem unius tantùm durationis cognosceretur tota coëxistentia, plus in tali duratione cognosceretur, quàm *1909* in illa contineatur; sicut enim si pondus mille pondo, quod elevari non posset nisi à duobus, potentia completa elevativa hujus ponderis non esset quid realiter distinctum à viribus unius, & à viribus alterius, sed esset partim in uno, partim in alio, ideoquè potentia completa elevativa cognoscibilis non esset per cognitionem virium unius tantùm sed per cognitionem indivisibiliter cognoscentem vires unius & alterius: sic pari ratione illæ duæ durationes cognosci debent ab intellectu unicâ cognitione indivisibiliter attingente utramque ad hoc ut intellectus certificetur de illarum coëxistẽtia, cùm hæc non sit prædicatum distinctum ab entitate utriusque, licet ab entitate cujusque ex illis seorsim distinctum sit inadæquatè.

1906 Nec obest insuper, quòd negato modo relativo superaddito videamur tollere de medio relationes reales, sicut eas post Zenonem complures negant: sed hoc non sequi patet inde, quia cùm cognoscamus in objecto nemine cogitante completum fundamentum conceptûs formalis relativi, hinc meritò nemine etiã cogitante dicimus dari relationes reales; nec per hoc, quòd explicemus relationem prædicamentalem per complexum plurium confundimus coñotativa cum relativis, tametsi enim omnia relativa sint connotativa, non tamen omnia connotativa sunt realiter relativa; nam si terminus non existat, vel aliquid desit constituens prędicatum relativum, non dabuntur relativa prędicamẽtaliter talia, ut cõstat ex dictis.

1907 Neque obest demum, quòd fundamentum transire non possit ab esse absoluto ad esse relativũ sine aliquo superaddito, quod superadditum aliud melius dici nequit, quàm quod sit modus fundamento intrinsecus. Nam fundamentum sufficienter transire potest ab esse absoluto ad esse relativum per solam termini positionem, non secùs quàm Deus ex non præsente fiat de novo præsens Petro per solam positionem ipsius Petri.

1908 Tandem ad hoc, ut relatio prædicamentalis constituat unum prædicamentum peculiare, non est opus, ut sit quid purè simplex, sed sufficit si importetur, ut quid simplex, ita, ut id, quod importat in recto sit quid unum, ac propterea tametsi prædicamẽtalis relatio tria suprà enumerata essentialiter involvat, logicè tamen loquendo pro sola ratione fundandi supponit, quam dicit in recto consignificans fundamentum & terminum in obliquo; non secùs quàm unio in ratione uniẽtis, estò in hoc conceptu importet extrema, quę realiter unit, pro sola tamen Unione supponit, partes, quas unit, solum in obliquo consignificans. Unde, ut plures omittamus, de essentia relationis opiniones, quæ facili negotio ex dictis non subsistentes probantur.

Patet amplius relationem prædicamentalem nec consistere essentialiter in sola ratione fundandi, quia si per possibile, vel impossibile esset sola coëxistentia præcisa fundamenti, & termini absque fundamento, & termino; vel sola actio, & passio absque agente, & passo, non esset relatio realis, vel coëxistentiæ, vel actionis, & passionis, ut patet ex ipsa definitione essentiali relationis, quà dicitur nexus seu habitudo duorum ad invicem, adeoquè ejus essentia tam parum consistere potest in sola ratione fundandi, quàm unio in ratione unientis consistere possit absque extremis: Cùm igitur relatio prædicamentalis sit per omnes actualis nexus inter duo, cumqué nec intelligi, nec esse possit actualis nexus absque ijs, quæ connectit, per consequens certum est non posse relationem consistere in sola ratione fundandi.

1910 Nec obstat, quòd Aristoteles dixerit relationem esse essentiâ suâ ad alterum, quod soli convenit rationi fundandi: nam imprimis Aristoteles non relationem, sed relativa dixit ad aliud esse, ut ipsum legenti patet: deinde estò dixisset relationem esse ad alterum, intelligendus tamen est ob rationes jam allatas, quòd relatio logicè supponat, & secundum id, quod in recto importat pro ratione referendi ad aliud, ut suprà diximus, in quo non potest esse nisi de nomine dialectica aliqua difficultas.

1911 Nec obest amplius, quòd unio, cognitio, generatio non constituantur intrinsecè per partes vel subjecta, vel terminos, nam hi, qui ab harum paritate argumentantur ad essentiã relationis prædicamentalis, formalissimè illam è medio tollunt: si enim sic se habet ratio fundandi ad relata, sicut unio ad unita, cùm hæc essentialiter referatur ad extrema, involvatque ipsam transcendentalem relationem formaliter, ita & ratio fundandi erit formaliter transcendentalis relatio, sicque cùm in sola ratione fundandi essentiam prædicamentalis relationis constituant, eam cum transcendentali essentialiter identificant, atque sic prædicamẽtalis nulla daretur, pro cujus essentia illi maximè contendunt. Reliquæ objectiones, quia sensum formalem, ac logicum, & statum intentionalem cum sensu physico, & reali statu confundunt ab uno ad alterum, & vicissim trãsilientes, cùm tamen tum de prædicamentali relatione agimus, sistendum nobis sit in sensu phy-

physico, & reali, nullum prorsus vigorem contra dicta habent.

1912 Patet proinde ulterius ad omnem relationem prædicamẽtalem tria realiter requiri, non secùs, quàm ad esse unitum tria necessariò physicè requirantur: quod non obstat, quo minus relatio terminetur ut ad absolutum formaliter, & non formaliter ut ad relativum: ad illud enim formaliter terminatur, quod de se præcisè sumptum est ratio cur fundamentum habeat tale prædicatum relativum; terminus autem præcisè secundum sua prædicata absoluta est talis ratio; nam non ideo Petrus Pater refertur ad Paulum filium, quia Paulus refertur ad Petrum, sed quia hic est genitus ab illo, quòd verò fuerit genitus à Patre non est conceptus formaliter prædicamentaliter relativus, siquidem haberi potest talis conceptus, absque eo, quòd concipiatur Pater existens, adeoque sub conceptu formali filij, filius non est relativus, eò, quòd ut taliter relativus sit, in suo conceptu debeat involvere existentiam Patris; estò verum sit, quòd realiter entitas filij, quia est filiatio in recto, sit id, quod terminat paternitatem; nam id non præstat sub formali conceptu filiationis, qui conceptus haberi nequit, nisi concepto Patre in obliquo: quando igitur concipitur Pater in recto, eodem conceptu concipi non potest ipse in obliquo; ex 1916 eo, quòd formaliter alia sit relatio, quâ Paulus filius refertur ad Petrum parentem, & alia, quâ Petrus parens refertur ad Paulum filium; In illa enim Paulus filius subit rationem fundamenti, Petrus verò parens rationem termini: In ista autem econtra. Atque ex his

1913 Patet rursus relationem prædicamentalem adæquatè sumptam secundum id quod dicit in adæquato suo intrinseco conceptu multiplicari, primò ad multiplicationem solius termini: secundò ad multiplicationem solius fundamenti: 3. ad multiplicationem utriusque, quartò ad multiplicationem diversæ rationis fundandi: quorum ratio ulterior est, quia toties sunt relationes prædicamentales adæquatè sumptæ multiplices & diversæ, quoties eorum essentia adæquatè sumpta di- 1917 versimodè potest accipi, quod fieri posse, in omnibus quatuor enumeratis casibus facilè dicta consideranti patebit.

1914 Patet demum relationem unam fundare posse aliam, cùm enim una paternitas similis sit alteri paternitati, nonne ex his quælibet esse poterit fundamentum formale alterius relationis similitudinis; nam cùm non minùs fundamentum habeamus comparandi unum album cum alio albo, quàm unam paternitatem cum alia, & cùm æquè possint duæ paternitates confundi in communi conceptu paternitatis, quàm duo alba in conceptu communi albi, tam duæ paternitates, quàm duo alba, inter se erunt similes. Neque tamen ex hoc sequetur processus in infinitum, quia cùm relatio prædicamentalis habeatur per complexũ, & combinationem plurium existentium, sicut existere non possunt nisi finita, & ex finitis possunt fieri combinationes tantùm finitæ, ita ex finitis haberi non possunt infinitæ relationes, ut per se constat.

Metaphysicè sumptum ens positivum ut creatum intellectuale completè tale.

1915 Addimus hoc in titulo has ultimas particulas, quia suprà in Physicoethica de ente creato intellectuali incompleto, quæ ad philosophicum nostrum institutum spectabant, sufficienter proposuimus: ac proinde hoc loco de solo ente creato intellectuali completo, ut quantum requirit completa metaphysici objecti notitia agamus; dicimus ejus nomine intelligendas esse substantias illas immateriales, quas Plato, Dæmonas seu Genios, Aristoteles verò motores cœlestium corporum, & intelligentias, Christiani autem Philosophi Angelos, non ratione naturæ, sed officij, quo funguntur in procurando ad nutum primæ intelligentiæ bono universi indigetârunt.

1916 Eos non solùm possibiles esse, sed etiam defacto dari præter sacram authoritatem suadent tum rationes pro possibilitate animæ rationalis loco paulò antè citato adductæ: tum, quia sicut dantur intra latitudinem entis materialis entia incompleta, & completa, jure potiori etiam dabilia sunt ejusmodi intra latitudinem entis spiritualis, cùm quà talia, & affecta sint limitatione, & finitudine, & simul substantiæ sint indivisibiles intellectivæ, mediæ inter duo extrema, Deum immensum, & ens materiale dimensum de utroque participantes, nempe à Deo indivisibilitatem, & intellectualitatem, ab ente verò materiali finitudinem & limitationem: in quibus prædicatis cùm nulla involvatur repugnantia, possibiles esse Angelos est necesse.

1917 Nec possibiles solùm, sed etiam defacto dari, etsi demonstrativè ostendi non possit, sufficienter tamen probatur, tum quia conveniens videtur esse ordini ac perfectioni universi, ut gradus talium creaturarum in eo reperiatur, cùm congruum sit dari in illo creaturas aliquas quantum fieri potest Deo similes, tum etiam, quia plurimi effectus dantur indies præternaturales, qui utpote vires omnes corporeas & humanas excedentes aliunde provenire nequeunt, nec alteri causæ attribui, quàm naturæ alicui intellectuali ab omni corpore segregatæ, cujusmodi effectus sunt apparitiones bonorum, malorumqué Angelorum, regulatissimus, & constans corporum cœlestium

ſtium motus, oraculorum reſponſa, & prædictiones; Energumenorum mira opera, quibus ſæpe ea præſtant, quæ humanas vires penitus ſuperant, uti ſunt ignotâ linguâ loqui, occulta, & diſtantia patefacere, robur exerere ſupra ſexum, & ætatem, aliaqué hujuſmodi, quæ neque in certos morbos, neque in animas ſeparatas, cùm hæ non ſint perfectioris virtutis naturalis extra, quàm intra corpus, neque etiam in DEVM, cùm ſæpe ſint blaſphemiæ, perjuria, mendacia, &c. refundi nullatenus *1921* valeant.

1918 Hujuſmodi autem ſubſtantias ſimplices eſſe tam eſſentialiter, quàm integraliter patet inde, quòd creatæ intelligentiæ eſſentia conſiſtat ut in Phyſica diximus in eo, quòd intellectiva, ac volitiva ſit, ſuiqué ac aliorum loco motiva, quæ prædicata neceſſariò ſecum trahunt indiviſibilem tam integraliter, quàm eſſentialiter ſimplicitatem: ſi enim comparerentur ſecum partes, vel ſingulæ per ſe eſſent æqualiter intellectivæ, vel dependenter ab alia, ſeu alijs: ſi primum, ergo hoc ipſo habe- *1922* mus, quòd virtus intellectiva ſit indiviſibilis, cùm tota ſalvetur in quavis minima, & phyſicè indiviſibili parte: ſi ſecundum; ergo conſtaret partib⁹ heterogeneis, inter quas formaliter aliquæ eſſe deberent non intellectivæ, adeoq; intellectuale conſtaret ex partibus partim intellectivis, partim non intellectivis, quod repugnat.

1919 Has verò ſubſtantias productas eſſe intra cœlum Empyreum per creationem propriè, & rigorosè talem initio ſtatim creationis mundi, patet, tum ex dictis in Phyſica, ubi oſtendimus Angelos propriè ad ejus objectum ſpectare, ut univerſi, & totius creatæ naturæ partes: tum ex dictis in Phyſicomatemathica, ubi probavimus Angelos unà cum Cœlo Empyreo ex nihilo ſimpliciter à DEO productos, ex quo certum etiam evadit eos æternitate DEI propriâ æternas non eſſe, ac conſequenter annihilari poſſe, adeoq; nullatenus exemptos eſſe ab abſoluto DEI Dominio. Unde tamen minimè ſequitur eos eſſe generabiles, aut corruptibiles, hoc ipſo enim quòd ſimplices naturâ ſint nec corrumpi poſſunt corruptione aliquâ generationi oppoſitâ, quæ eſt deſitio formæ in ſubjecto: nec deſtrui ab ullo agente *1924* creato, à quo ſicut non pendent in fieri, & conſervari, ita nec capaces ſunt ullius ipſius actionis deſtructivæ.

1920 Quod verò attinet ad naturalem eorum potentiam intellectivam, videtur nobis, quòd vi hujus poſſint illi imprimis nôſſe ſeipſos, cùm ad talem cognitionem nullo egeant extrinſeco auxilio, ut conſtat à minori ad majus de intellectu, & anima rationali, quæ ſeipſam ſuoſqué actus naturaliter cognoſcit: deinde mens Angelica naturâ ſuâ cognoſcere poteſt prima principia tam ſpeculativæ, quàm practicæ ſcientiæ; illæ enim ob ſui ſimplicitatem, & evidentiam menti Angelicæ inſita ſunt tanquam ſemina omnis veritatis, imò, & cognoſcere immediatè poteſt omnia deducibilia ex talibus principijs, idqué perbrevi temporis ſpatio, cùm vis intellectiva eorum infatigabilis ſit, & incomparabiliter perſpicacior humano quovis intellectu.

Atque à fortiori cognoſcere etiam valet mens Angelica omnes differentias corporum in quantum pendent à figura, motu quiete, alijſqué circumſtantijs extrinſecis, cùm hæc omnia ſint intra ſphæram Angelicæ intellectivitatis: quin connaturaliter poteſt devenire in notitiam DEI, à quo producti ſunt Angeli, & conſervantur; cùm enim Angelus ſciat ſe à ſe non eſſe, ſequé eſſe limitatæ, & finitæ naturæ, facile ex tali ſui cognitione, quam penitiſſimè habet devenire poteſt in cognitionem ſui Creatoris.

Quod ad Angeli voluntatem attinet, quâ, ut ex principijs fidei, & ex dato in Phyſica entis ſpiritualis conceptu, conſtat Angelum eſſe prædituм, illam de ſe immutabilem non eſſe patet; tum quia certum eſt, Angelum poſſe divinitùs retractare voluntatem præhabitam, & naturaliter ab ea ceſſare: tum quia Angeli mali initio ſuæ creationis voluntatem de bona in malam mutârunt: tum demum quia quotidie voluntatem mutant, & boni quidem improbos homines à vitijs ſuis revocando, donec tandem diu fruſtra laborantes eos relinquant, mali verò dum tentant probos, & experiuntur in ſuum damnum conatus ſuos retorqueri à tentando deſiſtunt.

1923 Habere inſuper Angelos potentiam locomotivam tam ſui, quàm rerum aliarum, facilè conſtat tum ex dictis de modo, quo movent ſydera, tum ex eo, quòd pro arbitrio ſuo aliunde DEO eos non impediente poſſint ſe ſiſtere præſentes huic illivé ſpatio, eſtò non quâcunque inſtantaneâ velocitate, cùm hoc non concedat illis virtus eorum finita abſolutè, & limitata tam in eſſendo, quàm operando.

1924 At plura, quæ hoc loco circa hæc ſcitu digna adferri poſſent, ut quo pacto Angeli aſſumant corpora, & ex hinc quâ ratione lycantropi, Magi, ſagæ, alijq; hujuſmodi hominum perditiſſimi appareant transformati in varias belluas, videri poſſunt apud Delrio Diſquiſit. Magic. lib. 2. cap. 8. & Molinam in pri. par. q. 111. art. 4. Hæc namquè breviter de Angelis tam bonis, quàm malis, quantum ad Philoſophicum inſtitutum ſpectat, hoc loco attigiſſe nobis ſufficiat.

Meta-

Metaphysicè spectatum ens positivum quâ Increatum.

1925 INcreati entis nomenclatura venit ens quoddam infinitum, immensum, æternum, omniscium, summè potens, simplex, immortale, cuncta nutu suo conservans ac regens, summè necessarium, summè felix ac beatum, cui sicut nihil ex rerum creatarum consortio accedit commodi; ita nihil ex earum interitu decedit, utpote, quòd omnia in se continet bona, seq; suisqué perfectionibus perpetuò, ac perfectissimè fruatur. Quâ descriptione nostro intelligendi modo proportionatâ plerique cum SS. PP. & Theologis id, quod DEI Optimi Maximi nomine significatur Philosophi explicare consueverunt.

1926 Nec malè, cùm hujusmodi increati entis acceptio fundetur in rebus, quas oculis sensibusqué nostris subjectas habemus, siquidem horum omnium Divinorum prædicatorum vestigia quædam, & scintillas in ijs emicantes lumen naturæ cuivis indicat tot quasi radijs, quot in natura res sunt diversæ, quæ quasi uno ore fatentur: ipse fecit, regit, & conservat nos, & non ipsæ nos. Ac proinde Numen tale dari, & existere, licet demonstrativè à priori sciri nequeat, eò quòd hoc ipso, quòd primum entium omnium sit, nullum sui habere queat principium vel causam, ex qua conficiatur illius demonstratio.

1927 Lumine tamen naturæ DEVM dari, & existere patet ex notione propositionis, quæ lumine naturæ dicitur nota, eò, quòd careat omni medio termino, per quem à priori probari possit, quod accidere huic propositioni DEVS est, constat inde, quòd nihil omnino sit prius ipsâ essentia existente DEI, cùm prius illa nihil in DEO concipi possit: Diximus autem per se, & secundum se propositionem illam notam esse, nam quoad nos talis non est, siquidem, ut aliqua propositio dicatur & sit, quoad nos nota, debet esse notissimus quidditativus subjecti conceptus, quam notitiam de DEO in hac mortali vita habere nequimus. Possumus nihilominus à posteriori, & ex creaturis per evidentes rationes in illius notitiam indubitanter pervenire, quas aptè reduci posse putamus ad duplicem classem, quarum unam physicis, moralibus aliam rationibus attribuimus, eas in suis medijs terminis tantum indicando.

1928 E Physicis primum illa obtinet locum, quæ desumitur ex impossibilitate realis progressûs in infinitum, qui in actu completo admitti deberet, si DEUS nõ esset. Altera huic ferè similis sumitur ex eo, quòd in tota collectione entium defacto existentium nullum ex se consistat in esse, sed sibi relictum in suum refluat nihilum, adeoquè necessariò opus est aliquo primo sustentante ab alio non sustentato. Tertia inde provenit, quod carere omni defectu, & habere omnem perfectionem chymæra non sit, sicque quod caret defectu contingentiæ possibile est, atque hoc ipso existens, & necessarium. Quarta ex necessitate, quâ ostenditur, quòd si nullum ens æternum fuisset, nullum prorsus fuisset possibile existere, cùm nihil seipsum à non esse ad esse transferre possit. Quinta ex illo principio geometrico quòd series ordinata ex terminis infinitis cõtineat necessariò aliquem infinitesimum, qui sit ens determinatum, eò quòd ex infinitis se minoribus simul sumptis multiplicetur infinities. Quod argumentum subtilissimè Julius Recupitus deducit ac demonstrat. Sexta demum ratio, ut plures alias omittamus sumitur ex ipsa negatione Divinæ existentiæ, ex qua evidenter sequitur quòd quolibet finito, & temporaneo ente dabile sit aliquod majus, & perfectius, adeoquè tandem aliquod ens supremum, & primum, quo nullum sit, aut esse possit anterius, & consequenter necessarium, independens, æternum &c.

1929 Ad classem verò rationum moralium, quibus divina existentia morali certitudine ostenditur, spectat imprimis illa, quæ ex ordine, & fabrica Universi desumitur: hæc enim tantò clarius mentem aliquam primò ordinatricem, & conservatricem arguit, quantò Universi machina pulchrior, & artificiosior est omnibus artefactis. Secunda ratio petitur ex eo, quòd nec mundus, nec res ulla creata fuerit, esseque potuerit ab æterno. Tertia ex cõmuni omnium gentium, & sapientum consensu, qui in falsum adeo constanter conspirare nequeunt. Quarta ex operibus prodigiosis, quæ omnem naturæ cursum, ac ordinem superant. Quinta ex homine, ejusdem rationali forma, ac hujus perfectionibus, ac potentijs. Sexta demum ex eo, quòd ex negatione DEI omnibus sceleribus via patentissima aperiatur, quibus homines horridâ quâdam metamorphosi in belluas, belluisque ipsis deteriores evadant. Quas rationes præ cæteris eruditissimè prosequuntur Lessius de providentia Numinis, & Causinus in prima parte suæ Aulæ sanctæ. Atque ex his

1930 Sequitur primò hoc Optimum Maximum Numen unum tantùm esse, tum quia juxta Aristotelem pluralitas Principatuum non est bona, adeoque unus debet esse Princeps gubernans omnia, tum quia, si essent plures Dij, vel essent actu, vel possibiliter tales: non primum; quia deberent esse infiniti in numero: non secundum, quia in entibus necessarijs, cujusmodi DEUM esse est necesse, possibilitas idem est cum ipsa actualitate, alioquin necessitas non differret à contingentia: tum demum, quia si

daretur multitudo DEORUM illi vel essent contrariæ voluntatis circa res indifferentes, vel non essent absolutè liberi; utrumque autem de DEO dicere est absurdum: nam si propriâ careret libertate DEUS non esset, utpote maximâ carens perfectione: Si verò haberent voluntatem contrariam, nunquam deessent inter illos jurgia, & dissidia, qualia extitisse inter DEOS, quos cæca colebat gentilitas, à Poëtis describuntur.

1931 Necessarium proinde est unum esse DEUM an verò idem trinus sit in Personis ratione philosophicâ, seu naturali demonstrari non posse arbitramur; nisi fortè argumentum aliquod subministret reconditis illis modis, quibus proportionum revelat mysteria Algebratica scientia, ex qua id erui posse non pauci viri doctissimi, ejusdemque scientiæ peritissimi constanter asseverant.

1932 Sequitur secundò huic uni trinoque Numini subijci totâ subjectione excogitabili reliqua omnia, quæ quomodocunque rationem entis participant: cùm enim quidquid quomodolibet est extra DEUM essentialiter sit à DEO, consequens est, ut esse non possit, nisi à DEO dependenter vel essente, vel operante: à quo proinde sicut essentialiter accipiunt esse, ita multò magis dependere debent in ordine ad alia omnia, quæ ad illorum esse pertinent, alioquin DEUS non esset perfectissimus eorum Dominus. Porro tota illa subjectio possibilis est in ijs, quæ extra DEUM sunt entibus, respectu DEI, quæ eorum prædicatis essentialibus, & proprijs non opponitur; talis autem subjectio, & à DEO dependentia essentialis prædicatis entium extra DEUM essentialibus non opponitur, imò necessariò cum ijs debet consistere adhoc ut sint, prout constat.

1933 Sequitur è contrà tertiò DEUM cum entibus extra se positis in quocunque statu hæc considerentur nec connecti essentialiter, nec ab ijs ullo modo dependere, nec ad illa ullâ relatione transcendentali referri, tum quia ut ostensum manet DEUS est ens à se essentialiter, absolutum, independens, & magis necessariũ quocunquè ente quod ab ipso est, tum quia, si daretur talis relatio in DEO ad entia extra DEUM posita, his implicantibus deberet ille etiam implicare, quòd de DEO dicere non videtur consonum; cùm ille sic fieret dependens, & indigus entium illorum, quibus ipse dedit esse ad hoc ut in suo esse ipse permaneret, & consequenter DEUS æqualis foret necessitatis cum entibus à se dependentibus, siquidem in nullo casu alterutrum deficere, aut manere sine altero posset ob mutuam, & reciprocam ab invicem connexionem, & essentialem dependentiam: tum quia, sicut non potest dari in DEO essentialis connexio affectiva cum aliquo objecto, quod simpliciter infinitum, & Divinum non sit, ex eo quod talis adhæsio, seu connexio affectiva cum objecto finito manifestam arguat imperfectionem; ita dari non poterit in DEO essentialis connexio physica, physicaque inseparabilitas cum aliquo termino, qui simpliciter infinitus non sit, eò quòd ea importet imperfectionem essentialis dependentiæ Deo omnino repugnantem. tum Demum, quia juxta communem Theologorum sensum nullæ dantur in Deo reales relationes, nisi quæ ad intra sunt Personales, ne in eo admittantur attributa, & essentialiter absoluta, & essentialiter respectiva realiter uti erroneè docuit Gilbertus Porretanus.

1934 Nec obest, quòd omnipotentia DEI DEO realiter intrinseca non videatur posse esse, nisi in ordine ad omne id, quod non implicat. Id enim tantùm verum est dictum de esse omnipotentiæ non secundum intrinsecam perfectionem & entitatem suam, sed solùm secundum denominationem extrinsecam, ac secundum nostrum concipiendi modum: quare DEVS quâ omnipotens quoad esse suum absolutum tam parum exigit non implicantiam creaturarum quàm parum Princeps ditissimus mendicitatem alicujus miseri hominis, ad hoc ut ipse vel dives sit, vel liberalis.

1935 Nec obest ampliùs, quòd DEVS sit per essentiam suam potens producere omne possibile: nam ex hoc potiùs infertur DEVM nullo modo connexum esse intrinsecè cum entibus ad extra hoc ipso, quòd per essentiam suã sit talis, ut possit ea liberè ponere, & modo quidem perfectissimo: si enim esset necessitas aliqua ex parte DEI talis possibilitatis entium, haud dubiè perfectissimus DEVS non foret, cùm perfectius sit esse absolutum à tali necessitate quàm eidem obnoxium, uti à contrario constat ex necessitate, quam creaturæ habent respectu esse Divini ad hoc ut sint, & operentur, quæ sine dubio est magna in ijs imperfectio.

1936 Neq; demum obest, quòd DEVS non possit esse absque eo, quòd creaturæ sint possibiles, vel impossibiles: hoc namqué falsum esse patet ex ipsa notione DEI suprà allata, ex qua liquet possibilitatem vel impossibilitatẽ creaturarum non magis pertinere ad hoc ut DEVS existat, vel non existat, quàm pertineat ad esse DEI, ut pulex mordeat vel saltet, existatue seu redigatur in nihilum. Reliquæ quæ contra positam sequelam adduci solent rationes, quia aliud non probant, quàm dari in DEO relationem secundum dici, vel denominativè extrinsecè ad creaturas, quam in sensu logico juxta nostrum loquendi de DEO modum, libenter admittimus, ideo eos pluribus hic prosequi supersedemus.

1937 Sequitur ex dictis quartò ob perfectam subjectionem creaturæ respectu DEI Creatoris,

ris, dari in illa potentiam obedientialem in ordine ad omnes illos effectus, qui à suis causis essentialiter non pendent, & aliunde sunt possibiles: posse enim DEO obedire in omnibus illis, quæ nullam involvunt imperfectionem, aut implicantiam videtur non minus necessaria proprietas ex esse creato promanans, quàm sit ex animali rationali dimanans risibilitas. Potentiæ autem obedientialis nomine aliud non intelligimus, quàm non repugnantiam, ut agens aliquod cum DEO conjungatur, & ab eo assumatur ad aliquem effectum supra proprias vires producendum.

1938 Sequitur quintò causas secundas agere nullatenus posse absq; actuali immediato concursu DEI, cum ipsis concurrentis ad omnes omnino earum effectus: tum quia sicut defacto creaturæ omnes quoad essendum, & existendum essentialiter, & immediatè dependent à DEO concurrente actu ad ipsarum esse, & conservari, ita essentialiter exigunt ad hoc ut operentur immediatè Divinum concursum actualem: tum quia hâc unicâ ratione salvari potest perfectissimum DEI Dominium in omnes creatas causas earumqué effectus: tum demum, quia virtus finita, & limitata, qualis est causarum secundarum se solâ nequit rem aliquam à non esse ad esse transferre, atq; adeo ad immediatam suam operationem necessariò exigit concursum virtutis simpliciter infinitæ, qualis est DEI connaturaliter concurrentis eâdem semper actione indivisibiliter cum causis secundis ad effectus omnes qui ab ipsis producuntur; cùm omnis actio creata dependeat, & comproducatur à causa prima, quod fieri nequit per aliam actionem, ne detur modus ad modum formaliter, quod repugnare in Physica ostendimus.

1939 Sequitur demùm sextò necesse esse, ut DEVS quâ causa universalis applicet omnipotentiam suam, suumqué concursum offerat creaturæ, & præsertim liberè operanti per decretum positivum, quo DEVS quasi velit suam omnipotentiam esse in potestate creaturæ, quasi dicens illi. Offero tibi meam omnipotentiam, & volo illam esse in tua potestate, ad hoc ut ipsâ utaris juxta naturales tuas vires & instinctus pro libitu, cum tali tamen affectu, ut potius illa tibi serviat ad bonum, quàm ad malum. Per quod sufficientissimè ostenditur, & quo modo DEI omnipotentia applicetur ad operandum cum causis secundis, & præsertim liberis, & quâ ratione per tale decretum conservetur integra operatio, & libertas creata: & demum quo pacto generatiç hic DEI concursus in actu primo ex se sit indeterminatus, & indifferens ad hunc illumvé actum, & effectum, cùm non magis secundum se inclinet ad unum, quàm ad alium, ad actum potius, quam ad ejus negationem.

1940 Neque hic modus explicandi concursum universalem DEI, ut causæ primæ ad omnes operationes & effectus secundarum causarum DEO ullatenus indecorus est, quin glorioſus maximè, eò quòd quidquid DEVS hac in parte facit, liberrimè faciat, inductus solùm à sua bonitate, quæ ita omnipotentiam rebus creatis attemperat, ut penes ipsum absolutè maneat potestas concursum, quem præbet, negandi. Quare cùm concursus iste quo liberrimè DEVS se communicat ad esse, conservari, & operari cujuscunque creaturæ illius bonitatem, beneficentiam, liberalitatem, amorem, & munificentiam in creaturas suas commendet, meritò vicissim creatura omnis unà nobiscum amantissimo nostri DEO accinat: Benedictio, & claritas, & gratiarum actio, laus, honor, virtus, & gloria sit DEO nostro per *infinita* sæcula.

O. A. M. D. G. B. V. M. H.

Sylla-

Syllabus Quæstionum

IN HAC QVINQVE-PARTITA PHILOSOPHIA,

Juxta numerorum marginalium seriem contentarum.

IN LOGICA.

Philosophiæ nomen. 2. *& seq.*
Philosophiæ quidditas. 4. *& seq.*
Philosophiæ divisio. 7. *& seq.*
Origo Philosophiæ. 10.
Modus methodicus consequendi Philosophiam. 11. *& seq.*
Philosophicæ cognitionis multiplicitas. 19. *& seq.*
Philosophiæ subserviens sensus. 21.
Philosophicæ cognitioni quantum serviat: non implicat. 23.
Philosophiæ potiundæ cupido inprimis Logica addiscenda. 24. *& seq.*
Logicæ nomen, & quidditas. 26. *& seq.*
Logica virtus intellectualis. 29. *& seq.*
Logica habitus practicus. 31. *& seq.*
Logica in rigore scientia. 39. *& seq.*
Logica non est organum, aut modus sciendi. 43.
Logica nec ars, nec opinio, nec habitus primorum principiorum. 44. *& seq.*
Logicæ officium. 47. *& seq.*
Logicæ materiale objectum. 50. *& seq.*
Logicæ objectum Formale. 55. *& seq.*
Logicæ objectum Adæquatum, seu attributionis. 60. *& seq.*
Logicalium actuum adæquatum specificativum. 65. *& seq.*
Logicæ divisio in Docentem & Utentem. 70. *& seq.*
Logicæ necessitas ad reliquas scientias. 77. *& seq.*
Logicæ usitatæ voces. 88. *& seq.*
Logicalium vocum comparativè sumptarum natura. 95. *& seq.*
Logicalium vocum multiplicitas, divisio & affectiones. 99. *& seq.*
Logicalia signa, eorumq; natura & diversitas. 101. *& seq.*
Logicæ signa propriè talia. 108. *& seq.*
Logicalium signorum seu vocum primaria significatio. 113. *& seq.*
Logicales voces in ratione imaginis. 116. *& seq.*
Logicales voces in ratione imaginis. 116. *& seq.*
Logicales voces in ratione finis. 118. *& seq.*
Logicalium objectivo-vocum seu Prædicabilium origo, author nomen, & usus. 122. *& seq.*
Logicorum Prædicabilium communis ratio convenientiæ. 130. *& seq.*
Logici primi Prædicabilis seu Generis quidditas. 135.
Logicum primum prædicabile respectu suorum inferiorum. 141. *& seq.*
Logici secundi Prædicabilis, seu differentiæ essentialis conceptus, & explicatio. 150. *& seq.*
Logicæ differentiæ divisio. 154. *& seq.*
Logica differentia comparativè sumpta. 160. *& seq.*
Logica species seu tertium Prædicabile. 168.
Logicæ speciei divisio. 169. *& seq.*
Logica species ad inferiora sua comparata. 174. *& seq.*
Logicâ specie differre quid sit, ubi diversorum circa hoc opiniones. 182. *& seq.*
Logicum Proprium. 192. *& seq.*
Logicum Proprium quà Prædicabile. 201. *& seq.*
Logicum Accidens secundum se. 204. *& seq.*
Logicum Accidens ut Prædicabile Quintum. 207. *& seq.*
Logici remotè objectivi termini, seu Prædicamenta. 213.
Logicalium Prædicamentorum ut sic divisio. 214. *& seq.*
Logicalium Prædicamentorum physicè sumptorum notio & divisio. 218. *& seq.*
Logica ad Prædicamentalem seriem physicè sumptam ad hoc ut quid ingrediatur necessariò requisita. 221. *& seq.*
Logica prædicamentalis series metaphysicè spectata, & quænam in ipsa recenseantur. 223. *& seq.*
Logica univoca. 227. *& seq.*
Logica Æquivoca. 229. *& seq.*
Logicalium Æquivocorum divisio. 231. *& seq.*
Logica Denominativa. 236.
Logica Analoga nulla, media inter Uuivoca & Æquivoca. 237. *& seq.*
Logicæ Propositionis quidditas, & affectiones. 240. *& seq.*
Logicarum Propositionum divisio. 243. *& seq.*
Logicarum Propositionum Veritas & Falsitas. 244. *& seq.*
Logica formalis Veritas, variæq; de illa opiniones. 247. *& seq.*
Logica Formalis Veritatis subjectum. 252. *& seq.*
Logicæ formalis Veritatis adæquatè sumptæ essentia. 258.

INDEX.

Logica formalis Veritas non importat formaliter relationem prædicamentalem. 260.
Logicâ formali veritate verus actus repugnat ut simul sit falsus. 261.
Logicâ veritate formali vero actui non repugnat transitus de vero in falsum, & vicissim. 267. & seq.
Logica veritas formalis de futuris. 277. & seq.
Logici discursûs quidditas. 287.
Logicus modus sciendi quid sit. 288. & seq.
Logici sciendi modi partitio. 290.
Logicè considerata definitio. 291.
Logicæ definitionis divisio. 295.
Logicæ Divisionis quidditas & à Definitione distinctio. 296. & seq.
Logicus tertius sciendi modus seu Argumentatio. 299. & seq.
Logicæ Argumentationis partitio. 301.
Logicus syllogisticus discursus, seu syllogismus. 302. & seq.
Logici syllogismi divisio. 306. & seq.
Logica syllogistica figura, & modus. 309. & seq.
Logici syllogismi principia proximè regulativa. 315. & seq.
Logicæ syllogisticæ conclusionis causa. 317. & seq.
Logicæ conclusionis necessitas dato assensu præmissarum. 323. & seq.
Logici syllogisandi modi quodnam sit capax subjectum. 336. & seq.
Logicæ syllogisticæ Demonstrationis, quidditas & divisio. 346.
Logicalium præcognitorum, & præcognitionum demonstrationi subservientium notitia. 348. & seq.
Logicæ potissimæ Demonstrationis præmissæ. 353. & seq.
Logicæ Demonstrationis certitudo & evidentia. 360. & seq.
Logicæ Demonstrationi non subsunt definitiones substantiarũ, etsi subsint accidentiũ. 363. & seq.
Logici regressûs, seu circuli materialis in Demonstrationibus utilitas. 366. & seq.
Logicæ Demonstrationis effectus. 370. & seq.
Logicæ Demonstrationis effectus scientia, aliud quid est à reminiscentia. 375. & seq.
Logicâ Demonstratione partæ scientiæ definitio & divisio. 380. & seq.
Logicè sumpta actualis scientia. 383. & seq.
Logica evidentia, & certitudo ut sic actualis scientiæ. 388. & seq.
Logica ejusdem certitudo in particulari. 390. & seq.
Logica ejusdem speciatim evidentia. 392. & seq.
Logica scientia, opinionis & fidei actualis, seu simultanea incompossibilitas. 394. & seq.
Logicæ Demonstrationis effectus alter scientia habitualis. 412. & seq.

IN PHYSICA.

PHysicæ quidditas. 416. & seq.
Physicæ qualitas universim. 418. & seq.
Physicæ qualitas speciatim. 424. & seq.
Physicæ scientiæ unitas, deq; ea variæ opiniones. 430.
Physicæ scientiæ materiale objectum. 435. & seq.
Physicæ objectum formale. 439. & seq.
Physicæ objectum adæquatum. 442. seq.
Physici objecti, seu entis naturalis divisio. 446. & seq.
Physici entis spiritualis quidditativus conceptus. 449. & seq.
Physici entis materialis essentialis definitio & constitutio. 452. & seq.
Physici entis materialis integralis compositio. 461. & seq.
Physici entis materialis compositio essentialis. 465. & seq.
Physicum aliquod ens materiale essentialiter simplex, an sit possibile. 474. & seq.
Physici entis materialis de facto existentis intrinseca dari principia, an sit necesse. 476. & seq.
Physicorum Principiorum varia notio. 478. & seq.
Physici entis materialis Principia. 479. & seq.
Physici entis materialis Principia in uno salvari nequeunt. 481. & seq.
Physici entis materialis Principia non sunt corpuscula, seu atomi. 483. & seq.
Physici entis materialis Principia non sunt quatuor Elementa. 491.
Physici entis materialis nec sunt tria illa chymicorũ, sal, sulphur, & Mercurius. 492. & seq.
Physici entis materialis principia intrinseca & essentialia in fieri sunt Materia, Forma & Privatio. 496. & seq.
Physici entis materialis in facto esse principia sunt tantùm Materia & Forma. 504. & seq.
Physicæ entis naturalis causæ, existentia, notio, & quidditas. 507. & seq.
Physicæ causæ quotuplicitas & divisio. 514. & seq.
Physicæ causæ à conditionibus distinctio. 516. & seq.
Physicæ causæ virtus. 519. & seq.
Physica causa ut causet, existentiâ essentialiter eget. 521. & seq.
Physicæ causæ prioritas respectu effectûs. 526. & seq.
Physicæ prioritatis quam naturæ dicunt quidditas. 531. & seq.
Physica causa cõparata cum suis effectibus. 533. & seq.
Physica una eademq; causa nequit subire simul rationem materialis, formalis & efficientis respectu ejusdem effectûs. 545. & seq.
Physicæ causæ universim non possunt sibi invicem esse causæ. 547. & seq.
Physici principij & causæ materialis existentia, seu quidditas physica. 550. & seq.
Physicum materiale principium est entitas, vel mathematica, vel metaphysica, vel rationis. 559. & seq.
Physicum materiale principium nec sunt quatuor elementa. 563. & seq.
Physicum materiale principium nec est quinta quam frustra chymici inquirunt essentia 568 & seq.
Physicum materiale principium, seu materia prima à nobis est cognoscibilis 570. & seq.

Physicæ materiæ primus formalis cõceptus. 576. & seq.
Physicæ materiæ physicè ab entitate & existentia formæ distinctio. 579. & seq.
Physicè nequit existere privata materia omni formâ connaturaliter. 587. & seq.
Physica materia absolutè potest existere separata à forma. 591. & seq.
Physica materia una est, ejusdemque homogeneæ rationis de facto sub formis omnibus, estò possibiles sint absolutè aliæ materiæ diversæ speciei ab ea quæ de facto datur. 596. & seq.
Physicæ materiæ potentia proxima ad formas. 602. & seq.
Physicæ materiæ respectus ad formas. 605. & seq.
Physicæ materiæ appetitus seu inclinatio ad formas. 609.
Physicæ materiæ proprietates aliæ. 613. & seq.
Physici formalis principij, seu formæ physica existentia. 619. & seq.
Physicæ formæ substantialis quidditas & quotuplicitas. 626. & seq.
Physicæ formæ materialis in materia præexistentia. 631. & seq.
Physicæ formæ ex materia eductio. 637. & seq.
Physicæ formæ educibili opposita privatio. 639 & seq.
Physicæ intrinsecæ causæ materialis, & formalis. 651. & seq.
Physicæ causæ materialis & formalis causalitas. 658. & seq.
Physica causalitatis materiæ & formæ quidditas. 663. & seq.
Physicè eadem materia divinitùs informari potest pluribus simul formis substãtialibus. 683. & seq.
Physicè eadem forma etiam non replicata absolutè informare potest simul plures numero materias. 689. & seq.
Physici efficientis principij & causæ quidditas, ac quotuplicitas. 694. & seq.
Physicæ efficientis creatæ causæ activitas simpliciter. 704. & seq.
Physicæ causæ efficientis creatæ activitas immediata. 709. & seq.
Physica causa efficiens quoad secundum sui esse absolutè potest se ipsam producere. 724 & seq.
Physicè duæ causæ efficientes possunt quoad secundum esse se invicèm causare. 732. & seq.
Physicas duas pluresve totales causas efficientes causare eundem effectum totaliter est possibile. 741. & seq.
Physicum substantiale agens immediatè producit accidentia. 749. & seq.
Physicæ Causæ efficientis ad hoc ut agat conditio prima. 751. & seq.
Physici agentis ut agat conditio altera positiva. 757. & seq.
Physici agentis conditio tertia seu positiva approximatio. 761. & seq.
Physici agentis determinata sphæra. 786. & seq.
Physici agentis intra sphæram suæ activitatis actio. 788, & seq.
Physici agentis extra suam sphæram actio de absoluta potentia. 791. & seq.
Physici agentis ultima conditio. 795. & seq.
Physici agentis naturalis actio quid sit, & qualis. 799. & seq.
Physicæ Actionis à Passione distinctio. 804. & seq.
Physicæ Actionis subjectum. 810. & seq.
Physica entis naturalis causa Finalis & ejus quidditas. 816. & seq.
Physica virtus causativa causæ Finalis. 824. & seq.
Physicæ causæ Finalis causalitas. 829. & seq.
Physicæ causæ Finalis effectus. 835. & seq.
Physica causæ Finalis vis respectu agentium omnium. 837. & seq.
Physica causa Idealis seu Exemplaris. 842. & seq.
Physicæ causæ per accidens existentia & quotuplicitas. 846. & seq.
Physicæ causæ per accidẽs oppositũ Fatũ. 852. & seq.
Physicorum Principiorum, & Causarum Effectus totalis & ultimatus, ejusq; à partibus distinctio. 856. & seq.
Physicus effectus totalis principiorum & causarum in esse subsistentis. 867. & seq.
Physicus Principiorum & Causarum totalis effectus unde Naturalis dicatur, & quid sit Natura, cuiq; naturæ ratio competat. 877. & seq.
Physica certitudo realis existẽtiæ Naturæ. 882. & seq.
Physica Naturæ ipsius natura. 884. & seq.
Physica naturalis instinctûs quidditas. 886. & seq.
Physicæ naturæ Ars imitatrix. 889. & seq.
Physici effectûs Artis per applicationem activorum passivus. 893. & seq.
Physicè per artem Chymicam verum aurum produci potest. 897. & seq.
Physicè animalia imperfecta beneficio Artis produci possunt. 900. & seq.
Physicè nemo per Artem potest se reddere invisibilem, & invulnerabilem, multò minus immortalem. 902. & seq.
Physici Motûs, seu primæ entis naturalis Proprietatis existentia. 907. & seq.
Physici motûs quidditas & quotuplicitas. 914. & seq.
Physici motûs à mobili & termino distinctio. 917. & seq.
Physici naturalis motûs oppositio cum violento, & necessario. 919. & seq.
Physico motui opposita quies. 922. & seq.
Physici entis naturalis proprietatis alterius seu Loci definitio, & divisio. 925. & seq.
Physica Localis superficiei immobilitas. 929. & seq.
Physicus locus intrinsecus. 937. & seq.
Physici loci intrinseci subjectũ, & respect⁹. 941. & seq.
Physicæ ubicationis ab actione productiva, & conservativa distinctio. 944. & seq.
Physicæ ubicationis respectu totius compositi unitas. 946. & seq.
Physicus idem Locus supernaturaliter capax duorum pluriumvè corporum. 949. & seq.
Physicum idem corpus esse potest in pluribus locis adæquatis definitivè & circumscriptivè. 954 & seq.

Phy-

Physica actio respectu locati existentis in duobus aut pluribus locis. 957. & seq.
Physicus locus intrinsecus cum re replicata alibi, replicari non potest. 960. & seq.
Physico Loco vacuum oppositum. 963. & seq.
Physica causa motûs, quo gravia & levia ad impediendum vacuum feruntur. 967. & seq.
Physicè vacuum est dabile solius DEI potentia. 969. & seq.
Physici motus quinam fierent in vacuo. 971. & seq.
Physicè nulla dantur imaginaria spatia. 971. & seq.
Physici entis tertia proprietas, seu Finitas. 980. & seq.
Physici infiniti nomen, quidditas & multiplicitas. 982. & seq.
Physicè infinitum syncategorematicum. 987. & seq.
Infinitum Categorematicum creatum in perfectione essentiali repugnans. 990. & seq.
Physicè repugnat idem in quantitate continua. 992. & seq.
Physica repugnantia ejusdem in quantitate discreta seu numero. 994. & seq.
Physicè repugnat quodvis aliud infinitum Categorematicũ creatũ in quocunq; genere. 996. & seq.
Physicis quibusdam rationibus pro Categorematico infinito respondetur. 998. & seq.
Physici entis naturalis quarta proprietas seu Quantitas. 1005. & seq.
Physica Quantitas componi nequit ex punctis indivisibilibus. 1010. & seq.
Physica puncta continuativa, vel terminativa in quantitate non dantur. 1017. & seq.
Physica quãtitas non constat minimis physicis. 1020. & seq.
Physica quantitatis compositio nec constat partibus omnibus actu distinctis. 1022. & seq.
Physica continui compositio neq; constat partibus tantùm potentiâ distinctis. 1025. & seq.
Physica compositio continui ex partibus partìm actu partìm potentiâ distinctis seu finitis in infinitum. 1026. & seq.
Physicæ quantitatis discretæ, seu temporis, notio, quidditas, & quotuplicitas. 1036. & seq.
Physici temporis extrinseci dimensio, ejusquè ultima mensura, 1039. & seq.
Physici temporis intrinseci, seu Durationis existentia, quidditas, & distinctio. 1042. & seq.
Physica Duratio indivisibilis creata dari nequit; nec duratio ad durationem. 1050. & seq.

IN PHYSICO-MATHEMATICA.

Physico-mathematicæ notio, objectum, & natura. 1055. & seq.
Physico-math. quotuplicitas, & divisio. 1062. & seq.
Physico-math. ut subservientis Arithmeticæ. 1064. & seq.
Physico-mathat. subservientis Arithmeticæ species. 1076. & seq.
Physico-math. subservientis Arithmeticæ numerationis quidditas, & fundamentũ. 1079. & seq.
Physico-mathem. subserviens Arithmetica Additio. 1082. & seq.
Physico-math. subserviens Arithmetica Subtractio. 1085. & seq.
Physico-math. subserviens Arithmetica Multiplicatio. 1088. & seq.
Physico-mathem. subserviens Arithmetica Divisio. 1091. & seq.
Physico-math. subserviens Arithmetica proportionũ Regula. 1095 & seq.
Physico-math. subservientis Geometriæ quidditas, subjectum, & Usus. 1102. & seq.
Physico-math. subservientis Algebræ notio, quidditas, Usus. 1135 & seq.
Physico-math. Cosmographiæ notio, quidditas, & Objectum. 1144. & seq.
Physico mathem. Cosmographiæ subjecti remoti, seu Mundi notio, quidditas & quotuplicitas. 1147. & seq.
Physico-math. Cosmographiæ objecti seu Mundi forma. 1156. & seq.
Physico-mathem. Cosmographica Mundi coördinatio. 1165. & seq.
Physico-math. Cosmographiæ objecti, seu mundi productio defacto. 1172. & seq.
Physico-math. Cosmographiæ objecti seu Mundi productio de possibili. 1181. & seq.
Physico-math. Cosmographiæ objecti seu Mundi actualis productionis qualitas, & ejus multiplices circumstantiæ. 1199. & seq.
Physico-mathem. Cosmographica Mundi Delineatio. 1224. & seq.
Physico-math. Astronomiæ nomen, quidditas, subjectum. 1243. & seq.
Physico-Astronomicæ scientiæ subjecti seu Cæli natura, qualitas, & quotuplicitas. 1245. & seq.
Physico-Astronomicè considerata substantia Solis, Lunæ, reliquorumq; siderum. 1263. & seq.
Physico-Astronomica Magnitudo, Multitudo, Distantia, Motus, Figura, Differentia, & Influxus siderum. 1292. & seq.
Physico-Cosmographicæ Geographiæ notio, quidditas, utilitas, subjectum, & multiplex hujus divisio. 1325. & seq.
Geographicè describẽdi orbem in plano praxis. 1351. & seq.
Chorographica praxis describendi quamcunq; ex majoribus globi terraquei regionibus. 1356. & seq.
Topographica praxis describendi Urbium Territoria, Dominia, Toparchias, aliasq; minores terræ partes. 1359. & seq.
Physico-staticæ notio, quidditas, quotuplicitas objectum. 1362. & seq.
Physico-staticæ objecti, seu gravitatis & levitatis quidditas, & distinctio. 1373. & seq.
Physico-statici effectus gravitatis, & levitatis. 1390. & seq.
Physico-statici Centri gravium quidditas, multiplicitas, affectiones &c. 1392. & seq.

Phy-

Physico-statica terræ circa suum centrum immobilitas. 1396. & seq.
Physico-staticæ directionis linea ejusq; proprietates & effectus. 1402. & seq.
Physico-staticè descendentium gravium & ascendentium levium velocitas. 1407. & seq.
Physico-statica Machinæ seu instrumenta. 1411. & seq.
Physico-staticè spectata humido innatantia. 1419. & seq.

IN PHYSICO-ETHICA.

PHysico-Ethicæ notio, quidditas, quotuplicitas. 1423. & seq.
Physico-Ethicæ objectum seu subjectū. 1433. & seq.
Physico-Ethicæ subjecti prima origo. 1439. & seq.
Physico-Ethicæ subjecti, seu hominis à Protoplastis, & deinceps propagatio. 1446. & seq.
Physico-Ethici subiecti, seu hominis nutritio. 1455. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis augmentatio, ejusq; à Rarefactione, & condensatione distinctio. 1465. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis Anima. 1483. & seq.
Physico-Ethici subjecti partes animatæ. 1518. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis facultates, & potentiæ. 1524. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis sensus visûs. 1530. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis sensus auditûs. 1535. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis sensus olfactûs. 1541. & seq.
Physico-Ethici subjecti sensus Gustûs. 1546. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis sensus Tactûs. 1552. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis externorum sensuum per species impressas sensibiles ad operandum immutatio. 1555. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis sensus internus. 1570. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis appetitus sensitivus. 1580. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis Passiones earumq; notio, quidditas, subjectum, quotuplicitas. 1586. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis potentiæ rationales, quâ tales. 1599. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis intellectus, ejusq; objectum, modus operandi, species impressæ &c. 1604. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis Actualis intellectio. 1615. & seq.
Physico Ethici subjecti, seu hominis Memoria. 1620. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis Voluntas. 1626. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis humanos suos, ut exerceat actus adminicula acquisita, seu habitus. 1631. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis Virtutes, earumq; quidditas, ac quotuplicitas. 1641. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis, ut rectè operetur adjumenta extrinseca. 1655. & seq.
Physico-Ethici subjecti, seu hominis Finis naturalis. 1662. & seq.

IN METAPHYSICA.

METaphysicæ Notio, Quidditas, & objectum. 1675. & seq.
Metaphysicæ accepti entis, ut sic quidditas. 1682.
Metaphysici entis identitas. 1684. & seq.
Metaphysici entis, variæ de Distinctionis quidditate opiniones. 1689. & seq.
Metaphysicus essentialis conceptus Distinctionis. 1696. & seq.
Metaphysicæ distinctionis divisio. 1699. & seq.
Metaphysicæ distinctionis signa. 1701.
Metaphysicos inter gradus nulla de facto formalis ex natura rei distinctio. 1703. & seq.
Metaphysicos inter gradus nulla de facto virtualis intrinseca distinctio. 1709. & seq.
Metaphysicos inter gradus de possibili utriusq; jam dictæ distinctionis possibilitas. 1712. & seq.
Metaphysicos inter Gradus distinctiones, seu Præcisiones intentionaliter objectivæ de facto. 1716. & seq.
Metaphysici Entis Unitas, Veritas, Bonitas. 1723. & seq.
Metaphysici entis ut sic præcisio à suis partibus, & differentijs. 1728. & seq.
Metaphysici entis species 1. seu Ens Actuale positivum. 1732. & seq.
Metaphysici entis species altera seu ens actuale Negativum. 1740. & seq.
Metaphysici entis species tertia. seu ens Possibile. 1755. & seq.
Metaphysici entis species quarta seu Ens Impossibile. 1768. & seq.
Metaphysicè sumptum Ens Positivum, quâ Singulare. 1795. & seq.
Metaphysicè sumptum Ens Positivum, quâ Universale. 1811. & seq.
Metaphysicè sumptum Ens Positivum, quâ Substantiale. 1852. & seq.
Metaphysicè sumptum Ens Positivum quâ Accidentale. 1863. & seq.
Metaphysicè sumptum Ens Positivum quâ Relativum, ut sic. 1870. & seq.
Metaphysicè sumptum Ens Positivum quâ Transcendentaliter relativum. 1879. & seq.
Metaphysicè sumptum Ens Positivum, quâ Prædicamentaliter relativum. 1890. & seq.
Metaphysicè sumptum Ens Positivum ut Intellectuale creatum completè tale. 1915. & seq.
Metaphysicè sumptum Ens Positivum quâ Increatum. 1925. & seq.

LECTORI BENEVOLO.

NOn pauca, & fortè non levia subinde in hanc nostram Quinque-partitam Philosophiam typographica irrepsisse menda deprehendes Benevole Lector. Si temporis brevitas, quâ composita, excusaque est; si incessantes occupationes, quibus, nôsti, sub finem sui cursûs Philosophici, Philosophos distineri; si Typi à nobis distantia, concessissent, ne dubita, castigatior illa, ornatiorque prodijsset. Ut ut tamen comparet, benignitatis Tuæ erit, benevolum eidem & oculum, & animum adhibere. Id favoris ab humanitate Tua, dum nobis pollicemur, pro eo Tibi ab illo, qui absque nævo, & mendo opera sua solus edidit Deus Optimus Maximus, prosperitatem, quam optas, veram ex parte perfectam religiosè adprecamur. Fave proinde, & Vale.

FINIS.

pta: ...